
G. Wingendorp sc.
GEORGI HORNI
ARCA NOÆ
Sive
HISTORIA
IMPERIORUM et REGNORUM
à Condito orbe ad nostra
Tempora.
LUGD. BATAV.
et ROTEROD.
Ex Officina HACKIANA 1666.

CELSISSIMO ac POTENTISSIMO

PRINCIPI ac DOMINO

D. GUILIELMO III.

DEI GRATIA ARAUSIONUM SUPREMO PRINCIPI. COMITI NASSAVIÆ, CATTIMELIBOCI, VIANDÆ, DIETZIÆ, LINGÆ, MEURSÆ, BURÆ, LEERDAMI, &c.

PRINCIPI ac DOMINO ſuo CLEMENTISSIMO.

ARCAM NOÆ, id eſt omnium à condito Mundo totius orbis Imperiorum regnorumque perpetuam ad noſtra uſque tempora ſe-

riem, ſucceſſionem, origines, incrementa, decrementa, conjunctiones, diviſiones & exitus, tibi CELSISSIME & POTENTISSIME PRINCEPS WILHELME AURIACE inſcribere, non tam argumenti perſuaſit dignitas, quam ipſa illa florens & ad majorum virtutem jam aſſurgens ætas tua imperavit. Cui enim potius debebatur ARCA NOÆ, quam PRINCIPI ad ejus gentis gloriam nato, quæ claſſibus ſuis omnes oras, omnia maria terraſque, remotiſſimos populos & fama quoque incognitos, utrumque mundi polum, glacie rigentes, vel inſtabilibus impervias verſus

Auſtrum

Auſtrum arenis plagas, majori audacia dicam an ſucceſſu, quod nemo unquam Imperatorum Regumque auſus fuit, ipſi exiguo terrarum ambitu, ſed animo orbis capaci, in hac ultimâ rerum humanarum & fatiſcente ſenecta, indefatigabiliter ſcrutantur pariter & perrumpunt? Magna apud veteres Tyri & Karthaginis maritimarum rerum gloria fuit: navigarunt etiam Romani ex Sinu Rubro mare Indicum, ac Taprobanam mercaturæ Sericæ ſtudio adierunt. Cæterum quam illa ſunt exigua ſi Batavorum navigationibus contendantur? Mare Internum ſive Mediterraneum

tum temporis meta laborum erat; Columnæ Herculis & Fortunatæ cursum velorum sistebant: quid ultra esset, incognitum mortalibus & profundo mersum censebatur; neque aperto se credere mari, sed littora legebant atque nubilo cœlo stellarumque conspectu ademto, incerti & naufragi, nulla arte, ut casus dabat, vagabantur: mansitque ea multis seculis ruditas, & quem colebant homines orbem, quota sui parte noverant? Perierat omnis penitus ingentium in Atlantico Oceano terrarum notitia: & aberat investigandi studium; quod si quis orbem extra Gades quæreret,

haud

haud minus ludibrio apud Potentes erat, ac ille, qui propter Antipodas, hæreticus vocatus fuit. Indos antiqua fama aperuerat & priſcorum Regum terreſtres maritimæque expeditiones; ſed quid ultra Gangen eſſet, ubi vaſtum illud Sinicum Imperium, inſulas denique innumerabiles maximaſque, omnes ignorabant. Atque ita abrupto quaſi orbis commercio, ipſi homines, cum ex una ARCA NOÆ poſt diluvium diſperſi per cuncta terrarum inſularumque fuiſſent, ſe pariter originemque ſuam & cognationes obliti, quaſi alienos & diverſa origine profectos admirabantur

tur pariter ac despiciebant. Hispanus ferro rigens & aspera barba, intectis veste Americanis cœlo delapsus, non homo videbatur. Accedebant fulmina bombardarum, pernices equi, navigia velifera. Ita stupor utrimque & admiratio: quasi in novos Democriti mundos delati, nova omnia & extra ARCAM NOÆ prognata cernerent.

Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas.

Africa Europæ contraria & in Austrum porrecta, quot seculorum fefellit notitiam? Extima sui parte, etiam Ægyptiis Nili accolis incognita & impenetrabilis, & dum quotidie potant ejus undas, fontes

fontes tamen ignorabant: nec Regum suffecit prodiga sedulitas, ut illud horribile arcanum, quanquam curiosissime scrutarentur, aperirent. Ita fontes Nili eo ævo imperscrutabiles, quibus hodie nihil notius est: latebat extimum Africæ promontorium, & Agisimba Africæ terminus; nunc non illud tantum Bonæ Spei cognitum, sed velut domesticum ac familiare est, eademque nautica pubes facilitate illud loquitur ac majores vicina littora & Calpen aut Abilen. Ingens olim gloria vidisse Hierosolymam, in Ægyptum penetrasse: Tanain & Phasin Genuenses, Alexan-

driam Veneti, terminos suarum navigationum habebant: Norwagi ad Orcadas, Islandiam & metam orbis in Septentrione, Gronlandiam substitêre; Russos Nova Zemla & fluvius Oby constrinxit. Primi Hispani Atlanticum Oceanum lacessere ausi, tandem naturæ claustra perrumpentes, Occidentem pariter & Orientem navigari posse, cæteris populis ostenderunt. Ita profugæ ex ARCA NOÆ & amissæ longa commerciorum desuetudine gentes, iterum in notitiam venerunt ac JAPHET fines suos toto orbe terra marique dilatavit. Et quanquam primo congressu asperæ

ræ rixæ ; illis originem communem abnuentibus (adeo Barbaries invaluerat) Europæis eam armis asserentibus: mox tamen castigati ob immania, in mores nostros, non absque ingenti cæde, transierunt. His initiis cæteri quoque Europæi animati, & ipsi orbem circumnavigare: bona sua remotis illis gentibus communicare: eorumque invicem recipere ; quicquid hactenus ignorantia & dissidiis avulsum , classibus conjungere , atque ita novam quasi ARCAM NOÆ construere , in qua cuncta terrarum mariumque concluderentur.

Præ cunctis nationibus

Batavos quoque igneus ille vigor inceſſit, ut dum domi & in continente Libertatem Naſſaviis Ducibus propugnant, etiam maria conſcenderent & remotiſſimos orbis populos, ejuſdem ſecum originis, tanquam FRATRES ac Socios, muneribus, legationibus, commerciis, ſalutarent. Favit numen Herculeis auſibus: Oriens dextram, Occidens ſiniſtram porrexit, & BENE BENE Batavis apprecatus fuit.

Poſt illa, velut migratione facta, coloniis toto orbe ſparſis, Solis curſum territorii ſui amplitudine coërcuerunt. Hybernatum in Nova Zemla & glaciali Spitzberga, ut ubi

ubi natura deficit & incolas abnuit, ibi demum Batavæ gentis indefatigabilem cessare industriam, pateret. Incognitus versus Austrum orbis arenas suas & silentes solitudines, incerto etiamnum, quid ibi suo abscondat natura sinu, scrutantibus objecit & curiositatem vel elusit vel distulit. Ita qua

Fata Deusque sinebant,

Glacialem Oceanum & sabulosa deserta, terminos Imperii sui & navigationis statuerunt. Non, ut Barbari, excidio populorum, destructione urbium: sed commerciis, humanitate, ac quod præcipuum, Religione ac Justitia.

Imma-

Immanis Javanus dum Novam Bataviam procul adſpicit, conditores ejus ſupplex veneratur. Exultant gaudio Moluccæ. Ipſa Taprobana, Salomonis Parvaym & Ophira, nunc Zeylon, Cinnamomi dites ſylvas, & odoriferos colles gratabunda offert. Inde opulenta Mogolum & Perſarum Imperia in ſocietatem veniunt. Malabares & Choromandeli; tum commerciis gravis & linguæ potens Malacca, auream aperit Cherſoneſum & ad Sinas Japonioſque manu ducit. Stupet Tartarus ab extremo nuper profectus Oceano dona Batavica & dum longiſſima terrarum mariumque inſpicit,

ſpicit, quis ille tam audax contemtorque periculorum animus, ſecum muſſat nec profiteri diſſimulat. Atque hæc mari.

Jam quanta terrarum certamina toto jam ſeculo, contra ferociſſimos & toto orbe potentiſſimos hoſtes ſuſcepta pariter & profligata? quæ ſi quis enumerare velit omnia, illi quicquid antiquitas bellorum geſſit, in ſubſidium vocatum, non tamen magnitudinem exhauriret. Scipio Karthaginem, Titus Hieroſolymam, Corinthum Mummius, deletas longa obſidione & totius Imperii viribus jactent: unica OSTENDA omnem eorum gloriam ab-

olet, quam toto triennio defendi, ab hoste capi non potuisse, sed cadaver ejus & bustum, lacera valla, dirutos portus, & Cœmiterium non Civitatem, præmium scilicet tot laborum, ei relictum, omnis posteritas mirabitur. Cæsæ Flandrico prælio invictæ hactenus Campo legiones; P. Æmylii, Phalange Macedonica ad Olympum & amnes Æsonem Leucumque, unius horæ spatio deleta, gloriam æquarunt. Inde perruptis clathris LEO BELGICUS jubas excussit, ungues hactenus nulla sane formidine, sed magnanimitate reconditos exeruit, &

Quantus in armis
Quo turbine torqueat hastam, toti

toti orbi oftendit. Duodecim annorum, velut quieta intercapedine, conquievit, fed ut fortior ac terribilior infurgeret, & datus tum virtuti ejus patens magnufque, turbata jam Germania, nec Galliis quietis, campus. Ita quo magis urgeri ab hofte, eo ille horrendum rugire: nunc Grollam, mox Vefaliam, inde ipfam toties fibi datam iterumque faucibus ereptam Sylvam Ducis & cognatione junctam avita, vicinam Bredam, non prætermiffo Rheni, ubi Vahalis divortium facit, fortiffimo clauftro, ambire pariter & victricibus armis potiri. Hinc ad ulteriora curæ; & Hul-

Hulſtam ac Gandenſium cataractas metam tum victoriarum ſuarum invictus LEO ſtatuit. Ut de eo, Pace parta dici potuerit: RECUBUIT UT LEO: QVIS EXCITABIT ILLUM?

Perpetua inter ſe ab orbe condito gentium certamina fuerunt; ſive ea ambitionis vis eſt, ut compoſita perpetuo turbet; ſive habendi lubido, jus violandum cenſeat. Trojam Græci delent dum Helenæ raptus prætexitur. Karthaginem Romani, quod *nimium vicina* eſſet. Perſæ dum Europam appetunt, Aſiam amittunt. Alexandri ſucceſſores, ex ſociis hoſtes facti, Barbarorum præda

præda fiunt. Parthi, Bactriani, Indi, Seleucidas pellunt. Parthos Persæ, Persas Saraceni: hos Turcæ; Turcas Tartari, Tartaros, Usbeki, velut

Littora littoribus contraria, fluctibus Undæ.

Tartari Transoxiana pulsi, Indos Potanenses solio deturbant: hi Decanenses, Cuncamenses & Siamenses. Ita velut in æstu maris circuitu facto, iterum Tartari à Septentrione murum Sinicum perrumpunt: continuo triginta annorum bello vastissimum illud Imperium destruunt & ex Comato Tonsum reddunt. Profugi Sinæ, dum Caput quam Comam perdere malunt, nova regna condunt, & instar

instar Trojanorum, Oceani Indici insulas, multitudine sua implent. Dum Oriens usque adeo totis turbatur regnis, Occidens quoque,

In sua victrices convertit viscera dextras.

Vix composito bello Germanico, Polonia & Russia in Theatrum prodeunt; mox Septentrio totus inhorruit: inde brevis pax, velut gladiatores viribus exhausti, respirare solent. Post exiguam pausam Turcæ Wagam ungulis equorum pulsant & Canisam trepidante Danubio asserunt. Illis compositis, denuo Europa terra marique ad arma provocat & novam bellorum telam hoc anno orditur.

Quæ quidem omnia, WILHELME PRINCEPS CELSISSIME, tuam juventutem tot eximiis & illuſtribus ornatam cœli terræque dotibus, ad pietatem, juſtitiam, manſuetudinem, conſtantiam, aliaſque Heroicas virtutes, quarum hoc ævo tam rarus apud Potentes proventus eſt, excitare & inflammare debent. Habes majorum tuorum, non illas mutas, ſed rerum magnitudine geſtarum loquentes vivaſque imagines.

ADOLPHUS Naſſavius Romanum Imperium familiæ tuæ primus intulit nec niſi cum vita poſuit. Inde diffuſa per Germaniam pariter & Gal-

Galliam & Belgium Nassaviæ domus gloria.

Quæ regio vestri non plena laboris?

WILHELMUS I. abavus tuus pereuntis misertus Belgarum libertatis, sanguinem suum pro ea devovit & votum solvit, dum bello invictus, sicarii manu, Delphis cecidit. *Non ulla tulêre Secla Parem.*

Inde pleni sunt Annales, etiam hostium; & fides Historiarum laboraret, nisi recens adhuc memoria esset. Quæ quidem quoties in hac tenera & ad maximas destinata spes, ætate tua, PRINCEPS CELSISSIME, vel ipse legis, vel à majoribus, qui spectarunt, qui interfuerunt,

narrari audis, quid aliud in generosissimo animo tuo, quam Religionis Libertatisque defendendæ studium & majorum præclarissima facta æmulandi ardor, exoriri queant? sicut Ascanius:

Optat aprum aut fulvum descendere monte Leonem.

Habes domesticum Principalium studiorum directorem Vir. Cl. *Henricum Bornium*, qui avidum Heroicarum virtutum animum præceptis sapientiæ imbuit & velut alter Aristoteles Alexandrum nostri seculi constantibus exemplis firmat. Habes Aviam *Celsissimam* AMELIAM, cujus pietati, prudentiæ, & capacissimo

rerum ingentium animo cunctæ Principes nostri seculi sceptra submittunt: quæ magnanimitate Liviam, prudentia Amalasventham, studio pacis Placidiam superat. Jactent suam Assyrii Semiramin, Boudiceam Britanni, Margaretham Dani: unica AMELIA singularum virtutes ita possidet, ut nostro seculo omnium instar sit.

Nec jam aliud restat CELSISSIME PRINCEPS, nisi ut, qua cœpisti à teneris virtutis via, eam strenue imposterum insistas, DEO PATRIÆQVE te totum consecres. Magna ea felicitas Principibus & Regiis nasci familiis: Major, nativitatem præclaris

claris & Ecclesiæ ac Reipublicæ utilibus factis superare: Maxima, in summa fortuna servare modum ac humanitatis meminisse.

Quotiescunque prodibis in campum, MAURITIUS, tibi, longa Cæsarum & Electorum Germaniæ pariter ac Galliæ Principum animatus sanguine generoso, victor, felix, invulnerabilis, occurret, & ACHILLES BRANDENBURGICUS, cujus HEILBRONNÆ supersunt invictissima monumenta, tibi comes erit.

DEUS te, POTENTISSIME PRINCEPS, omni benedictionum, cœlestium pariter ac terrestrium abundan-

 tia

tia cumulet atque exornet: tibi vitam longam, valetudinem firmam, florentem domum, consiliarios fidos, dextram bellatricem, Cor intrepidum, animum divini pariter & humani juris capacem, victoriam de hostibus & triumphos, Majorum Gloriam, & quicquid nos petere, tu optare potes, Clemens, Misericors, largiatur. Lugd. Bat. xx. Febr. cIↃ IↃ CLXVI.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

IMperiorum per Orbem terrarum omnium Originem, successiones, incrementa, decrementa conjunctiones, divisiones, exitus & de gente in gentem translationes, compendio referre & totum opus ARCAM NOÆ *inscribere visum fuit, Amice Lector: ut quemadmodum provinciæ civitatesque in Geographicis mappis ordine pinguntur,*& è tabulis pictos ediscere mundos *quilibet, etiam regionum cætera & peregrinandi ignarus potest: ita non minus Imperia & regna ordine digesta, quo majori sunt & locorum & temporum ambitu, eo angustiori spatio nunc constricta, se spectantibus pariter ac legentibus ingererent. Præcipuus labor fuit ordinem reperire & quæ aliis fere prætermissa sunt, velut ex puteo Demo-*

 criti,

criti, exantlare, aut à ripa Lethes scapha soluta, in apertum humanæ notitiæ Oceanum transferre. Itaque opus erat omnium gentium memorias excutere, & ex vastissima sylva nonnisi robora quercuum & Idumæas palmas & Libani cedros exscindere, relictis quæ humilia, & ipso solo repentia, calcari potius quam procul aspici cum veneratione merebantur. Usus quidem hujus à nemine hactenus tentatæ tractationis hic præcipuus est, quod quemadmodum in horologiis singularum rotarum & partium ea est connexio & mutua necessitas, ut si una cesset aut vitium faciat, totum simul opus laboret: ita in hac rerum humanarum compage, Imperia, Regna, Principatus, Respublicæ, Societates, tanta connectuntur divinæ providentiæ admirabili vicissitudine, ut vel concordia mutua stent inconcussa ac floreant, vel si

Dira occupet omnia Erinnys,

mutua se collisione frangant ac comminuant.

nuant. Quod quidem toto opere inspecto manifestissimum fiet. Neque vero casus præliorum, obsidiones urbium & alia quæ prolixissimè ab ipsis scriptoribus commemorantur, repetere necesse fuit; illa enim ingentibus voluminibus & compendio quoque passim extant: nostrum opus peculiare plane & novum est, perpetua serie connexam ostendens totius orbis Politici seriem. Ac de rebus quidem Ante diluvium *pauca tradi potuerunt. Post* diluvium *insignis illa divisio* Orbis *in tres partes pro numero filiorum* Noachi, *unde etiam titulum operis* ARCAM NOÆ *fecimus. Hinc origines gentium & primævæ sedes & regionum civitatumque nomina repetuntur. Cætera ex Historicis petenda fuerunt quæ ad Imperia eorumque casus spectabant. Ac vix dici, nedum credi potest, quantum sæpe studii in re, ut prima facie quis existimaret, exigua, quantum temporis collocandum fuerit, antequam omnia eo quo jam sunt ordine, id est suo*

& naturali, digererentur. Itaque a multis jam annis in eo occupatus fui, nec festinari potuit quod tam intricatum erat & toto dispersum orbe Imperiorum regnorumque corpus, ut vera facie & omnibus membris connexa compage conspiciendum se praeberet. Praecipuus in Barbaricis, ut loquuntur, labor fuit, quae Europaeis hactenus neglecta aut confuse tradita, molestissimas difficultates pepererunt, quas quidem perrumpere necesse fuit nisi imperfectum & mutilum opus relinqueretur. Itaque nihil, cujus quidem notitia extat, aut ad nos pervenit, omissum; omnia etiam minima studiose conquisita & in hanc exiguam, si spectes, molem, caeterum cujus ingens erit usus ad Chronologiam, quae sequetur, intelligendam, digessimus. Liberanda etiam fuit juventus ab inutili & taedioso labore quem impendunt in legendis Historiis, dum ipsi inquirere student ea quae aetatem hominis postulant. Itaque his veluti Daedali alis adjuti facile mare

Creticum transvolabunt illæsi, cum alias ceree alæ & debiles lacerti ac audax animus Icarias aquas nomine signet. Quamcunque nunc partem Historiarum (quod quidem studii genus inter humana pulcherrimum esse, & Rectoribus Rerumpublicarum peculiare constat) aggredientur, unde incipiant, ubi desinant & quousque in hanc velut Arcam Noæ, *id est, generis humani diffusissimam toto orbe propaginem penetrarint, cognoscent. Ut quantum progreßi, quid reliquerint à tergo, quid ad latera & ante faciem peragendum supersit, brevi intuitu cognoscant. Atque hæc obiter nunc commemorasse satis sit. Plura enim de usu hujus instituti tunc commemorabuntur, ubi ipsa* Chronologia & Geographia, *quibus Historia tanquam Luna minoribus stellis prælucet, prodibit. Potuisset equidem hæc ipsa* ARCA NOÆ *ad Origenianam mensuram spatiis & materiis dilatari: sed prævertere visum ad alia & ipsa brevitate*

vitate

vitate magnitudinem Operis ostendere, sicut Archimedes in exiguo vitro mundum. Hisce vale, LECTOR: *sed monitum te volo partem hanc primam totius operis esse: sequetur pars altera, quæ Principum omnium & Rerumpublicarum per orbem terrarum seriem, eodem ordine complectetur.*

GEOR-

GEORGII HORNII
HISTORIA.

Historia est rerum gestarum narratio.

I. *Complectitur ab Orbe Condito ad præsentem annum* cIↃ IↃ c LXV. *annos* V cIↃ IↃ c LIX. *quod per has periodos demonstratur. A creatione ad Diluvium effluxerunt anni* cIↃ IↃ c IVI. *ad inaugurationem Templi Salomonis anni* IIIcIↃ. *ad natum Christum anni* IV cIↃ *ad hunc præsentem annum* cIↃ IↃ c LXV. *anni : in universum* V cIↃ IↃ c LXIX. *quia vulgaris æra* Dionysiana *quadriennii defectu laborat ac secundum accuratiorem calculum pro anno* cIↃ IↃ c LXV. *scribendi sunt anni* cIↃ IↃ c LXIX.

Estque Divina & Mundana.

Divisiones Historiæ hactenus confusius traditæ ita se habent. *Historia* est vel Divina vel Mundana. *Mundana* est Mechanica, Chimica, Philosophica. *Mechanica*, Opificiorum, Architecturæ *Chimica*, Vegetabilis, Mineralis, Animalis. *Philosophica*, Intellectualis, Ra-

tionalis, Naturalis. *Intellectualis*, Metaphysica, Mathematica (*Arithmetica, Geometrica, Chronologica*) *Rationalis*, Logica, Rhetorica, Poëtica. *Naturalis*, Cœli, Aëris, Terræ. *Cœli*, Astrologia. *Aëris*, Meteorologia. *Terræ* exterioris, Geographia, Botanica, Zoographica. *Interioris*: Salium, mineralium, metallorum. *Zoographica*, Anatomica, Medica, Sensualis, Ethica. *Sensualis*: Visus (*Optica*) Soni (*Grammatica, Musica*) figuræ (*Graphica.*) *Ethica*, Oeconomica, Politica. *OEconomica*, Κτηʒικὴ, Χρηστικὴ. Κτηπκὴ Animalium *Cicuratarum* (pecuaria, apiaria, serica) *ferarum* (aucupium, venatio, piscatio.) Χρηστικὴ: *Victus* (cibi, potus.) *Amictus* (pellium, lanæ, lini.) *Domus*, Suppellectilis, (fabrilis, fossilis, librariæ, vectoriæ.) *Politica* est *Universalis, particularis, singularis*. Nobis brevem & perspicuam ad Historiam Politicam Universalem Introductionem tradere animus est, cæteris partibus in aliam occasionem dilatis.

HISTO-

HISTORIA POLITICA Universalis tradit Imperiorum omnis ævi res maximas.

Versatur Historia Politica *Universalis* circa *imperia:* sub quibus regna & Respublicæ comprehenduntur, eorumque res maximas, omissis & ad particularem ac singularem Historiam relegatis rebus minorum Principatuum, nationum, & personarum. Neque unius tantum ævi sed omnium temporum, ab orbe condito ad nostram memoriam res, quantum quidem nobis constat, complectitur.

Estque *hujus* seculi & *futuri.*

Hæc distinctio, hactenus in Historiis neglecta, probatur ex Esa. IX. 6. 7. Matth. XIII. 40. XXIV. 14. Luc. XVIII. 30. XX. 35, 36. Johann. XVIII. 36. Gal. I. 4. Eph. I. 21. Hebr. II. 5. VI. 5. Ea etiam Rabbini utuntur.

Hujus seculi est *Antediluviana, Subdiluviana, Postdiluviana.*

I. Quippe triplex Mundi hujus status fuit. *Antediluvianus* ab Orbe Condito usque ad diluvium; *Subdiluvianus* ab initio diluvii ad exiccationem terræ & egressum ex arca. *Postdiluviana* ab egressu ex arca ad nostram memoriam.

 II. Com-

II. Complectitur à *Creatione* Mundi ad præsentem annum cIↄ Iↄ CLXV. annos V. cIↄ Iↄ C LXIX. secundum Usserii calculum, quem cæteris omnibus in Historia & Chronologia præferendum censemus ob has rationes. 1. Quia Codici *Hebræo* innititur: ex quo solo, tanquam Authentico & Originali, ut rerum, ita & temporum vera series petenda est; non vero ex corruptis *Græcorum Samaritarumve* versionibus aut *Apographis*, in quibus ratio annorum turpiter confusa, corrupta & distorta reperitur, prout jam ab aliis prolixe ostensum fuit. 2. Quia numeris *rotundis* constat; Unde facilior longe supputatio nascitur, quam si aliorum fractos annos sequaris. Quippe medium inter creationem & finem mundi temporum spatium exacte incidit in ann. cIↄ cIↄ cIↄ. quo dedicatum fuit Templum *Salomonis*. Ab eo ad Christi *Nativitatem* intercedunt iterum præcise anni mille: Christus enim natus A. M. IV cIↄ. Ita ab orbe creato ad Christum natum annos IV cIↄ. habemus: quibus si addas æram Christi vulgarem cIↄ Iↄ C LXV. totum quod à creatione effluxit tempus ann. erit VcIↄ Iↄ C LXIX. Quandoquidem autem deprehensum fuit vulgarem æram ChristiDionysianam quadriennio deficere; hinc quatuor additis annis, tota temporum ratio annos VcIↄ Iↄ C LXIX. complectitur. Traditio domus Eliæ fuit: *Sex annorum millia mundus: duo millia*

millia INANE: *duo millia* LEX: *duo millia dies* MESSIÆ.

III. Creatus fuit Mundus XXIII. Octobris, annis ante æram Christianam accuratam IV cIↃ IV.

IV. Quanquam vero calculum Usserii ob numeros millenarios rotundos maxime facilem, accuratum, Historiis digerendis idoneum statuamus; eoque in nostris commentationibus uti statuerimus: non tamen aliorum, qui ab eo annis aliquot discrepant, rejicimus, sed cum eo conciliari haud operose posse arbitramur.

Omnium *Chronologorum* qui quidem Hebræum Codicem sequuntur, summa differentia annorum circiter *centum* est. Id quod collatione mortis Alexandri clarius patebit. Mors Alexandri ab omnibus collocatur in Olymp. CXIV. Sed ad quem Mundi annum illa Olympias referenda sit, inter se discrepant, ut ex laterculo patet.

Capell.	Scal.	Petav.	Usser.	Henr.	Phil.	Torniell.	Salian.
3607.	3627.	3660.	3681.	3717.	3729.	3730.	

Differentia inter eos qui *minimos* & qui *maximos* habent numeros, annorum est centum viginti trium. Medium fere tenent *Petavius* & *Usserius*.

Hujus differentiæ *primus* fons ex natali *Abrahæ* profluit, quem alii natum statuunt anno Tharæ LXX. alii anno Tharæ CXXX. Hinc emergit differentia LX. annorum inter Chronologos, qui authenticum originalem Hebræum codicem se-

quuntur. *Secundus* fons ex annis *Iudicum* ac *Regum* derivatur, in quibus itidem inter se non conveniunt; aliis plures, aliis pauciores supputantibus. *Tertius* à diverso LXX. septimanarum principio ac fine: in quibus *Usserio* ac *Baylio* satis bene convenit: sed *Marsham* immane quantum discrepat, qui eas inchoat anno I. *Darii* Medi, terminat in profanatione templi facta ab Antiocho Epiphane: cujus contra tot præstantes Chronologos *nulla* plane habenda est ratio. Et si conatus tot præstantium virorum intueamur, qui in *conciliandis* his annis, vel *corrigendis* aliorum erroribus occupantur, res humano ingenio insuperabilis videtur, exactam dare annorum à condito mundo supputationem, quæ nulli sit obnoxia difficultati aut scrupulo. Recentissimus qui studium hac in re ingens posuit, *Robertus* Baylius, ne ipse quidem vel *Usserii* calculo acquievit, vel accuratiorem prodidit. Is igitur ex illa quam amplectitur hypothesi, *Abrahamum anno Thara* LXX. natum, talem calculum habet; quem cum annis Armachani contendemus ut differentia appareat:

		Bayli.	Differ.	*Usser.*
A creat.	ad *Diluv.*	1656.		1656.
	ad *Exitum*	2456.	57.	2513.
	ad *Templum*	2932.	68.	3000.
	ad *Evers.* I.	3360.	56.	3416.
	ad *N. Christ.*	3945.	55.	4000.

Summa

Summa igitur inter *Armachanum* & *Baylium* differentia eſt annorum LXVIII. minima LV. quæ ſane tanti non eſt, & facile conciliari poteſt, ſexaginta illis annis, de quibus in nativitate Abrahami diſceptatur, vel *ſublatis*, vel *additis*. Tum enim octo tantum annorum differentia ſupereſt, quæ nullam difficultatem procurare poteſt.

Quod ſi quis omnino in ea opinione, *Abrahamum* anno Tharæ LXX. natum, perſeverare velit, ei integrum erit amplecti vel *Scaligeri* vel *Mercatoris* Chronologiam. Inter *Scaligerum* & *Uſſerium* differentia eſt annorum circiter LIII. uſque ad nativitatem Chriſti. Ergo ſi de numeris Uſſerii tollas LIII. habebis calculum Scaligeri: ſi Scaligero addas LIII. habebis Uſſerii annos, ſaltem differentia vix unius alteriuſve anni erit. Atque ea ratione omnium Chronologorum authenticum & originalem Codicem Hebræum ſequentibus, diſcrepantes ſupputationes conciliari poſſunt.

Gerhardus Mercator accomodavit Chronologiam ſuam dicto domus Eliæ: *Sex millia annorum Mundi & poſtea deſtructio. Duo millia* INANE: *duo millia* LEX: *duo millia* CHRISTUS, *& ſi quid ex his deerit, deerit propter peccata noſtra.* Hæc, inquit Mercator, *exacte reſpondere inveniuntur. Ævum* INANE *exquiſite terminatur ad evocationem Abrahæ ex Hur Chaldæorum.*

Secundum in morte Chriſti. Tertium quouſque ſupplendum ſit, novit ſolus cœleſtis pater. Igitur Mercator tempora in tres claſſes diſtinguit: INANE à creatione ad evocationem Abrahami 2000. annorum. LEGEM, ab evocatione Abrahami ad mortem Chriſti 2000. annorum: ita ut mors Chriſti exacte incidat in annum Mundi 4000. GRATIAM à morte Chriſti ad conſummationem ſeculi, indefinitorum annorum, donec finis ſeculi hujus advenerit.

Ita *temporum* ratione obiter, quantum præſentis inſtituti ratio poſcebat, definita, unum adhuc & id quidem ſingularis per omnes gentium Hiſtorias *utilitatis* ac *neceſſitatis*, monendum eſt, *Cenſorinum* tria Hiſtoriarum tempora, ἄδηλον, μυθικὸν & ἱστορικὸν, tradidiſſe. *Triplex* igitur hoc tempus in Hiſtoriis accurate diſtinguendum & obſervandum eſt, niſi omnia corrumpere & ima ſummis miſcere velimus. Singulorum populorum Hiſtoriæ conſtant ex triplici hoc tempore. Habent omnes & ἄδηλα & μυθικὰ & ἱστορικά.

Tempus ἄδηλον eſt quaſi *nox* & vaſtum *ſilentium* rerum geſtarum, quæ vel *nullæ* adhuc fuerunt, vel poſteritati non *traditæ*, vel longa vetuſtate iterum *abolitæ* & variis caſibus *deperditæ*. Atque talia ignorantiæ tempora occurrunt apud illos imprimis populos, qui rudes litterarum & incultis moribus fuerunt, quales in univerſum *Scythæ, Celtæ* & *Æthiopes*, quorum omnis

omnis antiqua memoria perpetua oblivione & inscitia sepelitur, nisi quantum hinc inde in cultiorum populorum rebus, sed obiter & neglectim, memorantur. Prout vero unaquæque gens maturius literarum notitiam & humaniorem cultum accepit, eo diligentiores fuerunt in rebus suis posteritati tradendis, quod exemplo *Chaldæorum, Ægyptiorum, Phœnicum, Græcorum, Romanorum*, patet; hi enim soli populi antiquissimas habuerunt, post *Hebræos*, literas, & primi omnium Philosophia ac liberalibus artibus exculti fuerunt. Vnde non contenti vera tantum tradere, innumeras fabulas suis rebus immiscuerunt & vacuum illud ac inane, quod in tempore ἀδήλῳ occurrebat, totum partim *ridiculis* & *incredibilibus*, partim in speciem Historiæ *confictis* & *adornatis*, expleverunt. Atque huc pertinet universus ille apparatus *Mythicus, Physicus, Ethicus, Theologicus*, in quo res *naturales*, vel quæ ad *vitam* & *mores* spectant, aut *cultum* Divini numinis, Religionem ac sacra concernunt, sub variorum Deorum, Regum, Principum aliorumque hominum *persona* describunt. Hinc antiquissimi illi *fabulosorum* Regum ac Heroum Catalogi, quibus frontispicia Historiarum suarum exornant & perpetua eos serie non modo ante diluvium, verum Creationis quoque tempora, ad nostram memoriam, deducunt. Quas nugas si quis *Historica* fide amplectatur ac iis *Chronolo-*

gias & *Annales* impleat, quid facit aliud quam quod cum delirantibus delirat, & Chimeris chartas ſuas implet? Atque hoc cultiorum populorum exemplum *Barbari* quoque, cum literas, quanquam ſero accepiſſent, imitati fuerunt; nam & ipſi ignota tempora abſurdis & ſtolidis fabulis ſtiparunt ne rudiores cæteris viderentur.

Ita igitur manifeſtum eſt omnem Hiſtoriam, tam ante quam ſub & poſt diluvium, habere ſuum ἄδηλον, μυθικὸν & ἱστορικόν: prout ſigillatim progreſſu operis oſtendemus, ſeparando quicquid *falſum, fabuloſum, incertum* eſt, ab eo de cujus *veritate* vel *probabilitate* dubitari non poteſt. Soli *Hebræi* divino privilegio excipiuntur, quorum Hiſtoria, quantum ſacris Scripturis continetur, indubitatæ veritatis eſt, in qua neque ἄδηλον neque μυθικὸν datur; ſed *conſtans* & *perpetua* temporum, hominum rerumque à Creatione ad Diluvium, inde ad reditum Judæorum ex Babylone Hieroſolymam ſucceſſio traditur. Quod ſpatium annos fere ter mille quingentos & totum illud tempus, quod gentiles *ignotum* & *fabuloſum* appellarunt, complectitur. Quamprimum enim Hiſtoriæ *Sacræ* deſinunt, *profani* Scriptores incipiunt jam res abſque fabulis & confuſione temporum exponere, cujus quidem initium apud *Græcos* incidit in primam *Olympiadem*, apud *Romanos* in *Urbem* conditam, apud *Chaldæos* & *Ægyptios* in æram

Nabo-

Nabonassari, quæ omnes *Epochæ* sunt quasi *stellæ* & *phari* tenebras seculi fabulosi depellentes & claram Historiarum facem accendentes. Ac memorabile est tres illas famosas *æras* eodem fere tempore, certe uno seculo & paucissimorum annorum intercapedine exortas. *Olympiadum* initium cadit in A. M. 3228. Ante Ch. 776. *Romæ* Conditæ in A. M. 3256. Ante Christum 748. Epocha *Nabonassari* in annum sequentem Mundi 3257. Ante Chr. 747. id est in ipsum illum quo *Sardanapalus* periit annum, cum quo Deus quasi sepelire voluit tempus fabulosum & Historicum apud gentiles excitare.

V. Regnatum ante Diluvium fuisse, imprimis in *Kaini* familia, vix dubitandum est. Eadem enim primi illius Orbis facies quæ post diluvium per annos 1656, neque alii hominum mores aut actiones. *Postquam exui æqualitas, provênere dominationes.* Tacit. 3. Ann. Atque huc pertinent *segreges* illi dominatus, quorum Plato 3. Leg. meminit. Certe *Augustinus* septem à Kaino Reges in urbe *Hanoch* regnasse putat. Et hi forte sunt illi ab *Aloro* ad *Xisuthrum* Reges Chaldæorum, quorum nomina & annos *Abydenus* & *Apollodorus* apud Africanum Eusebii tradunt. Quintus *Metalarus* nomen *Metusalæ* haud obscure repræsentat.

VI. *Enochi* ex Setho memoria apud Ethnicos superstes mansit, de quo Stepha-

nus in Ἰκόνιον: Ajunt Iconium *Annaci* fuiſſe urbem, qui vixit ſupra trecentos annos: poſt cujus obitum diluvio Deucalionis omnes perierunt. Alii *Cannacam* vocant. Et hic forte eſt ille *Cainan*, quem ante diluvium ſuper totum mundum regnaſſe & in India ſepultum volunt Judæi. Muhammed in Alcorano *Idris* vocat. Trium igitur urbium antediluvianarum memoria extat, *Hanochiæ, Iconii*, & *Ioppes*. De *Ioppe* Plinius II. 13. *Ioppe Phœnicum antiquior terrarum inundatione ut ferunt*. Mela: *Ioppe ante diluvium, ut ferunt, condita*. Niſi tamen *Hanochiam* & *Ioppen* unam fuiſſe urbem ſtatuas, quod vero non abſimile, quia *Hanochiam* ad montem Libanum ſitam volunt, unde haud longe diſtat *Ioppe*. Ac fortaſſe per *Hanochum* Caini filium antiqui etiam *Annacum* vel *Cannacum* ſuum intellexerunt, à quo conditam volunt urbem *Iconium*, cujus nomen haud multum abludit.

VII. Quid vero judicandum ſit de illis *Chaldæorum, Ægyptiorum, Sinenſium, Indorum*, antiquitatibus, quæ ipſum non modo diluvium, ſed mundi originem multis non ſeculis modo, ſed annorum myriadibus ſuperant; id ex Sacris Scripturis cuivis Chriſtiano manifeſtum apparet. Velle enim ex fabuloſis gentium Hiſtoriis *Moſen* redarguere, eſt in *Præadamitarum* impia caſtra tranſire & fidem abnegare: aut ex *Sinenſium* & *Ægyptiorum*

Anna-

Annalibus *Hebræum* textum corrigere eique corruptas & inter se pariter ac cum veritate, quantum ad annos & temporum supputationem pugnantes, *Græcorum* aut *Samaritarum* versiones præferre ac mundi ætatem quatuordecim & quod excurrit seculis augere, est divina pariter ac humana confundere; quemadmodum contra illum novatorem, Christiani orbis & omnium doctorum communi consensu demonstratum ac decretum fuit.

VIII. De *Sinensium* Annalium fide, quandoquidem nostro demum ævo in lucem prodiêre ac uni vel alteri gravem errandi contra *fidem* Scripturarum ansam præbuêre, pauca quædam addenda sunt, quatenus res ante diluvianas complectuntur. Recensent Sinenses *septem* qui ante diluvium regnarint Imperatores, quorum primus *Fohi*, postremus *Yai* appellatur, in cujus ætatem diluvium Noachicum incidit, ipso fatente *Martinio* Sinensium Annalium vel *auctore* vel *interprete*. Et sub quinto Imperatore *Chuentrioioo* accidisse dicitur famosa illa *quinque* Planetarum cum Sole & Luna conjunctio, quam etiam Europæi nonnulli Astrologi Noëtica ætate ante diluvium fuisse asserunt. Patet igitur primos illos Sinensium Imperatores à Fohio vel Xinnungo non esse rejiciendos in tempora post diluvium, multo minus diluvio Mosaico totis quingentis annis posteriores statuendos, quod nuperus

perus fabulosæ Chronologiæ autor fecit.

IX. Si igitur Annales *Sinensium* superant diluvium, sequitur omnem gentis Historiam usque ad diluvium, vel *confictam* fuisse, vel ea narrare quæ ante Noëticam eluviem contigere, quorum in *arca* fortasse servata memoria. Posterior sententia non adeo improbabilis videtur, si *Fohium* Sinensium, Mosis *Adamum* esse statuamus, id quod traditiones Sinensium haud obscure innuunt. Nam è *matre* sine *patre* natum fuisse, volunt. Mater *terra*, sive *pulvis*, unde *Adam* creatus. Tempora quoque non refragantur. *Fohii* enim ætas in annum Adami fere I> incidit. Quæ si quis admittere nolit ob illud temporis intervallum, conficta ab illis & ad *obscuram* quandam Patriarcharum, qui ante diluvium vixerunt, umbram delineata fuisse, quicquid Sinenses de primis illis Imperatoribus tradunt, liberum esto statuere.

X. Fuisse autem ante diluvium Sinam habitatam, de eo Martinius se haudquaquam dubitare profitetur his verbis, *Sinam ante diluvium habitatam fuisse pro certo habeo.* Si igitur ulla in primis illis Regibus Sinarum veritatis vestigia supersunt, tum ita statuendum est: *Cainum*, cum patrata Abelis cæde extorris vagaretur, cum suis in *Sinam* proruisse ibique primum regnasse & esse famosum illum *Xinnungum*. Quid obstat quominus in argu-

mento tam obſcuro & dubio ſaltem in ſpeciem conjecturis utamur, quæ etſi nihil demonſtrent aut probent, ſuſpiciones tamen quaſdam & haud omnino abſurdas opiniones pariant? Eſto igitur, ut jam dictum, *Fohius* Adam, *Xinnungus* igitur erit *Cain.* Non omnino abludit affinitas nominis & non levis ſane inter *Cain* & *Xin* convenientia. Deinde *Cain* agricola fuit. Idem diſertim de ſuo *Xinnungo* Sinenſes profitentur, quem aratrum & alia ruſtica inſtrumenta primum reperiſſe tradunt, unde & *Xinnungi* nomen ipſi impoſitum, quod *ſpiritualem Agricolam* ſignificet. Neque *Caini* vagos errores ac trepidam fugam, in vicinis Edeno locis ſubſtitiſſe putandum eſt, ſed abdita & longiſſime remota loca quæſiviſſe, ut ſe quaſi *occultaret* à facie Dei vindicis, ſimulque aliorum hominum commercia quam longiſſime vitaret. Unde uſque ad *Oceanum* Eoüm fugiſſe ibique finem fugæ cum terris feciſſe putandum eſt, ac terram *Nod*, quæ ad Orientalem Edenis plagam, vix aliam quam *Sinam* eſſe poſſe ſtatuendum eſt. Accedit & mors *Xinnungi* violenta, quem prælio cæſum volunt. De *Caino* antiqua ſane traditio circumfertur, à *Lamecho* nepote interfectum.

XI. Jam ſucceſſores utriuſque & *Xinnungi* & *Caini*, ac num aliqua inter eos convenientia reperiatur, videamus. *Caini* filius fuit *Hanoch*, cujus nomen primæ à

ſe

se structæ urbi Cain imposuit. Xinnungi successor statuitur *Hoangtius*. Quod si ulla argumentis à nominum convenientia deductis vis inesset, certe inter *Hanoch* & *Hoangt* discrimen adeo exiguum, in animis non adeo difficilium suspicionem grandem movere posset, antiquissimorum illorum Sinæ ante diluvium Regum nomina, *Xinnungi* & *Hoangti* ex *Caino* & *Hanocho* esse expressa. Accedit & hoc quod sicut *Cain* pondera & mensuras primus reperisse Josepho dicitur; ita idem suo *Hoangtio* Sinæ adscribunt. Nihil autem repugnat, id quod pater cœpit, filium perfecisse & utrique ejusdem rei inventionem tribui. Id vero quod dicunt *Hoangtium*, non mortuum, sed vivum in montes abreptum ac immortalitate donatum, parum abest quin etiam nolentem cogat fateri antiquissima illa Sinensium Annalium ex Mose utcunque expressa. Duplex apud illum *Hanoch*; unus ex *Caini*, alter ex *Sethi* posteritate. Hunc à Deo ex hac vita abreptum & immortalitate donatum certum est. Quod igitur de *Hanocho Sethi* verum erat, hoc Sinæ suo *Hanocho Cainico* adscripserunt, quandoquidem gloriosum imprimis erat conditores generis ac Reges habuisse Deo tam charos, ut immortalitate & cœlo etiamnum vivi donarentur.

XII. Qui post *Hoangtium* sequuntur, *Xaohanus*, *Chuenhious*, *Cous*, *Yaus*, eorum nomina

nomina nullam quidem cum *Hanochi* posteris *Irad, Mehujael, Metuschael, Lamech* convenientiam habent, ex ante dictis tamen patet, nisi plane fabulosos statuere malimus, non alios quam hos, esse potuisse, ut ex sequentibus quoque manifestum cuivis evadet. Huc accedit ea in numero personarum exacta convenientia. Sicuti enim à *Caino*, ita etiam à *Fohio* ad diluvium usque septem regnasse traduntur.

XIII. Imperatorem Sinensium *Yaum* esse *Noach*, haud obscuris indiciis deprehenditur. *Yaum* enim omnes passim libri Sinici *sanctissimum piissimumque* prædicant, quod elogium cui potius quam *Noacho* conveniat? Præsertim cum sub ipso *Yao* diluvium in Sina fuisse tradant. Cujus quidem argumenti tanta apud Martinium vis fuit, ut in hæc verba proruperit: *Mihi vero religiosum non sit Yaum hunc nostrum eundem cum Iano dicere: ita nominum & temporum affinitate suadente: qui Ianus multis Noë fuisse creditur.* Neque profecto absque magna causa *Noach* Sinensium *Yaus*, Italorum *Ianus*, Græcorum *Deucalion* statuitur. Plurimæ enim gentes hujus *secundi*, ut eum Persæ vocant, *Adami*, memoriam religiose conservarunt, atque inde Origines suas jure meritoque derivarunt. Unde autem nomen *Yaus* vel *Ianus* fluxerit, non adeo obscurum esse potest, si quis Genealogiam

Noachi

Noachi inſpiciat. Cum enim vini primus repertor Noachus fuerit quod יין Hebræis: hinc *Iani* cognomen ipſi à poſteris inditum nemini abſurdum videri debet: unde etiam *OEnotrii* ejus poſteri in Italia dicebantur. Quanquam fortaſſe etiam ad *Iavanem*, Noachi nepotem reflexerunt, qui cum Græcorum ac Italorum conditor fuerit, hinc nomen *Iani* fluxiſſe potuit; quod in Græcia ſane quam notiſſimum erat. Neque Sinenſibus id incognitum. *Yai* enim, id eſt, Noachi ſucceſſorem ſtatuunt *Xunum*, cujus nomen non multum abludit à *Iavanis* vel *Ionis*, pro quo Arabes & Perſæ dicunt *Iunan*, cujus etiam nomine illuſtris in Sina regio hodieque extat. Atque hæc de antiquiſſimis illis Sinenſium ante diluvium ab *Adamo* ſive *Fohio* ad *Noachum* ſive *Yaum* traditionibus per obſcuras & dubias conjecturas, quas cuilibet vel rejicere vel probare licet, dicta ſunto. Si cui diſplicent hæ minutiæ, is ſuo utatur judicio & vel certiora prodat vel brevi compendio, omnia illa quæ uſque ad *Yvum* traduntur, fabuloſa ſtatuat.

XIV. Neque vero mirum cuiquam videri debet, non *plura* in Sinenſium Annalibus Moſaicæ antiquitatis documenta reperiri, ac in pleriſque omnibus longe eos alia ſacriſque literis adverſa commemorare. Mirum potius videtur, ut in tanta antiquitate & fabulantium licentia, ea adhuc, quantumvis tenuia & fere obſoleta,

leta, *Caini*, *Hanochi*, *Noachi*, vestigia superesse: unde *veritatem* sacrarum Scripturarum haud obscure illustrare ac illis gentibus fontes ipsos, unde sua hauserint, recludere possimus. Et causæ fabularum ejusmodi, præter illam communem omnibus gentibus, aliæ peculiares erant, quas ne ipsi quidem Sinæ diffitentur; nimirum suæ gentis Historiam domum *Xuno* post *Yam* imperante inchoatam, necdum typo aut papyro sed stylo *ferreo* foliis incisam. Nondum enim reperta papyrus, multominus Typographiæ ullus usus aut notitia erat. Hinc traditiones incertæ & vacua temporum spatia fabulis à posterioribus utcunque expleta. Non enim existimandum est meliorem Sinensium quam Ægyptiorum, Chaldæorum, Assyriorum aliarumque fere omnium nationum (solis Judæis exceptis) conditionem fuisse.

Antediluviana complectitur res Patriarcharum.

I. Eam tradit *Moses* in Genesi à cap. I. ad VII, ex quo constat ante diluvium duas fuisse Patriarcharum Dynastias ab *Adamo* descendentes, *Sethi* & *Kaini*.

II. *Adam* Græcis Κρόνος, Latinis *Saturnus*, Gallis *Dis*, Germanis *Mannus*. Primum fuisse hominem nuper negavit *Isaacus* Peyrerius quidam. In tribus ejus filiis trium *Saturni* liberorum memoria depre-

deprehenditur. Quippe *Abel* eſt *Pluto*, primus morti & ſepulchro, id eſt inferis traditus. Hinc in Medras *Ruth* dicitur *Kain* primus occidentium, *Abel primus* occiſorum: *Kain* eſt *Neptunus*, habitans in terra *Nod*, vagus ſemper & inſtabilis, ſtructor urbis *Chanoch*, idemque Græcis *ἀγύηρ* & *ἀγελότης* id eſt agricola. *Seth* Jupiter, pater filiorum Dei, in cujus familia invocatum nomen Jehovæ. Quanquam *Cain* quoque pro Saturno habitus fuerit, quia Moſes dicit quod fugerit à facie *Jehovæ* & utitur voce כתר quod *latere* ſignificat. Unde fabula exorta Saturnum à Jove fugiſſe & in Italia delituiſſe. Ex nomine Dei Jehova ipſi fecerunt ſuum Jovem. Et jam Adami tempore privata dominia uſu recepta fuerunt, aut veteri occupatione, ut qui in vacua venerunt, aut bello & victoria poſiti, aut lege aut pactione, conditione, ſorte, ut *Cicero* I. Offic. privatarum poſſeſſionum origines deſcribit. Antiquiſſimus ſine dubio acquirendi mos fuit *Ceſſio, occupatio, donatio, hæreditas*. Ita *Abel* habuit pecora ſua & paſcua. *Cain* agros & ſata & provinciam *Nod* uſque ad urbem *Hanoch*. Idem *ὅρυς γῆς πρῶτος ἔθετο*, *terminos agris primus poſuit*. Joſephus I. Ant.

III. Pertinet igitur ad hanc antediluvianam Hiſtoriam omnis priſca gentilium *Theogonia* & quicquid de ſuis Diis primis & magnis tradiderunt. Nam quemadmodum

dum *Adam* eorum est Saturnus, *Abel*, *Pluto*, *Kain* Neptunus, *Seth* Jupiter: ita *Tubalcain* Vulcanum, *Iubal* Apollinem, *Naema* Venerem vel Minervam, *Iabal* Mercurium indubiè designant. Et ita de reliquis quoque judicandum est. Præter tres illos qui à Mose memorantur, Adam genuisse putatur filios triginta, ut *Augustinus* refert, centum Methodius, duodecim *Philo*, sexaginta Samuel *Solen* in Juhasin.

SUBDILUVIANA complectitur res in *Arca* Noæ gestas.

I. Eam tradit *Moses* Genes. VI. VII. VIII. *Petrus* I. Epist. II. 5. Et huc referenda sunt *Græcorum*, *Sinensium*, *Peruanorum* aliorumque diluvia, quæ ex *Noachico* & *Universali* utcunque expressa videntur: imprimis narratio *Berosi* de *Xisuthro* apud Eusebium. de *Deucalione* Luciani libro de Dea Syria. Habitasse *Noachum* in Mesopotamia, & apud *Σιπφάρων* urbem struxisse arcam sunt ex iisdem antiquis qui tradant: in qua regione etiam ingens *Cupressi* proventus. *Arrian.* VII. *Strabo* XVI. ex qua arbore constructam Moses testatur. Ita enim ligna *Gopher* eruditi explicant. Ego tamen ex *cedris* Libani constructam credo, quicquid nuperus de lignis tetragonis nugetur.

II. *Antediluviana* igitur Historia finem suum tum accepit, postquam totus globus

globus terrestris undique aquis obrutus & submersus fuit, cum interitu omnium non modo hominum verum etiam animalium in terra & aëre viventium & extra arcæ ambitum salutaremque complexum, constitutorum.

III. Furor profecto est cum *Præadamita* diluvium particulare tantum statuere, vel illud intra solam fortasse *Syriam* aut vicinas *regiones* angustis terminis constringere, quam *vesaniam* Deus apud Mosen his clarissimis verbis condemnat capite VII. 17. 18. & seqq. *Factum est diluvium quadraginta diebus super terram & multiplicatæ sunt aquæ & elevaverunt arcam in sublime à terra. Vehementer enim inundaverunt; &* OMNIA *repleverunt in* SUPERFICIE *terræ. Et aquæ prævaluerunt nimis super terram; opertique sunt* OMNES MONTES EXCELSI SUB UNIVERSO COELO. *Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat. Consumtaque est omnis caro quæ movebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium quæ reptant super terram: Universi homines & cuncta in quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua sunt. Et delevit omnem substantiam quæ erat super terram ab homine usque ad pecus, tam reptile quam volucres cœli, & deleta sunt de terra: remansit autem solus Noë & qui cum eo erant in arca.* Hæc pro universali diluvio Moses: quæ tam *clara* sunt ut nemo nisi

nisi *Scripturarum* irrisor ea negare vel elevare possit. Et tamen cum contemtu *Dei*, & *Scripturarum* quærunt *quo pacto animal cui à tarditate incessus* IGNAVI *vocabulum indidere, ad Noachum stabulatum perrexerit & inde denuo novum repetierit orbem, brevique spatio viam confecerit, quam ne viginti quidem annorum millibus naturali gradu devorare potuisset.* Responsum sit his quæsitoribus à *Mose* cap. VII. 8. 9. *De animantibus mundis & immundis & de volucribus & ex omni quod movetur super terram duo & duo ingressa sunt in Noæ Arcam, masculus & fœmina, sicut præceperat Dominus.* Præceptum igitur Domini illud *tardigradum* & *ignavum* animal in arcam compulit. Nam qui uno verbo *fiat* vel *producat*, omnia momento creavit, is quoque uno verbo, *venite*, omnia animalia quæ super terram moventur, etiam spissigradissima & intra viginti annorum millia vix passum conficientia, in arcam compulit. Tunc enim illud impletum fuit: COMPELLE INTRARE. Quod qui credere vel non *vult* ob *contemtum* Scripturarum, vel non *potest* ob vanas & leviculas difficultates, partim ob arcæ nimiam nunc *magnitudinem* nunc *angustiam*, partim ob animalium *velocitatem* aut *tarditatem*, is simul neget *mundum* cum animalibus verbo omnipotente Dei *creatum*, diluvium *terris* immissum, *mortuos* resurrecturos. *conflagraturum* mundum & nomen

suum

ſuum *Chriſtianorum* albo eraſum, *Celſi, Porphyrii, Luciani, Praadamitæ* aliorumque impiorum Catalogo inſcrat. Nam quod *Ægyptii* alias quidem, non tamen ſuas terras diluvio inundatas tradiderunt apud *Diod.* I. & Græci montes *Theſſaliæ* ac *Athamaniæ* exceperunt, *Solino* teſte, Plinius *Umbriam.* III. 14. id ignorantiæ ſacrarum literarum adſcribendum eſt.

IV. Igitur deletis omnibus extra aquas & arcam viventibus, NOACH cum filiis & uxoribus, id eſt *octo* in univerſum homines, conſervati fuerunt. Ita enim *Petrus* I. Ep. III. 20. Unde error non tantum *Græcorum*, qui filias quoque Noachi & earum ſponſos arcæ includunt, ut ex *Conſtantino* Manaſſe patet, confutatur: verum etiam *Tarich* Muſulmannicum & *Talmud* Judæorum vanitatis manifeſtæ redarguuntur. Quorum illud à *Kainan*, magni totius mundi rege, præter Mahaleelem, aliam deducit lineam per quendam *Kaiomarthis* uſque ad Reges Perſicos, quaſi ea pœnas univerſi diluvii extra arcam evaſerit, Judæi vero adhuc magis ridiculi ſunt, qui *Ogum* gigantem credunt, vel *proceritate* corporis, vel quod arcæ *divaricatis* cruribus inequitaret, ſubmerſionem evaſiſſe. LXX. Interpretes cum *corruptiſſimis* numeris ſuis faciunt ut etiam *Methuſala* XIV. annis diluvio ſupervixerit, ex quo vel ſolo craſſiſſimo errore patet quanta illorum in *Chronologia* primæva autho-

authoritas esse debeat. Nam quod *Nicolaus* Damascenus multos in monte *Bari*, præter eum qui arca vectus, quem unicum fuisse vult, & *Græci*, in *Thessalia* & *Athamania* altissimis jugis, Solino, *Ægyptii* eos qui *Ægyptum* habitabant, Diodoro testibus evasisse tradunt; id ipsorum in Sacris Scripturis *ignorantia* imputandum, probandum haudquaquam aut excusandum est.

V. *Nullos* tanta altitudine *montes* esse qui supra diluvii aquas eminerent, & vel *hominibus* vel *animantibus* receptum præberent, hinc patet, quod vapores ex quibus pluviæ condensantur minimum quadraginta vel quinquaginta milliaria eleventur, ut *Clavius* ostendit; *Olympi* vero altitudo perpendicularis non superat unum milliare cum quadrante, quam mensuram *Anaxagoras* cepit, ut *Plutarchus* in Paulo Æmilio refert. Et quanquam antiqui Olympum vertice supra pluvias & ventos eminere tradiderint, ita ut *pulveri* vel *cineribus* inscriptæ ab ascendentibus literæ toto anno non turbarentur: id tamen *Franciscus* Philelphus eodem conscenso monte falsum deprehendit, Ludovico *Vive* in Augustini xv. lib. de Civitate Dei caput ultimum teste. Altissimi montes apud antiquos fuerunt præter Olympum, *Athos*, *Casius* & *Caucasus*: recentiores monti *Teneriffæ* eminentissimum cacumen adscribunt; hactenus enim altior

montis vertex à peregrinantibus reperiri non potuit. *Hujus* igitur montis summum cacumen *quindecim* cubitorum altitudine diluviales aquæ supereminebant.

VI. *Subdiluvianæ* historiæ receptaculum & circuitus est *Arca* Noæ, cujus tanta fuit secundum mensuras *Mosis* magnitudo, ut *Salomonis* templum superaverit, id quod nuperrime Reverendus *Bayli* in Opere Chronologico luculenter ostendit. Capacem omnium quæ Deus conservare decreverat fuisse, insignis Mathematicus *Buteo* peculiari tractatu ostendit. *Navis* figuram habuerit, aut ad navigandum commoda sit, qualem Moses describit, arca, ex *Batavorum* nunc patebit sagaci experimento, quod ne periret, & qui communicarunt, memoria fraudarentur, equidem operæ pretium duco. *Petrus* Reinerus Hornanus civis de arca Noæ interrogatus, Anno 1647. 6. Martii per literas ita respondit: *Primum* in Hollandia *Petrum* Janssen Mennonistam, sive, ut vulgus eum ciebat, Petrum Janssen *Livorn* & ipsum in ea urbe famosum civem, unam atque alteram anno hujus seculi quarto secundum *Arcæ* Noæ proportionem navim per socerum prædicti Petri Reineri struendam curasse. Unam longitudine cxx. pedum, latitudine xx, profunditate xII.

Initio hunc navium struendarum modum *risu* & *sannis* tanquam *plane* absur-
dum

dum & ineptum à nautis exceptum : ut idem imitatoribus, quod etiam *Noacho* contigiſſe volunt, acciderit. Poſtea compertum, tales *arcas* Noachicas, *pacis* tempore omnium aptiſſimas & utiliſſimas eſſe ad commercia exercenda : tum quod *tertia* parte plus onerari poſſint quam *vulgares*, neque tamen *plures* à quibus regantur manus requirant : tum quia *velociori* à ventis in mari quam quæcunque aliarum gentium naves curſu aguntur. Sed *nullam* admittunt, *tormentorum* bellicorum & id genus *armorum* uſum, idque ad inſtar arcæ Noæ, quæ *pacis* non *belli* fuit inſigne, & in qua omnem totius mundi ſalutem & pacem ipſe Deus pacis, tum quidem, excluſis rebellibus & aqua ſtagnatis, concluſerat. Hujuſmodi navium uſus, durantibus induciis, paſſim apud *Batavos* invaluit. *Hæc ille*, quæ hac occaſione, quia de arca Noæ agitur, prætermittenda non fuerunt, cum illuſtrandæ ſubdiluvianæ hiſtoriæ *eximium* præſtent uſum & *curioſis* ingeniis ulteriorem inquirendi materiam ſuppeditare poſſint. Videmus enim vulgo arcam ita depingi quaſi quadratum ejus navi impoſitum fuiſſet, id quod à Moſis deſcriptione multum abhorret. Certe prima navium antiquiſſimarum figura ad inſtar *arcæ* fuit, quemadmodum de Danaë navigante Simonides inquit : Λάρνακι ἐν Δαιδαλέᾳ.

VII. Poſtquam ita annuo ſpatio aquis

arca innataſſet, tandem A. M. 1657. *Armeniæ* montibus impacta, immobilis hæſit. Quales illi montes diverſa tradunt: aliis *Cardyæos*, *Gordyæos*, *Carduchos*, *Cordochos*, nominantibus. Unum cui inſederit *Nicolaus* Damaſcenus *Barin*, Armenii *Aſſe* Maſis vel *Meſſis* Saur, Turcæ *Augridag*, alii aliter vocant. Eſt autem *Caucaſi* inacceſſum præcipitium, in quo arcam, ex qua egredi homines pariter ac animalia debebant, quieviſſe haudquaquam credibile, ſed potius in monte ex quo *facilis* in plana & jacentia deſcenſus eſſet. Superſintne hujus arcæ in montibus illis reliquiæ, ut priſci pariter ac recentiores tradunt, ſi quis ſcire avet, cum ſancto *Iokemo* aſcendat & inquirat: breviori tamen & minus periculoſo experimento *Romæ* in Laterano partem trabis ex arca Noæ depromptam videre, ſi credere vult, poterit.

POSTDILUVIANA eſt vel *antiqua* vel *recentior*.

I. Omnis hiſtoria poſtdiluviana dividitur in antiquam & recentiorem. *Antiqua* illa vocatur quæ priſci poſt diluvium orbis populos ac res complectitur, quorum hodie nomina, imperia, civitates, res, evanuerunt & velut collapſa ædificia in ruinis & ruderibus ſuis ſepulta jacent, neque

neque alium jam usum quam prisca numismata & antiquitates habent.

II. Complectitur ab A. M. 1657. & Exitu ex arca, ad A. Chr. 1665. vel 1669. annos 4013.

III. Quemadmodum vero ante diluvium *Adam* cum tribus filiis suis pro *Saturno*, *Iove*, *Plutone*, *Neptuno* habitus fuit, ut supra dictum: ita de *Noacho* quoque post diluvium, quem Persæ *Adamum* secundum nominant, statuendum est, eum esse gentilium *Saturnum*, Cham *Iovem*, Sem *Plutonem*, Japhet *Neptunum*, ut Bochartus in Phalego operose probavit.

ANTIQUA
Est vel Integra vel Divisa.

Nam initio post diluvium totus Orbis sub unius Noachi tanquam Monarchæ potestate fuit: postea inter ejus tres filios eorumque posteros in tres primo partes, deinde LXXII. populos & tandem innumeras gentes, nationes, provincias, regna, imperia divisus. Urbem à Noacho structam tradunt nomine *Themanim*, id est, *Octo*, cujus meminit *Agathias* lib. IV.

Integra res NOACHI complectitur.

Estque annorum præcise *centum*, à diluvio ad nativitatem Phalegi se extendens,

quam ætatem Poëtæ vocant Seculum *aureum*, quo orbe nondum diviſo Noach in univerſum genus hominum totumque orbem, ut pater in liberos & hæreditatem, naturale habuit imperium. *Omnia* enim tum adhuc *erant communia & indiviſa omnibus, velut unum cunctis patrimonium eſſet*, quod de Saturno *Juſtin.* lib. XLIII. & Poëtæ paſſim de aureo ſeculo prædicant. *Virgil.* 1. Georg. *Tibul.* 1. El. 3. Una quoque adhuc omnibus lingua: ejus uxor *Rhea* ſeu *Tellus*, cum uxore & liberis ex Oceano emerſit, & omnes præter hos devoravit: idem agricola & vitiſator, ebrietatis præſes. Neque Saturnum modo vocant Poëtæ, verum etiam *Promethea*, *Bacchum* ſeu Liberum, *Ogygum* & *Deucalionem*; quem in arca evaſiſſe & ex ea columbam emiſiſſe *Plutarchus* libro utrum Animal. tradit. Argivi eundem *Inachum* vocarunt.

Atque ita non modo terra continens, verum etiam inſulæ inter Noachi poſteros diſtributæ & ab illis habitatæ fuerunt. Inſularum enim expreſſam demum poſt diluvium mentionem facit Moſes. Unde aliqui in ea ſunt opinione ante diluvium nullas fuiſſe inſulas, ſed terram tantum continentem & mare ex eo quod Geneſeos 1. dicitur, *congregentur aquæ in locum unum & appareat arida.* Joſephus in hac ſententia fuit, dum diluvium deſcribens inquit, ἤπειρον εἰς θάλασσαν μετέβαλε.

Quic-

Quicquid hujus ſit, nemo negaverit multas in diluvio & poſtea enatas inſulas. *Britanniam* Galliæ continentem fuiſſe, inter Dubrim & Caletum, *Richardus* Verſtegan de gentium origine, multis probare contendit. De *Sicilia* Italiæ abſciſſa Juſtinus v. Tres autem cauſæ inſularum, ſi non creatæ fuerint, afferunt, *diluvium, terræmotum, operam* humanam. Sed poſterior, quam ſit debilis, oſtendunt fruſtranei conatus *Neconis, Neronis, Hiſpanorum*, unde proverbium, *Iſthmum perfodere* idem eſt quod rem impoſſibilem conari. Neceſſum igitur ut inſulæ originem ſuam debeant creationi, diluvio, terræmotui. Sane poſt diluvium multas hinc inde emerſiſſe inſulas & littora, ſubſediſſe iterùm Annales docent. *Belgicæ* provinciæ maritimæ & campeſtres inde à diluvio multis ſeculis ſub mari dilituerunt, quod humilis earum ſitus, ſolum depreſſum, aggeres contra inundationem, priſci camporum tumuli, ſolum ſabuloſum, oſtreæ & oſſa balænarum, etiam ancoræ in *Kempinia* Brabantorum repertæ oſtendunt. Addunt aliqui *fagos* terra obrutas, ſed eas aliunde per diluvium appulſas probabilius eſt, quia hæ regiones non proferunt fagos quæ montes & ſaxa amant. Et poſt primum illud ac univerſale diluvium Noachicum multa particularia diluvia, quæ magnam terris mutationem cauſarunt, accidiſſe memorantur. Quale fuit

illud ingens *Atlanticum*, cujus Plato meminit, quo America ab Africa avulsa traditur, & *Cimbricum*, quo multæ in Sinu Codano insulæ emersere ac Cimbri migrare coacti, quod factum Aristotelis ævo ex III. Eudemiorum I. colligunt. Et ejusmodi sunt diluvia Græcorum sub *Phoronæo, Ogyge, Prometheo, Dardano, Deucalione*, temporibus diversa, quæ tamen pro uno Noachico accipienda *Salmasius* de Hellenestica contendit.

Provenerunt post diluvium *Dominationes*, quo nomine generali *Tacitus* complectitur Monarchias, Aristocratias & Democratias. Tres hæ formæ sub se complectuntur Imperia & Regna. *Imperia* vocantur quæ subjectos sibi habent etiam Reges. *Sesostris* quatuor Reges loco jumentorum currui suo admovit. *Tigranes* Rex Regum dici voluit, qui quatuor habebat in Comitatu suo Reges satellitum loco, equitanti & cibum capienti inservientes, Plutarcho teste. *Parthi* & *Persæ* Reges Regum appellari volebant. *Romani* stante etiamnum Democratia, instrumenta servitutis habebant etiam Reges. Sic *Saraceni* suos habuerunt Regum Reges sive Soldanos. *Matthias* Paris ad A. 1184. *Rex Regum Saracenorum nomine Macemunt*. Et ibidem : *Saladinus Soldanus Damasci subjugatis in omnibus Regibus Saracenis in finibus totius Orientis dictus fuit Rex Regum & Dominus dominantium*. Et tales *Chacani* Hunno-

Hunnorum ac Scytharum fuerunt.

Regna alia ſunt *magna*, alia *mediocria*, alia *minima*. *Magna* regna fuerunt *Ægypti*, *Syriæ*, *Macedoniæ* & hodie *Hiſpaniæ*, *Galliæ*, aliaque. *Mediocria* fuerunt *Pergami*, *Bithyniæ*, *Cappadociæ*. *Minima* fuerunt illa regna *Chananææ* & *Græciæ*, & hodie innumera per *Africam*, *Aſiam*, & *Americam*.

Diviſa res CHAM, SEM, JAPHET complectitur.

I. Quippe ab his tribus *Noachi* filiis diſſeminatum eſt univerſum genus humanum ſuper univerſam terram, ab his diviſæ ſunt inſulæ gentium in regionibus ſuis, unuſquiſque ſecundum linguam ſuam & familias ſuas, in nationibus, terris & regionibus ſuis, & ab his diviſæ ſunt gentes in terra poſt diluvium. Gen. IX. 19. X. 5. 20. 31.

II. *Diviſio* Orbis terrarum incidit in tempora *Phalegi*, Gen. X. 25. & XI. qui natus anno poſt diluvium centeſimo, obiit anno ætatis ſuæ ducenteſimo trigeſimo nono, intra quod temporis intervallum, cœpta & continuata fuit diviſio orbis ac migrationes populorum contigerunt.

Atque hac ratione ſententia *Ioſephi* & *Auguſtini*, qui diſperſionum gentium naſcente, cum Hieronymo & Hebræis, qui moriente Phalego factam volunt, facilime conciliatur; ita nimirum ut *diviſio*

orbis facta fuerit eopse anno quo Phaleg natus, qui etiam inde boni ominis ergo denominatus fuit; dispersio autem gentium sequentibus sensim & lente successerit hærentibus plerisque in Babylonia & turri cum civitate struenda operantibus, donec linguarum confusione ab incœpto depulsi, in suas quisque partes & regiones migrarent: ita ut sub mortem Phalegi, quæ in Nini & Tharæ tempora incidit, jam magna orbis pars habitata fuerit.

III. Sed timent nuperi Chronologiæ sacræ perturbatores ne spatium quod à diluvio ad Phalegi nativitatem & mortem intercessit, brevius sit quam ut tot gentium conditoribus progignendis sufficiat, quapropter ipsi aliquot secula ex Græcis & Samaritanis codicibus inferciunt ac annos Patriarcharum pro lubitu modo decurtant, modo extendunt. Quibus jam abunde responsum fuit & invictis argumentis auctoritas codicis Hebræi contra eorum cavillationes asserta. Nunc unum hoc sufficiat: si ponas singulis annis singulos generasse & liberis sic nascentibus eandem tribuas fecunditatem ab anno ætatis vicesimo, uno illo seculo ex tribus Noachi filiis multa hominum millia nasci potuisse.

IV. *Tria* autem hæc in gentium originibus accurate distinguenda sunt: Orbis *divisio*, *migrationes* familiarum & *confusiones* populorum. *Divisio* orbis sine dubio autho-

authoritate & Patriachali potestate Noachi, idque κατ' θεῖον χρησμὸν, ut antiqui loquuntur, fuit facta, qui tanquam Dominus orbis, terrarum pariter ac marium possessor, tribus filiis, quas singuli imposterum proprias possiderent & incolerent terras, assignavit suisque limitibus circumscripsit, eamque divisionem etiam testamento ratam esse jussit, ut *Eusebius* &. *Cedrenus* referunt. Ita *Chamo* Arabia & Africa, *Semo* Asia intra Taurum ab Euphrate ad Indiam, *Iapheto* cætera in ditionem assignata. Ut communis omnium limes, ad quem singulorum hæreditates finirentur, Euphrates fuerit. Et hujus primæ divisionis respectu recte statuitur *Chus* nunc esse Arabas *Scenitas*, Joktan Arabas *felices*, Chanaan *Phœnices* atque ita porro.

Migrationes describuntur Gen. x. 11 14. quarum respectu *Chus* est *Æthiopia* Africana, Joktan *India*, Chanaan Terra *Hebræorum* vel *Israel*, & *Pœni* Africæ. Harum migrationum causæ fuerunt abundantia virium *Dionys.* Halic. 1. *Strabo* v. *Plin.* 111. 13. *Iustin.* xxiv. & longinqua bella ac studium propagandi imperii. Fugati etiam populi vel inundatione maris ut *Cimbri* Aristot. 111. Eudem. 1. vel à cuniculis, ut *Baleares*, aut scorpionibus ac araneis, ut *Æthiopes*. Strabo 111. & xvi.

Denique successerunt confusiones, quando plures inter se permixtæ gentes *hybridas* populos constituerunt, sicuti ex Cha-

nanæis & Afris *Libyophœnices*, ex Indis & Scythia *Indo-Scythæ* vel Seres aut Sinenses coaluerunt. De quo quidem argumento ex professo Lazius, & nos in originibus Americanis.

V. De *ordine* filiorum Noachi observandum est, in Scriptura triplicem observari. *Naturalis* est cum liberi eo quo nati sunt ordine recensentur. *Personalis* seu *dignitatis*, cum qui dignitate potiores majoribus natu præponuntur. *Historicus*, cum à quo proxime historia inceptura est, præponitur vel postponitur. Communis opinio est maximum natu filiorum Noachi *Iaphetum* fuisse, Gen. x. 21. minimum Cham, Gen. ix. 24. ita Semo medius relinqueretur locus. Nobis vero *Historicus* ordo observandus fuit, & quia primus ex Chami posteris *Nimrod* regnasse dicitur, ipsum quoque Ægyptium regnum post diluvium antiquissimum censetur: hinc à Chamo incipiendum: ab eo ad Semum progregiendum, ex cujus familia & posteris quatuor illæ Monarchiæ originem traxerunt. Ultimus omnium *Iaphet* dicendus, cujus res nonnisi in recentiora tempora incidunt, antiquissimis Scriptorum inopia, barbarie populorum & longinquis in horridum Septentrionem ac remotissimum occidentem migrationibus, ignoratis aut deperditis. Quanquam non improbabile sit Chamum & Japhetum (sive fuerint gemelli sive singuli) majores natu

Semo fuiſſe, ipſum vero *Semum* minimum natu. Nam Gen. IX. 24. non Cham, ſed Chanaan minimus Noachi filius (fuit quippe nepos) & Japhet major natu Semi frater Gen. X. 21. vocatur. Et quia maledictus fuit *Cham* & *Chanaan*, benedictus autem *Sem*: hinc haud obſcure colligitur Cham primogenitum, Sem minorem natu fuiſſe: eadem enim ſemper in Scriptura obſervatur ratio, ut exemplis *Kain*, *Abel* & *Seth*, *Iſmaël* & *Iſaac*, *Eſau* & *Iacob* obſervatur. *Minores* natu ſemper gratiores Deo & acceptiores fuerunt, quales *Abraham*, *Moſes*, *David*, *Salomo*. Salmanticenſis in Juchaſin *Iaphetum* facit maximum natu, ſecundogenitum *Cham*, tertium *Sem*.

VI. Antiqui populos in *Scythas*, *Æthiopes*, *Indos* & *Celtas* diviſerunt teſte Strabone. *Scythæ* & *Celtæ* ſunt qui à Japhet, *Æthiopes* qui à Cham, *Indi* qui à Sem proficiſcuntur. India enim late ſumta omnem Aſiam ſuperiorem, etiam Phœniciam & Arabiam complectebatur teſte *Voſſio* 1. de Idol. 26. 30. Alias pro colorum diverſitate commode quoque diſtinxeris poſteros Noachi in *albos*, qui ſunt Scythæ & Japhetæi, *nigros*, qui ſunt Æthiopes & Chamæi, *flavos*, qui ſunt Indi & Semæi. Ita *Iudæi* in Gloſſa Miſnæ tractatu Sanhedrin. fol. 18. dicuntur ut *buxus*, nec nigri nec albi, quales fere ſunt omnes à Semo orti. Atque tum reſpicitur ad cutis,

non capillorum colorem. Nam respectu capillorum *Galli* dicuntur τὰ ξανθὰ ἔθνη. *Flava* gentes ab Urbicio in Tacticis. Pirke R. *Elieser*. cap. XXIV. filii Semi *fusci* & *pulchri*; Chami *nigri* instar corvi, Japheti *albi* & *formosi*. Et id hodieque in more positum orientalibus, ut populos & regiones per album & nigrum, rubrum & viride aliosque colores distinguant. Ita Russia nigra & alba. Endsafet sive India alba, id est, Kilan *Persia* teste Texeira, & India nigra. Tartaria nigra (id est deserta) & alba, Karacojonlu & Accojonlu, Mare nigrum (id est Pontus Euxinus) & album, mediterraneum.

CHAM.

CHAM res CHUS, MITZRAIM, PHUT & CHANAAN complectitur.

I. Inter *Noachi* filios primus vel *nativitate* vel *imperio* fuit CHAM, qui in illa Mundi primæva divisione *Arabiam*, *Syriam*, *Ægyptum* & universam *Africam* obtinuit. Prærogativam ejus etiam hoc ostendit, quod sub Jovis *Hammonis* nomine jam antiquissimo ævo fuit cultus per *Africam*, *Ægyptum* & *Arabiam*, de quo late Bochartus; Unde & *Arabia* deserta & *Ægyptus* Terra *Cham* appellantur I. *Paral.*

ral. IV. 40. *Psalm.* LXXVII. 51. CV. 23. 27. CXVI. 22. & in sacris Isidos *χημία*. *Plutarchus* de Iside & Osiride. quod adhuc *Hieronymi* ævo duravit, ut in Tradit. ad Genesin testatur. & non modo pars Africæ est *Ammoniaca*, verum etiam universa Africa *Ammonia* dicebatur, ut ex *Alexandro* Polyhistore probat *Stephanus* Byzantinus: Ἀμμωνία ἡ μεσόγειος Λιβύης, καὶ αὕτη δὲ πᾶσα ἡ Λιβύη οὕτως ἐκαλεῖτο ἀπὸ Ἄμμωνος. *Ammonia, regio in medio Libyæ: ac universa etiam Libya sic vocabatur ab Ammone.* Herodotus dicit Ammonios ab Ægyptiis ortos.

II. *Chami* nomen & à calore quo æstuat Arabia & Africa & à nigredine fluxit: hoc enim Hebræis est חם cham calidum, & חום nigrum. Proprium enim Afrorum & Arabum est colore nigro sive noctis tinctum esse & æstuosissimo calore torreri: unde à Græcis *Æthiopes* vocantur.

III. Sunt qui *Chamum* eundem cum *Zoroastre Mago* Rege Bactrianorum faciunt, quam sententiam imprimis operose adstruit *Kircherus* in suo Oedipo, destruit nervose *Bochartus* IV. Phal. I.

CHUS.

CHUS condidit regna *Babylonium, Arabicum* & *Abyssenum.*

I. CHUS, Græcis teste *Eupolemo* apud *Euseb.* IX. ἄσβολος, quasi dicas fuliginosus.

ſus, pater Arabum & Æthiopum, filios habuit ſex, *Sabthecam*, *Rhegma* (cujus filii *Dedan* & *Seba*) *Sebam*, *Sabtham*, *Chavilam* & *Nimrod*, à quibus conditi illi populi qui proprie vocantur *Scenitæ*, *Saraceni*, *Chaldæi*, *Babylonii*, & qui ad Sinum Perſicum uſque ad Indos habitarunt, quales erant *Suſiani*, *Carmani*, *Rhegini*, *Dedani*, *Sabæi*, quorum propago incolæ *Harmuziæ* inſulæ, *Sebæi* in Arabia Petræa ſive Jemama, quorum nomen deleverunt *Gerræi* exules Babylonii, *Chavilæi* & alii parum noti ſcriptoribus & à potentioribus ferè abſorpti.

II. Hi *Chuſæi* per Arabiam potentiſſimi, trajecto ſinu Arabico & Perſico & in Æthiopiam & in Perſiam ac Indiam late ſe diffuderunt & tria regna condiderunt, Babylonicum, Arabicum & Æthiopicum.

BABYLONICUM fundavit NIMROD: deinde id *Chaldæi* & *Arabes* tenuerunt.

I. *Nimrod* natu minimus Chuſi filius, avo ſuo Noacho factus rebellis (unde & nomen accepit) patria poteſtate abolita, primus regnum in campis *Senaar* fundavit & urbes *Babylonem*, *Arach*, *Accad*, *Chalnen*, *Niniven* in Aſſyria, *Chalen*, *Reſen*, condidit. *Gen.* x, 10, 11, 12.

II. Hunc eſſe Poëtarum *Bacchum* quidam

dam ſuſpicantur, exinde quod *Bacchus* ſit quaſi *Barchus*, filius Chuſi, & inter ejus varia nomina Νεβρὼδ & Ζαγρεὺς venator recenſentur. Illud certum eſt, *Nimrodi* res *Nino* & *Semiramidi* adſcripſiſſe Hiſtoricos, cum longe recentiores fuerint, ut ſuo loco commemorabimus.

III. A Nimrodo *Babylonia* dicta fuit Terra Nimrod *Micha* v, 6. ejus populi *Chaldæi*, qui imprimis propter antiquitatem gloriabantur *Ier.* v. 15. Quippe cum *Alexander* Magnus Babylonem cepiſſet, Calliſthenes ad Ariſtotelem annor. 1903. obſervationes aſtronomicas Chaldæorum in Græciam miſit, ut *Porphyrius* apud Simplicium in II. de cœlo teſtatur: ut initium earum inciderit in A. M. 1771. id eſt ipſius Nimrodi tempora. Quanquam Baylio Porphyrii fides ſuſpecta ſit, & obſervationes Aſtronomicas urbe & regno antiquiores fuiſſe nihil obſtet.

IV. *Tres* Babyloniorum Dynaſtiæ recenſentur. *Prima* Nimrodi. Poſt Nimrodum ſeries Regum Babyloniæ deficit uſque ad Regem Amraphel. *Gen.* XIV. qui Rex *Sinaar*. Hiſtiæus Mileſius antiquiſſimus rerum Phœnicum ſcriptor vocat Σεναὰρ τῆς Βαβυλωνίας. A. M. 2242. *Evechous* regnare cœpit, quem aliqui putant eſſe Belum Babylonium à Chaldæis poſtea pro Deo habitum *Eſa.* XLVI. 1. *Ierem.* 1. 2. LI. 44. Dynaſtia Evechoi duravit A. 224.

ARABI-

ARABICUM ſub *Zerah* & *Tirhaka* floruit.

I. *Chuſæos* eſſe Arabas Scenitas & qui poſtea Saraceni dicti ſunt, Bochartus operoſe probavit IV. Phalegi 2.

II. Hujus regni quanta potentia fuerit, ex duorum Regum, quorum mentio ſupereſt in Hiſtoriis, expeditionibus patet. Primus eſt *Zerah* Rex Chus qui in Azam Regem Judæ eduxit decies centena millia militum II. *Chron.* XIV. 9. Alter *Tirhaka*, qui Senacheribum in Judæa adortus fuit II. *Reg.* XIX. 9. Hujus *Strabo* I. & XV. Geogr. ex Megaſthene meminit eumque ſuperatis Herculeis columnis Europæ victricia intuliſſe arma tradit, id quod incredibile videri non debet. Cum enim Arabiam, Ægyptum & Æthiopiam tenuerit, æque ipſi facile fuit, emenſa Africa per fretum Gaditanum in Hiſpaniam irrumpere, ac poſtea Saraceni in Syria, Arabia & Ægypto regnantes fecerunt.

Africano dicitur *Taracus*, eumque in Ægypto per annos XVIII. regnaſſe vult. Ex quo conſequitur Ægypto quoque potitum; quod ſi verum, Bocharti argumentum negantis Chus quoque ſignificare Æthiopiam Africanam, corruit: *neque enim Æthiopiæ Rex eò ſe conferre potuiſſet, niſi ſubacta prius Ægypto quæ interjacet.* At eam à Taraco ſubactam Africanus tradit.

dit. Unde probabile evadit hunc *Tearconem*, cujus adeo extollitur à Megasthene potentia, Arabiam simul cum Ægypto & Æthiopia tenuisse.

ÆTHIOPICUM per Africam interiorem sparsum.

I. De priscis Æthiopum regnis nihil fere constat, nisi quæ de Rege *Macrobiorum* Æthiopum apud Herodotum extant. Idem tradit *Sabaconem* Æthiopum Regem Ægyptum occupatam quinquaginta annis tenuisse. Diodorus *Actisanem* Æthiopum Regem Ægyptum sibi subjecisse. Abyssini evulgarunt Catalogum Regum Æthiopum inde usque à Chuso, sed qui ut fabulosus, rejicitur.

II. Neque certioris fidei sunt quæ de *Mosis* in Æthiopiam expeditione ex Artapano & Hellenistarum lacunis Josephus refert, ita judicante *Bocharto* IV. Phalegi 25.

MITZRAIM.

MITZRAIM condidit Regnum Ægypti.

I. *Africam* qua mari mediterraneo adjacet, duo inter se fratres diviserunt, *Phut* & *Mitzraim*. Terminus divisionis erat palus *Tritonis*, quæ in duas quasi æquales

quales partes Africam dividit. Quicquid ad ortus jacet Pelusium usque, *Mitzraim* cum suis occupavit; Unde omnes ejus oræ populos Ægyptiis institutis usos *Herodotus* lib. IV. observat.

II. Conditor Ægyptiorum *Mitzraim* fuit Chami filius: fuit illud primo nomen hominis, postea vero regionis. Nam quod Bochartus inquit: *id non patitur forma dualis*, meminisse debebat Cushan *Rishataim* & *Ephraim* quæ indubie personarum hominumque nomina fuerunt. Quanquam enim duplex *Ægyptus*, superior sive *Thebais* & inferior sive *Delta* sit: inde tamen non sequitur dualem in nomine *Mizraim* non significare hominem. Hunc Mitzraim Osiridem fuisse Vossius I. de Idol. 27. statuit: à Justino I. *Vexoris* vocatur, vitioso pro *Mexoris*, id est, *Mesraim*. Ita Cedrenus *Μέσρε*, Arabes Misr vocant. Fuit autem Ægyptus regio populosissima. Unde Procopius II. Vandalic. ait in Ægypto Πολυανθρωπίαν ἐκ παλαιοῦ fuisse.

III. Quidquid de *antiquissimis* Ægyptiorum Regibus & Dynastiis tradunt Herodotus, Diodorus, Eratosthenes, Manethos, Josephus, Plinius, Arabes apud Kircherum, omnia vel *fabulosa* vel *incerta* sunt, ut operæ pretium non sit quicquam laboris in digestione illius Chai impendere. Cum enim & Herodotus & Diodorus & Eratosthenes, Manethos & Josephus tradant suas se de nominibus, an-

nis,

nis, ſerie, Dynaſtiis Regum Ægypti narrationes à ſacerdotibus & ſacris monumentis accepiſſe: Unde fit quod in omnibus inter ſe diſcordant? Nam ſi unicum excipias *Menem*, in quo Herodotus, Diodorus, Eratoſthenes & Manethos conveniunt, ac deinde *Seſoſtrim* aut *Buriſidem*: in cæteris tanta eſt nominum, annorum, multitudinis diſcrepantia, ut citius aquam igni concilies quam illas tradentium & mentientium ſacrificulorum Ægyptiorum de ſuis priſcis Regibus ineptias. Unde Diodorus Siculus 1. Bibl. affirmat *οὐδὲν πιστὸν ἀληθὲς πιστεύομεν*, *nullam firmitatem fide dignam* in Ægyptiis rebus ante Trojana tempora reperire ſe poſſe, quanquam diligenter ſacerdotes percunctatus ſit. Valeant igitur omnia illa commenta & æternis ſepeliantur tenebris ne impoſterum opus ſit bonas horas ejuſmodi nugis perdere. Nam quod aliqui fingunt primum *Menem* totius Ægypti fuiſſe Regem, poſtea regnum in varias Dynaſtias diſtractum: id omnino vanum eſt & irrito ſucceſſu ea ratione lacera & Oſiridis corpore magis divulſa Ægyptiorum Regum ſucceſſio in integram & omnibus numeris ſibi conſtantem ſeriem digeretur ſemper contradicentibus aliis ſacerdotibus & novam ſeriem ex fabuloſo cerebro ſuo effingentibus.

IV. Expunctis igitur penitus Sacerdotum Ægyptiorum de ſuis Regibus quæ

vel

vel Herodoto vel Eratostheni vel Diodoro obtruserunt figmentis, nunc si quid certi in sacris & profanis supersit scriptoribus, id velut ex magno naufragio, tabulas quasdam conquiramus. Nomen Regum commune fuit *Pharao*, quod prisca Ægyptiorum lingua *Crocodilum* significare sunt qui tradant, quia animal illud Nili progenies & genti sacrum quæ *Crocodilon adorat*.

V, Quod de pluribus simul, vel sub uno communi Rege per *Nomos* regnantibus tradunt Dynastis, ejus in sacris literis, imprimis Mose, vestigia plane apparent nulla, neque postea sub Salomone, Rehabeamo & sequentibus Judæorum Regibus, quibus tamen vicina & affinitate, fœdere aut tributo, juncta erat Ægyptus: neque hoc tacuissent ipsi Ægyptii, si non *successivæ* verum *collaterales* Dynastiæ fuissent, prout alios populos varia regna distinguere, nunquam autem ita confundere videmus. Quapropter Scaligeri & Vossii I. de Idol. 28. sententia de collateralibus Dynastiis & pluribus simul in Ægypto Regibus locum habere non potest.

Dynastia XV. XVI. XVII. Pastorum Phœnicum *Hyscos* impudenter à Manetho conficta fuit, ut Historiam servitutis & Exitus Israëlitarum obscuraret. Qui enim sunt illi Pastores Phœnices nisi posteri Jacob ut ex Genesi patet, quod illorum regnum in Ægypto inferiori nisi durissima

ma *Servitus*, quam circa Memphim & Tzoan vel Tanin ſuſtinuerunt? Quod illud munimentum *Abaris*: niſi urbes Pharaoni ab Iſraëlitis ſtructæ quibus quaſi carceribus incluſi atterebantur? Sed & nomen eorum Paſtorum non potuit effugere ſacerdotes Ægyptios quin ſeipſos & ſua commenta velut ſorex proderent. Manethos apud Joſephum: ἐκαλεῖτο δὲ τὸ ἔθνος ὕκσως. *Iſaacidas* innuit, poſteros Iſaaci, cujus nomen ipſi in ὕκσως ignari tranſmutarunt. Sicut munimentum *Abaris* Abrahamum repræſentare videtur. Neque Moſis flagelli ſui obliviſci potuerant quin illum Catalogo Regum inſererent. Hic enim eſt ille *Amoſis* gravis Ægyptiis apud Diodorum, quod de nullo rectius quam Moſe caſtigatore eorum intelligi poteſt: quo & illud accedit quod alibi *Amoſin* quintum Ægyptiorum legiſlatorem facit.

VI. Igitur ante *Pſammethicum* & qui proxime antecedunt, nihil apud Græcos de Ægyptiorum Regibus certi exſtat. Poſt *Sabaconem* Æthiopem duodecim Nomarchi per Ægyptum emerſerunt & quindecim annis pari poteſtate, velut collegium optimatum, ſummæ rerum præfuerunt, donec ad ſolum Pſammeticum Monarchia devolveretur.

VII. Hiſtorici aliorum quoque Ægypti Regum meminerunt quæ ad Manethonis aut Eratoſthenis catalogos referri nequeunt.

nequeunt. Qualis illaudatus *Busiris* est. Sed talem fuisse Strabo libro ultimo negat: Diodorus modo negat lib. I. modo affirmat. Isocrates & ipse regem Ægypti agnoscit. Multi putant hunc illum infanticidam Pharaonem fuisse: nam ætas in Mosem incidit.

VIII. In Sacris Scripturis præter commune Pharaonum nomen hæc extant Regum Ægypti memoriæ particulares. Primo quidem *Sesaki* I *Reg*. XIV. II *Chron*. XII. qui indubie famosus ille *Sesoosis* & *Sesostris* est, Ægypti in XXXVI. *Nomos*, quorum X. *Thebaidi*, X. *Delta* & XVI. regionibus interjacentibus attributi, distributor. Nam cum Hierosolymum ille & templum Salomonis ditissimum spoliaverit, quis dubitet quin plus ultra progressus, longissima expeditione ad Scythas & Indos usque bellatum profectus fuerit, quod de *Sesoose* Diodorus, de *Sesostri* Herodotus in Euterpe, Strabo XIV. de *Rhamse* Tacitus tradunt; cujus, quia antiquitatis Ægyptiæ monumentum insigne complectuntur, nec apud alios tam clara vestigia reperias, verba referre haud præter institutum erit. Ita igitur sacerdotes Cæsari Germanico III. Annal. *Mox visit veterum Thebarum magna vestigia. & manebant structis molibus littera Ægyptia, priorem opulentiam complexa: jussusque è senioribus sacerdotum patrium sermonem interpretari, referebat habitasse quondam septinginta millia ætate militari:*

militari: atque eo cum exercitu regem Rhamisen Libya, Æthiopia, Medisque & Persis, & Bactriano, ac Scytha potitum; quasque terras Suri Armeniique & contigui Cappadoces colunt, inde Bithynum, hinc Lycium ad mare imperio tenuisse. Legebantur & indicta gentibus tributa, pondus argenti & auri: numerus armorum equorumque, & dona templis ebur, atque odores, quasque copias frumenti & omnium utensilium quaeque natio penderet, haud minus magnifica, quam nunc vi Parthorum, aut potentia Romana jubentur.

IX. Eadem fere de *Sesostride* Herodotus, de *Sethosi* Manetho apud Josephum I. contra Apionem, de *Sesoosi* Diodorus 11, sed in tempore ingens discrimen. Minime omnium sententia illa probari potest, quæ hunc sive *Rhamsen* sive *Sethosin* & *Sesostrin* sive *Ægyptum* ad tempora Mosis & commorationis Israëlitarum in deserto referunt; quod miror etiam Usserio in mentem venisse. Nam quis credat tantam expeditionem ab Ægyptiis susceptam, cum recens adhuc memoria esset exercitus mari rubro submersi? Neque tantæ copiæ castra Israëlitarum ad montem Sinai intacta præterire potuissent, quia per Pelusium iter fuit & illud in quo commorabantur, Arabiæ desertum. Igitur multis seculis posterior fuit Sesostris, & ad tempora Rehabeami expeditio illa Asiatica rejicienda. In hac expeditione Colonia

Ægyptiorum in *Colchide* relicta. Sive quod Sesostris ab *Esubope* Colchidis Rege victus fuerit ut *Plinius* vult XXXIII. 3. sive quod Sesostris eos sua sponte ibi reliquerit; quod Herodotus vult. Secundus cujus Scripturæ professo nomine meminerunt est *Soo* II. Reg. XVII. 4. Manethoni *Sataoon* Æthiops. Tertius *Neco* est, II. Reg. XXIII. 29. Jer. XLVI. 2. Herodoto II. *Necos*, qui etiam prælii ad *Magdalo* Syriæ meminit. Quartus est *Ophra* id est *Aprices* Jer. XLIV. 30. Quamdiu autem steterit regnum Ægypti ex Josepho VIII. Ant. 6. discimus, qui dicit Ægyptios reges imperasse annis mille & trecentis, initium capiendo à *Minæo* illo qui Memphim condidit. Sed non dubito quin numeri apud Josephum corrupti sint: sic enim initium regni Ægypti incideret in tempora Thessemosis & A. M. 2179. Constantinus *Manasses* regnasse Ægyptios dicit annos 1663. Ita initium regni eorum incidit in A. M. 1816.

Coloniæ Ægyptiorum fuerunt *Æthiopes, Thebani, Libyes, Marmarici, Nasamones, Colchi, Cappadoces, Palæstini, Athenienses* & *Sinæ.*

I. De septem Mitzraimi vel filiis vel coloniis non alius quam Bocharti opiniones recensere animus est: adeo enim illorum

rum populorum res obſcuræ ſunt & vetuſtate detritæ ut fruſtra futurus ſit qui certiora ſe ex ruderibus illis eruere poſſe ſperat.

II. Æthiopes ſupra Ægyptum, ſi non omnes, aut pars aliqua eorum qui *Meroitæ* vocantur, ſunt *Ludim*, idque potiſſimum argumento arcuum & ſagittarum quo armaturæ genere reliquis omnibus populis ſuperiores erant.

III. *Thebani* qui Thebaidem incolebant, quorum caput *Thebæ*, alias *No* Ammon vel *Dioſpolis*, urbs ingentis magnitudinis, ſunt *Patrochæi*, diſtincta quondam ab Ægyptiis gens & ſæpe ſub eodem imperio comprehenſa.

IV. *Lehabim* ſunt non in univerſum omnes Libyes, ſed qui ſpecialiter *Libyægyptii* appellantur. Λίϐυς enim veteri Græcorum lingua *homo* niger eſt.

V. *Naphtuchim* ſunt Marmarici ad littora maris mediterranei: unde & *Neptuni* nomen fluxit: *Nephtin* enim Ægyptii littora maris vocarunt. Et in Marmaricæ littore Aptuchi fanum Ptolemæus collocat.

VI. *Anamæi* & Ammonii & Naſamones eorum vicini eſſe poſſunt.

VII. *Colchos*, quanquam magno terrarum ſpatio ab Ægyptiis in Septentrionem & ad Pontum avulſos, Ægyptiorum propaginem eſſe, conſtans antiquorum traditio fuit. Sed quod à Seſoſtri in famoſa

illa expeditione Asiatica primum conditos putant, id minus veritati consonum videtur, cum Sesostrin à Colchis victum *Plinius* XXXIII. 3. tradat, qui etiam duorum Colchidis Regum, *Salaucis* & *Esubopis* meminit, quibus aliquot seculis prior jam Argonautarum tempore fuit *Æetas*, Migratio Casluchim Ægyptiorum, unde Colchi exorti, jam ante Abrahami tempora contigit, ut ex sociis eorum Caphtoræis patet. Fieri tamen potuit ut in illa Sesostris ex Scythia fuga aliqua Ægyptiorum manus apud gentiles suos in Colchide subsisteret, quod Valerius *Flaccus* V. Argon. innuit:

ut prima Sesostris
Intulerit Rex bella Getis: ut clade suorum
Territus, hos Thebas patriumque reducat ad amnem
Phasidis: hos imponat agris Colchosque vocari
Imperet.

VIII. *Cappadoces* Colchis vicini, Caphtorim pro conditoribus generis sui agnoscunt. Unde recte Munsterus *Capthorim* Deut. II. 12. *Cappadoces* transtulit. Regnandi mos apud eos antiquissimus, & testatur *Mithridates* apud Justin. XXXVIII. Cappadociam nullis unquam nisi domesticis Regibus paruisse.

IX. Ab utrisque & *Casluchim* & *Capthorim* originem traxerunt Pelischthim sive Palæstini littora Chananææ incolentes,

Gen.

Gen. x. 14. Deut. II. 22. Jer. XLVII. 4. Amos. IX. 7. Cumque jam Abrahami tempore ibi habitarint & Regem Abimelechum habuerint, manifestum est migrationem illam antiquiorem Abrahamo esse, quacunque demum causa acciderit. Divisi sunt in quinque Satrapias *Gazam*, *Asdod*, *Ascalon*, *Gath*, *Ekron*. Jos. XIII. I Sam. v. VI. Gathæorum Rex fuit *Abimelech* sive *Acish*. Psalm. XXXIV. I Sam. XXI. Regis Ascaloniorum qui Sidonem expugnavit, meminit *Justinus* XVIII. 3.

X. *Cecrops* Ægyptius, Saitarum colonia in Atticam traducta, Atheniensium regnum condidit A. M. 2448.

XI. De *Sinis* an & illi Ægyptiorum colonia fuerint, major dubitandi ratio est: quia nimis in extremum remoti videntur orientem quam ut ex Ægypto origines eorum petantur. *Sinai* vulgo statuuntur Pelusiotæi *Esaiæ* XLIX. longinquis nationibus accensentur·unde nonnullis suspicio mota intelligi ultimos Seras vel Sinenses. Multa sine dubio Ægyptiæ originis argumenta apud Sinenses deprehenduntur, maxime scribendi antiquissimus modus & ipsa Philosophia, cujus in Ægypto prima sedes fuit. Si quis conjecturæ locus, probabile videtur partem exercitus Sesostris usque in Sinas penetrasse ibique indigenis permixtam consedisse. Neque via nimis videri debet longinqua, præsertim eque-

ſtribus copiis, quibus Ægyptii abundabant. Nam & ipſi *Scythæ* & ante aliquot ſecula *Tartari*, uſque in Ægyptum facili negotio penetrarunt. Nec incognitæ Ægyptiis illæ ſuorum in extremas orientis partes, uſque ad Indos & Scythas excurſiones fuerunt, ut ex Taciti loco illuſtri manifeſtum evadit. Ac tradidiſſe fabulis deſcriptam terrarum quas peragraſſet notitiam ipſis quoque Scythis Seſoſtrin, *Euſtathius* in Dionyſium refert: ubi per Scythas non Colchos intelligi debere (ab illis enim victus fugatuſque fuit) ſed potius *Hippophagos* Seras ac Sinenſes, haud admodum improbabile videri debet. Ipſi Sinenſes in Annalibus ſuis tradunt primos Sinæ incolas ab occidente profectos & occidentales Sinæ partes primum omnium habitatas fuiſſe. Provincia igitur Xenſi antiquiſſima Sinenſium eſt, ex qua reliquæ poſtea habitatæ fuerunt. Ita Annales l. IV. ſub XXII. Imp. Kieno: *Primi Sinarum incolæ ab occaſu profecti provinciam Xenſi qua maxime vergit ad occidentem inhabitare cœperunt*: *deinde variarum familiarum capita paulatim novas inde ſedes quæſivere. Nam poſt provinciam Xenſi, proximæ Hanan, Peking, Xantung, coli cœpta.*

Regnum

Regnum Ægypti deſtruxerunt *Babylonii* & *Perſæ*.

I. Prima deſtructio Ægypti facta fuit à *Nebucadnezare* Rege Babyloniorum, qui deſtruxit ingentem illam Thebaidis urbem *No* Ammon, id eſt, *Dioſpolin* vel Thebas. *Nahum*. III. 8.

II. Eædem *Thebæ* à Pœnorum quoque ducibus haud multo poſt cladem à Nebucadnezare acceptam, improviſo occurſu oppreſſæ. *Ammian*. Marcell. XVII.

III. Sed fatale regni Ægyptii excidium in tempora Cambyſis Regis Perſarum incidit. Et quanquam Ægyptii poſtea rebelles facti peculiares ſibi reges conſtituerent, iterum tamen ab *Artaxerxe* Ocho debellati antiquam gloriam penitus amiſerunt, acceſſio & pars Græcæ Romanæque Monarchiæ facti.

PHUT.

PHUT Regna *Libyæ*, *Numidiæ* & *Mauritaniæ* condidit.

Quicquid à Tritonide palude verſus occaſum Africæ protenditur, id *Phut* cum ſuis occupavit, qui poſtea in tres magnos populos diviſi, *Libyas*, *Numidas* & *Mauritanos*. Atque hic *Phut* videtur eſſe *Hercules* ille Afer, quem cum ſuo exercitu in

Africam veniſſe, Annales Numidarum Salluſtio teſte tradiderunt. Idem dictus fuit Apollo *Pythius*, cæſo Dracone, quorum Africa parens eſt, nobilis & oraculorum præſes, quippe Jovis *Hammonis*, id eſt, Chami Afrorum Dei filius. Et ſi Cham fuit Sol, à calore ita dictus, quidni *Phut Phaëton* orbis, id eſt, Africæ, ob nimios calores incendiarius?

Pſyllus Rex Afrorum circa Syrtes fuit, à quo *Pſylli* dicti. Plin. VII. I. *Mauri* Reges ſuos pro diis colebant, imprimis Jubam. vide *Voſſ.* I. de Idol. 2.

Boccho J. Cæſar partem regni quod Arabionis fuerat, donavit. Poſt mortem Jul. Cæſaris Arabio Bocchum iterum ejecit ac regnum recepit. *Appian.* IV. civil. *Sittius* Romanus potiſſima parte regni Jubæ donatus fuit à Julio Cæſare.

CHANAAN.

CHANAAN condidit *Phœnices.*

I. *Chanaan*, quem & *Mercurium* eſſe volunt, Phœnicum fuit conditor, unde ab Eupolemo apud *Euſeb.* IX. Χαναὰν πατὴρ τῶν Φοινίκων & à Sanchuniathone Χνᾶ Φοῖνιξ appellatur.

II. Undecim Chananæorum populi fuerunt *Sidonii*, *Hitthæi* circa *Hebron* & Berſabeam, *Iebuzæi* Hieroſolymis & Tzyone, *Amorræi* in montanis Judææ & trans Jordanem inter fluvios Jabok & Arnon,

Gerge-

Gergesæi circa Gerasa & Gadara, *Hevæi* in monte Hermon, *Arkæi* in Libano, *Sinæi* apud Pelusium, *Arvadæi* insulam Aradum ad os fluvii Eleutheri, *Samariæ* in Cœle-Syria, *Hamathæi* apud Antiochiam. Ex his undecim Chanaanis posteris exorti etiam (sed à quibus incertum) *Pheresæi* homines montani & sylvestres: *Chananæi* speciatim sic dicti circa ripas Jordanis: *Cinæi* circa Libanum & Amanum, deleti, ut videtur, ante Mosen.

Sidonii, *Tyrii*, *Hittæi* & *Amorræi* præcipue inter Chananæos excelluerunt.

I. *Sidon* antiquissima Phœnicum *urbs* fuit, quam Rex Ascolonitarum expugnavit anno ante Trojam captam, *Trogus* XVIII. id est ducentis quadraginta annis ante Templum Solomonis conditum. *Ioseph.* VIII. Ant.

II. Capta Sidone, qui evaserant, navibus appulsi *Tyrum* condiderunt, quæ urbs ingenti potentia circa Davidis tempora floruit: illa autem quæ Josuæ XIX. memoratur, fuit *Palætyrus*. A Tyro fluxit nomen *Syrorum*, quod initio Phœnicibus proprium, postea vicinis quoque tributum; & cum articulo *Hassorim* I. *Paral.* XXI. 4. *Neh.* XIII. 16. unde *Syrii* etiam *Assyrii* dicti, non illi qui ad Tigrim ex Semi, sed Phœnices ad Libanum ex Chanaa-

nis familia: unde etiam diversimode ab Hebræis scribuntur. *Hittai* populus terribilis II. Reg. VII. 6. Antiquissimi eorum Reges *Gigantes*, quales *Arba*, à quo Hebron dicta Kiriath Arba (unde error de sepultis ibi quatuor paribus conjugum, *Adam* & Eva, *Abraham* & Sara, *Isaac* & Rebecca, *Jacob* & Lea) cujus filius *Anak*, à quo totum genus *Anakim* dicti, unde aliqui Græcum Ἄνακες id est Reges fluxisse arbitrantur, nepotes Achiman, Sesai & Thalmai. *Num.* XIII.

III. *Amorrai* initio habitarunt ad Jordanem. Eorum metropolis fuit *Hamora* sive *Gomorrha* & *Sodoma* ambitu LX. stadiorum, *Strabo* XVI. Illis urbibus cœlesti igne destructis, trans Jordanem duo regna condiderunt, *Basan* & *Hesbon*. Rex *Basan* fuit famosus ille *Og* ex gigantibus Rephaim.

HERCULES, CADMUS, DIDO sive ELISSA, HIROM celeberrimas per Africam & Europam Phœnicum Colonias condiderunt.

I. *Phœnices* jam antiquissimo ævo colonias per totum terrarum orbem emisisse integro opere Samuel *Bochartus* probavit. Causa fuit duplex: *una* terræ angustia, cujus maximam partem occupaverant Israë-

Iſraëlitæ: *altera* mercaturæ & navigationis ſtudium.

II. *Loca*, quæ coloniis ſuis Phœnices inſederunt, hæc ſunt præcipua, *Cyprus, Ægyptus, Cilicia, Piſidia, & Solymi, Caria, Rhodus, Samus, Adramyttenus Sinus, Chios, Lesbos, Tenedus, Bithynia, Paphlagonia, Thracia, Thaſus, Samothracia, Imbrus, Lemnos*, inſulæ circa *Magneſiam* Macedoniæ, *Eubœa, Cyclades, Creta, Bœotia, Athenæ, Sparta, Illyricum, Africa* cis & uls Gades, *Melita, Sicilia, Sardinia, Corſica, Italia, Hiſpania*, extra mare Atlanticum in America, *Britannia, Gallia, Thule*, ad mare rubrum, ad Sinum Perſicum, *Taprobana*.

III. Sed ex omnibus Phœnicum coloniis, tres fuerunt quaſi migrationes *magnæ* & *armatæ*, quarum unam *Herculi*, alteram *Cadmo*, tertiam *Didoni* ſive *Eliſſæ* adſcribunt.

HERCULES *Africam*, *Hiſpaniam* & *Galliam* occupavit.

HERCULIS Tyrii vel Phœnicii frequens apud antiquos mentio, quem ſua voce *Melcarthum* vel *Melicerten* & cognomine *Deſanaum*, de quo *Voſſ.* I. Idol. 22. & *Bochartus*, vocaban. Atque huic ampliſſimas res per *Africam, Hiſpaniam* & *Galliam* adſcribunt, *Iuſtin.* XLIV. de quibus celebris apud Salluſtium locus ex *Punicis* Regis *Hyempſalis* Annalibus ſupereſt. Memora-

bile est Alexandrum *Polyhistorem* apud *Euseb.* IX. *πρ.* 20. tradere, *Afrum* filium Madian ex posteritate Keturæ ac Abrahami cum Hercule Phœnicio exercitum in Libyam contra Antæum duxisse, ibique condita urbe *Afra*, Africæ nomen dedisse. Idem *Josephus* 1. 16. & *Leo* Africanus Ifricum Arabiæ Felicis Regem coloniam in Libyam duxisse & ei nomen Africæ imposuisse vult. Hunc Herculem etiam *Cadmum* vocant & cum eo confundunt antiqui. Nos ab eo conditam *Pœnorum* per *Africam* & *Hispaniam* gentem arbitramur, ipsamque Carthaginem ejus fuisse opus & duas illas apud *Tingin* columnas, quibus Phœnicia lingua inscriptum erat, *Nos sumus profugi à facie Iosuæ latronis filii Nun*, ut *Procopius* in Vandalicis refert. Et tum lingua Phœnicum in Africam translata est, qua magnam Afrorum partem usos, *Augustinus* XVI. C. D. 6. *Arnobius* in Psal. CIV. tradunt. Et quanquam admixtione Africanorum vocabulorum valde corrupta fuerit, nihilominus affinis Hebrææ linguæ mansit. *August.* ad Judicum II. quæst. 16. de Sermone Domini in Monte lib. II. *Hieron.* Comm. v. ad Jerem. *Priscian.* v. Scal. Emend. Temp. *Petit.* II. Miscell. 1. 2. 3. *Voss.* 1. Gramm. 9. 1. de Annal. 9. *Seld.* prol. de diis Syris. In *Mauritania* superavit *Antæum*. Inde trajecto freto, quod Herculeum dictum, in Hispaniam venit, ubi *Gades* famosissima Phœni-

cum colonia Herculis Tyrii templo celebris & *Carteia*. Geryone in Hispaniis victo dicitur in Galliam & in Italiam transivisse, non quidem per Pyrenæos montes aut Alpes, sed *classe* ostia Rhodani advectus, ubi etiam acerrimo prælio navali cum Liguribus certasse dicitur & Neptuni filiis, de qua *Mela* II. 5. Hujus Herculis Tyrii res, aliqui *Nabuchodonosori* Regi Babyloniorum adscripserunt, ut *Strabo* XV. ex Megasthene, *Euseb.* IX. πρæπ. Sed certum est nunquam eo locorum penetrasse.

Atlas Rex Mauritaniæ ab hoc Hercule Tyrio originem ducere videtur. *Vossius* I. Idol. 22.

DIDO sive ELISSA *Carthaginem* instauravit.

I. Quanquam vulgo Phœnicum per Africam prima initia à *Didonis* adventu deducantur: certum tamen est jam multis ante eam seculis sive ab *Hercule* sive *Cadmo* frequentes eo Phœnicum colonias fuisse deductas ipsamque Carthaginem structam.

II. Igitur *Dido* vel Elissa Tyro cum classe in Africam ad populares suos venit, neque tam *condidit Carthaginem* quam *instauravit* & auxit *Byrsa*, id est arce, adjecta, id quod nonnisi quadraginta annis ante Romam conditam factum, Servo in I. & IV. Æneidos teste, unde falsa sunt omnia quæ à Poëta de Didone Æneæ coæva finguntur.

guntur. Annis enim minimum ccc. Trojano bello juniorem fuisse, Phœnicum historiæ apud *Josephum* I. contra Apionem docent. Dicta autem fuit urbs Punice *Kartha hadtha*, id est *Neapolis*, unde Græci Καρχηδὼν, Latini Carthaginem fecerunt, *Strabo* XVII. *Justin.* XVIII. *Joseph.* I. contra *Apion. Diodor.* XX.

III. Post obitum Didonis *Regium* Carthaginis Imperium in *Aristocratiam* mutatum & summa potestas ad magistratum delata qui *Suffetes*, id est Judices vocabantur. Interdum tamen Duces sive Reges creabantur extra ordinem: qualis fuit *Amilcar*, Herodotus VII. *Hanno* in periplo ejus qui inscribitur Hannonis Regis Carthaginensium, *Bomilcar*, *Iustin.* XXII. *Imilco*, Oros. IV. 6. & alii. Fuerunt etiam alii in Africa Pœnorum Reges, qualis *Adicras* Apriæ Ægypti Regi coætaneus. *Herodot.* II. & IV. *Hiromus* Rex Tyri Uticam & Gades condidisse dicitur *Voss.* I. *Ioseph.* VII. & I. contra Apionem.

CADMUS in *Græcia* & *Illyrico* consedit.

I. Aliam *Cadmus* in *Græciam* & *Illyricum* vicinaque loca Phœnicum deduxit coloniam. Nam Græci se litteras à Cadmo accepisse communi consensu testantur, idque certissimum est ex nominibus & figura earum, de quo Scal. ad Eusebium. Traduntur

duntur *Cadmus* & *Phœnix* vel fratres vel filii *Agenoris* Regis Phœnicum fuisse; quorum ille primum in Bœotia & Illyrico, hic in Thracia & Bithynia sedes fixerit. Ex eadem familia fuere *Cilix* frater Cadmi, qui Ciliciæ, & *Thasus*, qui Thaso insulæ nomen dedit. Cadmi cognatus *Membliarus* regnavit in *Thera* circa Cretam. A Phœnicis filio Archaleo *Gades* conditæ. *Siciliam* quoque & *Sardiniam*, *Cephaleniam*, *Cytheram*, *Melum*, *Oliarum* aliasq; in mediterraneo mari insulas, Cadmi posteri occuparunt. Atque hinc patet illam *Phœnicum* manum, quæ sub Cadmo fuit, late per Græciam insulas maris mediterranei & Illyricum, se diffudisse.

II. Ipsius *Cadmi* opus fuerunt *Thebæ* & arx ejus *Cadmea*: inde pulsus in Illyricum ad *Encheleas* concessit.

III. Cur vero *Lacedæmonii* 1. Macch. XII. 21. & apud Joseph. XII. Ant. 5. vocentur fratres Judæorum & ex posteritate Abrahami, ejus ratio neque à Spartone Judæo est deducenda, ut *Bochartus* vult, neque plane pro fabuloso id habendum cum *Scaligero*: sed quia Cadmi & Phœnicum notissimæ erant per Græciam coloniæ, Judæi autem Phœnicum nomine ab exteris quoque censebantur: hinc illa Spartanorum cum Judæis & Abrahamo cognatio deducta fuit. Vossius 1. de *Idolat.* 13. *Credo quod partim fuere ex posteris Agaris aut Cethuræ: partim ex Cananæis à Iosua fugatis: unde*

de etiam Tyndaridas suos Ἄνακας *dixerunt ab Anac.* Et paulo ante: *qui* Ἄνακες *Spartæ & Athenis hi descendere ab Anacim Palæstina, unde à Josua profligati concesserint in Græciam*; & cap. XXX. *Lacones vel Abrahamidæ vel Cananæi, imo ex utrisque mixti.* Hæc migratio Cadmea in Græciam quando facta sit *Diodorus* XL. docet, ubi tradit eodem tempore *Cadmum* & *Mosen* Ægypto illum cum suis in Græciam, hunc in Judæam expulsum.

Carthaginenses in Americam navigarunt.

I. Primos extra *Gades* in Atlantico mari Carthaginenses & Phœnices navigasse constans veterum opinio est. *Hanno* Africæ exteriora magnam partem circumvectus multas Libyphœnicum urbes condidit. Ejus exemplum postea plures secuti sunt.

II. An vero in ipsam quoque Americam pervenerint, quod ex *Diodoro* Siculo v. & aliis probabile videtur, de eo propterea dubitat Bochartus, quod nondum repertus magnetis usus nauticus fuerit. Quanquam vero incertum sit an *nautica* pyxis cognita Phœnicibus fuerit, non tamen inde probari potest plane incognitum fuisse magnetis in navigationibus usum. Multa enim veterum *deperdita* & post longum tempus demum iterum *reperta*,

perta. Neque vero ulla ratio eſt cur de longinqua, in ampliſſima Atlantici maris inſula Chartaginenſium colonia, conſtans antiquorum traditio rejiciatur. De quo in Originibus Americanis jam olim prolixè egimus.

Maris Imperium amittunt.

Carthaginenſes pleriſquè in mari mediterraneo inter Africam & Italiam inſulis, *Lipara*, *Sardinia*, *Sicilia*, & *Iberia* occupatis, diu maris imperium tenuerunt. Olympiade CVIII. imperium eorum in Sicilià *Lyco* fluvio terminatum. Primo bello Punico Romanis inſulas ceſſerunt. Fuit autem Principatus Carthaginenſium potentia *Græcis* non impar, opulentia *Perſarum* regno comparandus. *Appianus* in Libycis.

SEM.

SEM res ARPHACHSAD, ARAM, LUD, ADSUR & ELAM complectitur.

I. SEM Noachi filius natu minimus, *Plutonis* nomen apud Poëtas obtinuit, quemadmodum *Abel* ante diluvium. Qui hunc eundem cum *Melchiſedecho*, Rege Salem faciunt, vehementer errant. Pervenit ad ætatem non Abrahami modo, verum etiam Iſaaci. *Hieron.* Epiſt. CVI. ad Euagrium. Neque tamen inde ſequitur Abrahamo vel Iſaaco notitiam cum eo inter-

tercessisse. Quærunt novatores: *ubi ergo interea Semus delituerit?* Si Arabibus credere volunt, in urbe *Nouada*, ubi etiam sepultus dicitur, quæ ubi terrarum sit, ex ipsis quærant.

II. Nomen *Semi* remansit in *Semiramide*, quam fuisse filiam *Aram* qui & *Ram* vocatur, ac in memoriam avi *Semirami* dictam admodum probabile est: nam & tempora quibus vixit conveniunt & *Syram* origine fuisse tradunt & in *Assuris* familiam nupsisse, unde & à *Simma* (qui Sem) educatam tradunt. Credibile autem tanti Patriarchæ nomen suis subinde liberis imposuisse posteros.

ARPHACHSAD.

ARPHACHSAD res Hebræorum, Arabum & Indorum complectitur.

I. ARPHACHSAD Semi primogenitus filius *Arrapachitidi*, quæ Assyriæ pars apud Ptolemæum, nomen dedit, non vero Chaldæis ut *Iosephus* vult.

II. Ejus filius fuit *Selah*, conditor urbis *Sela* in Susiana ad Eulæum, cujus *Ammianus* XXIII. meminit. Quod vero LXX. Interpretes *Arphaxadi* filium faciunt *Kainanum* nepotem *Selam*, id manifesti erroris ex Hebræo Codice & ratione temporum coargui potest. Unica tamen difficul-

cultas in Euangelio *Lucæ* superest, ubi idem *Kainam* inter Arphaxadum & Selam inscritur. Sed hoc solo librariorum errore, nulla, quod absit, Euangelistæ culpa, factum, invictis argumentis jamdudum ostenderunt eruditi contra criminatores textus Hebræi. Nam neque *Philo*, neque *Iosephus*, neque *Theophilus* Antiochenus, neque *Iulius* Africanus, neque *Epiphanius*, qui omnes cætera LXX. sequuntur, hunc *Kainanem* agnoscunt. Quare posterioribus demum seculis, quocunque demum errore, & in LXX. Interpretum & Lucæ exempla irrepsit ille *Pseudo*-Cainam.

EBER.

EBER condidit Hebræos, Arabas & Indos.

Selæ filii fuerunt *Eber* & *Ioktan*, à quibus celeberrimæ *Hebræorum*, *Arabum* & *Indorum* gentes fluxerunt.

HEBRÆI.

HEBRÆI Chananæam occuparunt.

I. *Hebræorum* gens & nomen fluxit ab ipso Ebero: non tamen tributum fuit omnibus ejus posteris, sed illis tantum qui à filio ejus *Phalego* originem traxerunt & linguam Hebræam incorruptam servarunt.

II. *Pha-*

II. *Phaleg* sive *Peleg* putatur originem dedisse *Pelasgis* : ejus filius *Ragau* Græcis. Ita *Epiphanius* in Epistola ad Acacium & Paulum, *Salmasius* de Hellenistica. Quod si verum, tum à *Pelego* & ex Semi posteris originem traherent *Græci* pariter & *Romani*, quippe Pelasgorum propago. *Ragavi* memoria circa Assyriam & Mediam diu celebris fuit, ubi & campus spatiosus *Ragau*, Straboni forte *Nisæus*, & urbs *Raga*.

III. Ex Ragau natus *Sarug* ; ex hoc *Nachor* pater Tharæ qui in *Ura* Chaldæorum oppido diu habitavit : inde in Mesopotamiam migravit.

IV. *Tharæ* tres filii fuerunt ; *Haran*, *Nachor* & *Abraham*. Ab *Haran* in Mesopotamia defuncto, urbs *Charan*, quæ sunt illæ Crassi clade nobiles *Carrhæ*, nomen accepit : à qua haud longe distabat oppidum *Sarug*, ita à *Sarug* dictum.

V. De anno nativitatis *Abrahami* gravis inter Chronologos controversia agitatur, aliis ad annum *Tharæ* septuagesimum, aliis ad centesimum trigesimum rejicientibus ; quæ est sexaginta annorum differentia. Et quanquam nuper diligentissimus *Baylius* in opere suo Chronologico prolixe pro anno nativitatis Abrahæ LXX disputaverit : nondum tamen ita satisfecit argumentis quæ pro anno nativitatis CXXX. ex Scripturis, maxime *Act.* 7. producuntur, ut eam sententiam deserere coga-

cogamur: præſertim quia illæ ex Chananæa patris viſendi ergo ſuſceptæ in Meſopotamiam reditiones, meris conjecturis & incertis innituntur.

VI. *Nachor* Abrahæ frater in Chaldæa & Meſopotamia manſit, ex cujus poſteritate fuit *Vtz*, à quo *Auſitis* regio & *Auſitæ* populi Arabiæ deſertæ circa Babylonem, apud quos *Iob* patiens vixit, de quo *Voſſ.* II. de Idololatria 3. *Camuel* pater *Aram*, id eſt alicujus tribus vel partis Syrorum, vel potius *Armeniorum* qui ex Aram id eſt Syris & Minnæis mixta gens fuerunt. Magna enim Syros inter & Armenios ſermone, vita & corporum forma cognatio fuit *Strabone* I. teſtante. *Chaſed* à quo *Chaſdim*, id eſt, *Chaldæi* dicti.

VII. Soli igitur *Abrahamo* ejuſque poſteris nomen & lingua Hebræorum peculiaris manſit: unde Iſraëlitæ primævo vocabulo à Patriarcha Heber, *Hebræi* dicti. De quorum peregrinationibus in Chananæa, Ægypto, deſerto Arabiæ, expugnatione Chananææ, libri *Moſis*, *Ioſuæ*, & ex iis *Ioſephus* videri poſſunt.

VIII. Id in univerſum obſervandum eſt, pleraque *Græcos* ex Hebræorum Hiſtoriis ad Mythicam ſuam tranſtuliſſe. Quicquid de *Baccho*, de *Hercule*, *Agamemnone*, *Iphigenia*, *Argonautarum* expeditione, *Trojano* & *Thebano* Bello aliiſque commemorant; id ex Sacræ Hiſtoriæ limpidis fontibus derivatum ipſi ſuis lutulentis commentis depra-

depravarunt, quemadmodum infra prolixius ostendemus. *Mosis* mentionem faciunt ex Græcis *Numenius* III. de Judæis, apud Euseb. VIII. 8. Origenem adversus Celsum IV. *Artapanus* apud Euseb. IX. 27. *Plin.* XXX. I. *Apulejus* Apol. II. *Strabo* XVI. *Iuvenalis*, *Tacitus* V. Hist. Dionys. *Longinus*, & sublimi dicendi genere Diod. *Siculus* I. ubi etiam Dei IAΩ meminit. *Alexander* Milesius Polyhistor apud Suidam *Moso* Hebræam mulierem fuisse dicit, à qua perscripta sit lex Hebræorum. *Exitus* Israëlitarum meminerunt *Polemon* & *Africanus* in Chronico Eusebii, *Manetho* apud Josephum ac alii, sed multis fabulis & mendaciis admixtis, quia Ægyptii Judæis infensissimi, ut ex Philone contra Flaccum & Josepho contra Apion. patet.

IX. Post Mosen successerunt *Iudices*, inde *Reges*, quorum primus *Saül*, secundus *David*, qui Hebrone Regiam sedem *Hierosolymam* transtulit; idem *Palæstinos*, *Moabitas*, *Syros* Damascenos, *Hamalekitas*, *Edomæos*, *Ammonitas* aliosque populos subegit ac sibi tributarios reddidit; ita tamen ut Edomæi, Moabitæ & Ammonitæ suos Reges haberent qui tributa pendebant ex proventibus terræ suæ II. *Sam.* VIII. 12. X. 19. I *Reg.* IV. 24. X. 24. 25. II *Reg.* III. 4. 9. Sub *Rehabeamo* divisum fuit regnum Hebræorum in duas partes, regnum *Juda*, sub quo tribus *Simeon* & pars tribus *Benjamini* & *Israël*, quod decem tribus complecte-

plectebatur. Sedes Regum Israël primo *Sichem*, inde *Tirza*, ubi se cum regia *Zimri* combussit:. Tandem *Samaria* in monte Samar constructa ab *Homri*, unde & regnum & gens cognomen accepit. Sedes Regum Judæ erat *Hierosolyma*. Quanquam enim tribus *Simeon* & pars *Benjamin* quoque subjecti mansissent familiæ *Davidis*, regnum tamen & populus à tribu Juda tanquam potiori nomen acceperunt. *Cunæus* 1. de Rep. Hebræor. 10. & 111.4.

Israëlitæ à Salmanassare in Assyriam & Mediam abducuntur.

Decem tribus ex quibus constabat regnum Israelis, à *Salmanassare* in Assyriam & Mediam translatæ, nunquam in Palæstinam reversæ sunt. Ubi manserint opiniones variant. *Iudæi* eas in longinquam orientis regionem trans fluvium *Sabbaticum* translatos & ab Alexandro montibus inclusos nugantur, unde tempore Messiæ prodituri sint. Id constat, in *Sinis* esse Hebræos, qui se non *Iudæos* sed *Israëlitas* appellant ac Pentateuchum & reliquos libros sacros habent, sed punctis carentes. *Trigantius* 1. XI. Alii *Tartaros* à decem Israëlitarum tribubus exortos volunt, sed ut in re ambigua, certi nil definiri potest. In locum decem tribuum coloni ex *Babel, Cutha, Hava, Hamath* & *Sepharvaym* deducti, Samaritanorum gentem condiderunt.

Regnum

Regnum Judæ destructum à Nebucadnezare.

Ultimus Regum Judæ ex familia Davidis fuit *Zedekia*, ut prædixerat *Ier.* XXII. 30. neque ullus amplius ex ea stirpe Rex fuit ut fuse demonstrat *Casaub.* Ex. I. sect. 2.

LOTH condidit Moabitas & Ammonitas.

LOTH Harani fratris Abrahami filius, *Sodoma*, cujus urbis ambitum LX. millia passuum fuisse tradit *Strabo* XVI. igne cœlesti eversa, *Tacitus* V. Hist. ex duobus filiis *Moab* & *Ammon* gentes *Moabitarum* & *Ammonitarum* condidit. *Moabitidis* terminus fuit *Arnon*. Jud. XI. 20. Regum *Tzipporis* & *Balaki* mentio fit *Num.* XXII. XXIII. *Ios.* XXIV. 9. *Iud.* XI. 27. Dubium est an eo tempore Midianitæ sub Moabitis fuerint, quod videtur ex *Num.* XXII. *Heglon* subjugavit Israëlitas. *Iud.* III. 12. 13. Inde subacti à Davide II *Sam.* VIII. *Ammonitarum* regnum inter *Arnon*, *Iabok* & *Iardenem* primo situm, postea contractiores habuit terminos. De quo illustris controversia extat in libro *Iudicum* X. & XI. Regis *Nachash* mentio fit I *Sam.* XI. sub cujus filio *Chanum* David Ammoniticum regnum, excisa urbe *Rachab*, subegit. II *Sam.* X. XI. XII. I *Chron.* XIX. XX.

ARA-

ARABES.

Regna ARABUM condiderunt *Ioktan* & *Ismael.*

I. A *Ioktan & Ismael* Historias suas auspicantur Arabes.

II. *Ioktan* frater Pelegi, filius Eberi, Arabibus *Kahtan*, cum tredecim filiis suis, totidem populorum conditoribus, in *Arabia* felici initio consedit, ut ex locorum gentiumque nominibus clarissime apparet. Nam in Arabia hodieque est urbs Baisath-*Iektan*: ibidem fuerunt populi *Catanitæ* à Cahtan, *Alumæotæ* ab Almodad, *Salapeni* à Saleph, *Chadramotitæ* ab Hatzarmaveth, *Alilæi* à Jerah, *Drimati* ab Hadoram, *Auzalitæ* ab Uzal, *Minæi* à Dikla, *Avalitæ* ab Obel, *Mali* ab Abimaël, *Sabæi* à Scheba, *Tehama* sive *Gassandii* ab Ophir. *Carbi* sive *Chaulanitis* ab Chavila, *Iobabitæ* à Jobab. Quæ quidem omnia prolixe à Bocharto demonstrantur. Nomen Arabum unde fluxerit incertum est: variæ enim ejus reddi possunt rationes. *Homerus* vocat Ἐρεμβοὺς. *Rufus* antiquus Poëta Ladanum nasci dicit ἐν γαίῃ Ἐρεμβῶν. *Zeno* tamen Stoïcus apud Homerum legendum putabat Ἀράβας. *Strabo* VII.

JOKTAN sive Kahtan condidit regna *Yaman* & *Hygiaz*.

Primus Arabum Rex fuisse perhibetur *Ioktan* sive *Kahtan*, cujus duo filii Arabiam inter se diviserunt.

Yarab regnavit in *Yaman* sive *Arabia felici*.

I. Hoc regnum complectebatur regiones *Hamyar*, *Saba* & *Hadramut*: urbes pręcipuæ erant *Dofar*, *Saba* & *Aden*. Titulus Regum communis *Tobbaa*, id est Successor.

II. Tertius ordine Abd-*Schemsch* struxit urbem *Mareb* sive *Saba*, quæ inposterum Regia Sedes: unde etiam Reges Sabæ dicti. Quartus *Hamyar* nomen dedit familiæ, à qua Reges appellati *Hamyarenses*, Græcis & Latinis *Homeritæ*.

III. XXI. fuit *Balkis* fœmina coætanea Salomoni, aliis *Nicanna* vel *Nicaula*. Hæc est illa Regina *Sabæ* vel *Austri*, de qua 1. *Reg*. X. *Matth*. XI.

IV. Sub Rege XXXI. Abu *Carb*, qui A. M. 3926. A. Ch. 78. floruit, *Yamanenses* Judaismum sunt amplexi, quem imprimis crudeli Christianorum persecutione propagavit Du *Nowas*, ab Ecclesiasticis Scriptoribus *Dunaan* dictus, omnibus qui Judaismum abnuerent, in foveam ignis con-

conjectis. Quapropter Al *Negash* ſive Imperator Abaſenorum Auxumitarum *Elesbans*, copiis in Arabiam felicem miſſis, in tantas eum angustias redegit, ut equo concitato in mare ſe præcipitaverit. Ita regnum *Hamyarenſe* primo in poteſtatem *Abaſenorum*, inde *Perſarum*, tandemque *Saracenorum* pervenit.

Jorham regnavit in *Hygiaz*.

Unde dicti Reges *Iorhamidæ*, quorum undecimi *Modad* filiam duxiſſe volunt *Iſmaelem*, à cujus poſteris pulſi Jorhamidæ ſedibus, & tandem aquarum diluvio abſorpti dicuntur. De quibus *Pocok* in ſpecimine Hiſtoriæ Arabum.

ISMAEL condidit regna *Arabiæ deſertæ*.

I. *Iſmael* Abrahami ex Hagar filius condidit gentem Iſmaelitarum, qui etiam *Hagareni* & *Saraceni* dicti fuerunt, ab *Hagar* & *Sara* ut aliqui putant. Sed Saracenorum nomen potius in contemtum iis impoſitum à *Saraka*, quod λῃστικοὶ & νομαδικοὶ eſſent, prædones & errones per deſerta Arabiæ, unde hodieque *Bedwi* id eſt Campeſtres appellantur. Quanquam Pocok exiſtimet Saracenos dictos à *Scherkyon* quod *Orientem* ſignificat, ut ita deſtinguerentur ab *Almogrebinis* id eſt *Occidentalibus* quales Mauri & Afri.

II. Duodecim Iſmael filios habuit, à quibus totidem tribus Arabum exortæ, quas inter celebriores fuerunt *Nabatæi* & *Kedareni*. Iiſdem tanquam conſanguinei admixti fuerunt quos ex Ketura genuit Abraham, inter quos præcipui *Madianitæ* ad mare rubrum & aliæ *Troglodytarum* gentes. Unde omnes qui ab Iſmaele & Ketura profecti, uno nomine *Arabas* Onkelos vocat. Inter Madiani poſteros fuit *Afer* à quo Africam nomen accepiſſe volunt *Ioſephus* I. 16. *Alexander* Polyhiſtor apud Euſeb. IX. πϱϛ. 20. Etiam *Moabiam* Arabiæ accenſet Stephanus de urbibus & alii.

III. Ex tanta populorum colluvie Arabum ſive Saracenorum infinita illa multitudo pullulavit, quæ à mari rubro uſque ad Babyloniam & Sinum Perſicum vaſtas ſolitudines & arenoſa deſerta non tam occupavit quam implevit. De antiquiſſimis Arabiæ Regibus nihil certi tradi poteſt, niſi quæ Arabes ipſi, ſed qua fide facile æſtimabit peritus antiquitatum, apud Pocokum commemorant. Diodorus meminit *Ariæi* Arabum Regis quem Ninus debellarit, Xenophon *Maragdi* qui Labynito contra Cyrum auxilia tulerit. VII. παιδ.

INDI,

INDI, SERES, ABASENI à *Joktani* posteris oriundi.

Ioktani posteritas, ex Arabia felici, versus Orientem, trajecto sinu Persico, *Indiam* & *Sericam* versus occidentem, Mari rubro, Æthiopiam *Abasenam* occupavit. Neque mirum videri debet ab una Joktani posteritate tot populos tam late per Asiam Africamque dispersos, originem traxisse. Quippe inter omnes *Noachidas*, multitudine filiorum Joktan excelluit, quorum tredecim, totidem gentium auctores, habuit. Arabia igitur meditullium Joktanidarum fuit, ex qua facilis ipsis transitus in *Indiam* & *Æthiopiam* fuit per angustias Sinus Arabici & Persici.

Pleraque INDORUM regna *Alexander Magnus* expugnavit.

I. INDIA nomen accepisse videtur ab *Hadoram* abjecta ultima syllaba: nam in S. Scripturis *Hodu* vocatur, Arabibus *Hind*, Persis *Industan*: estque proprie illa regio quæ ab Indo uls Gangen extenditur. Latissime tamen *Indorum* nomen propagatum fuit, ita ut omnes Asiæ superioris à mari mediterraneo versus ortum regiones, ipsa quin etiam Æthiopia Africæ eo comprehenderetur. Qua quidem amplissima *Indiæ* appellatione etiam *Phœnices*,

Syri, *Arabes*, *Æthiopes* Indi appellantur. Voss. 1. Idol. 26. 30. Neque hic steterunt Indiæ limites, sed superiori seculo in *Indiam Orientalem* & *Occidentalem* sive novum Orbem, excreverunt, ut nullius populi augustius, quam Indorum nomen, unquam fuerit.

II. *India* omnium regionum populosissima censebatur ab antiquis: sed de regnis regibusque ejus parum vel nihil certi usque ad Alexandrum Magnum constat. Imperium Indorum condidisse dicitur BACCHUS, post quem centum quinquaginta tres ordine Reges regnarint, si Diodoro II. credimus: sed hæc fabulosa sunt. Coætaneus Semiramidi fuit *Staurobatos* Indorum Rex, eodem teste.

III. Tempore Alexandri Magni hæc Regna fuisse memorantur: *Mazagarum*, cujus Rex Assacamus & Cleophis. Regnum *Taxilis* ad Indum, cujus Reges communi nomine *Taxiles*, peculiari Omphis. Regna *Abisaris*, *Pori*, *Gamaxis*, *Phegelis*, *Sabi* vel *Sambi*, *Ambigeri*, à singulis Regibus, sine alio nomine. *Gangaridarum* & *Parrhasiorum*, quorum Rex Agrammes. *Cathea*, cujus Rex Sophites, de quo regno in Sinicis egimus. *Præstanorum* Rex Oxycamus. *Sabracum*, *Patalanorum*, *Oritarum*. Atque hæc Regna Indorum tempore Alexandri Magni floruerunt, *Curt.* VIII. IX. *Strabo* XV. *Arrianus* Omnia etiam ab Alexandro, exceptis Gangaridis & Parrhasiis

fiis domita & Macedonibus subjecta fuerunt.

OPHIR five PARVAIM est *Taprobana.*

I. Posteros Joktanis late per Indiam propagatos, argumento est *Ophir* & *Parvaym*, quam regionem esse *Taprobanam*, hanc *Seilan*, erudite & prolixe ostendit Bochartus II. *Phalegi* 27. & I. *Chanaani* 46. Et ipsum *Taprobanæ* nomen à voce Parvaim deductum esse patet.

II. Neque modo insulam Taprobanam, sed alias quoque in continente regiones Indorum *Ophir* dictas, præsertim auream *Chersonesum*, probabile est: quinimo totam Indiam, prout hodie nomen illud per continentem & insulas late extenditur, *Ophir* appellatam tempore Salomonis & Josaphati sunt qui existiment.

III. In Taprobana *Pirimal* tempore Julii Cæsaris regnasse perhibetur. *Maffeius*, in Hist. Indica.

EDOM.

EDOM res *Idumæorum*, *Amalekitarum* & *Phœnicum* five *Tyriorum* complectitur.

I. EDOM five Esau, Græcis Ἐρυθρᾶς five Ἐρυθρὸς & Φοίνιξ, *Sanchuniathoni*. Οὔσωος

 Philo-

Philoni Byblio apud Euſeb. I. προπ. 10. Condidit Idumæos ad mare rubrum, Euſebius I. προπ. 10. refert *Uſonem Phœnicem templum poſuiſſe ventis.* Ab hoc *Erythra* mare rubrum *Erythræum* dictum *Plin.* VI. 22. *Mela* III. Philoſtratus III. vitæ Apollon, *Curt.* VII.

II. Late Idumæorum gens à rubro mari ad mediterraneum & Sinum Perſicum extenſa. Nam Phœnices ab Idumæis exorti, ut nomen oſtendit, & mare rubrum etiam Perſicus Sinus dictus *Straboni* XI. etiam ab *Herodoto* in Euterpe, *Ariſtophane* in Avibus, *Ammonio* de verborum ſignificationibus, ſub Phœnicum nomine comprehenduntur.

III. XII Idumæorum populi fuerunt, inter quos præcipui & *Omaræi* & *Amalekitæ.* Omaræi poſtea dicti *Homeritæ* in Arabia ex adverſo Æthiopiæ ſive Abaſſiæ habitarunt. Hos ſuo adhuc tempore circumciſos fuiſſe teſtis eſt Epiphanius contra Ebionæos. Unde etiam pro Judæis habiti. Hos debellarunt Abaſſini ut ex *Nicephoro* XVII. 38. & *Cedreno* patet. De quo in rebus Abaſſenis. Regnum *Edom* perantiquum fuit. Reges eorum & Duces recenſet Moſes *Gen.* XXXVI. Inter quos *Bela*, *Hadad*, & *Hadar*, poſt cujus obitum, omiſſo Regio nomine Duces præfuerunt I *Chron.* I. 51. prima poſt Duces iterum Regum mentio *Num.* XX. ex quo loco manifeſtum eſt unum Regem eo tempore Edomæis præfuiſſe.

fuiſſe. Inde altum ſilentium uſque ad tempora Saulis & Davidis 1. *Sam.* XIV. 47. II. *Sam.* VIII. 14. 1. *Reg.* XI. 15. 16. 17. à quo per Joabum ſubacti ſunt deletis omnibus maſculis.

Amalekitæ ab *Iſraelitis* deleti.

Sic tamen ut non penitus exſcinderentur. Nam eorum hodieque in Meſopotamia tribus ſuperſunt, ut ex Cl. Golio intellexi. Commune Regum Amalekitarum nomen fuiſſe *Agag* teſtatur *Munſterus* Notis ad *Num.* XXIV. 7.

Tyrii colonia *Idumæorum* fuerunt.

I. Ita *Herodotus* I. eximios Perſarum tradere ait veniſſe in Phœnicen ἀπὸ τῆς ἐρυθρῆς καλυμένης θαλάσσης, à mari quod rubrum vocatur. Eadem *Strabonis*, *Plin.* IV. 22. *Solin.* cap. 26. *Procop.* Vandalic. II. ſententia, unde etiam Phœnicum nomen fluxit: idem enim Edom ac Φοῖνιξ.

II. *Tyrus* jam Joſuæ ævo munita urbs fuit: *Joſ.* XIX. 29. unde Tyrii, qui iidem cum Syris. Ennius appoſite vocat *Sorram* & *Sorranum* oſtrum pro Tyrio *Virgilius*. Idem enim *Tyrus*, *Sorra*, quemadmodum *Thina* & *Sina*, *Aſſyrii* & *Aturii*, *Chus* & *Chut*, *Perſæ* & *Parthi*. Exiſtimaverim hanc urbem ab ipſo Edomo vel paulo poſt ab Idumæis conditam. *Curtius* IV. Agenorem

facit conditorem. Qui recentiorem ſtatuunt ut *Ioſephus & Iuſtinus* XVIII, de nova Tyro non de Palætyro ſive veteri loquuntur.

III. Atque hinc apparet Tyrios origine non fuiſſe Chananæos, ſed Idumæos, & ab ipſis poſtea illum tractum in quo Sidon, Aradus, *Phœniciam* à Græcis appellatam.

ARAM.

ARAM complectitur res UTZ, HUL, GETHER & MAS ſive MESECH.

I. ARAM, à quo Ἄρεμοι & Ἀρεμαῖοι ſive Syri apud *Strabon.* XIII. & XVI. occupavit regiones inter Tigrim & Euphratem: ejus poſteri latius progreſſi uſque ad Phœniciam ſive Chananæam & Pontum ac Colchidem terminos ſuos propagarunt. Quippe Syria antiqua uſque ad Pontum Euxinum ſe extendebat, diviſa in *Leuco-Syros*, quales Cappadoces & qui Taurum ac Pontum accolunt & Syros *nigros* qui ſunt extra Taurum ad Amanum uſque montem. *Strabo* XVI. Et verſus Orientem uſque in Aſſyriam & Babyloniam excurrebat, *Mela* l. XI. *Plin.* v. 13.

II. Trium filiorum Arami, *Hul, Gether,* & *Mas* ſive *Meſech* ſedes ac poſteritas adeo incertæ ſunt ut vix quicquam niſi incerta con-

conjectura de iis afferi possit. *Hul* vel *Chul* potest *Cholobotenes*, quæ Armeniæ pars, habitator fuisse *Gether*, nisi in Gedrosiam eum ableges, caret certo hærede. *Mas* vel *Mesech* probabiliter Mesopotamiæ montem Masium, cujus Masieni Stephano incolæ, incoluit.

Regna *Aram* fuerunt *Damascus*, *Mesopotamia* & *Soba*.

In Sacris Scripturis sex regiones Aram sive Syriæ recensentur: Aram *Naharaim*, *Paddam* Aram, Aram *Soba*, Aram *Dammesek*, Aram *Bethrehob* & Aram *Maacha*. Sed Aram Bethrehob & Maacha Chananæorum potius oppida quam Syriæ fuerunt: Aram Naharaim & Paddan Aram pro eadem regione sumuntur: unde tria tantum Syrorum regna remanent *Damasci, Mesopotamiæ & Sobæ*.

UTZ *Damascum* condidit.

I. Ita summo consensu veteres tradunt. Unde vallis Damascena inter Libanum & Anti-Libanum quæ inter quinque orbis pulcherrimas recensetur, hodieque ab Arabibus *Algauta* vocatur. *Vtz* dialecto Arabum in *Gaut* mutato. Ab illa convalle, Syria Cava vocatur, Græcis Cœle-*Syria*, cujus caput Damascus, *Esa.* VII. 8. *Nicolaus* Damascenus apud *Joseph.* I. 8. *Euseb.*

seb. IX.IV. & *Iustinus* XXXVI. Abrahamum & Israëlem Damasci regnasse volunt, id quod erroneum est. Damasci enim nec habitarunt nec regnarunt.

ARAM Naharaim res *Mesopotamiæ* complectitur.

I. Syria inter Tigrim & Euphratem *Interamna*, Græcis *Mesopotamia* dicitur. Ejus duæ fuerunt partes, Borealis & australis. *Borealis*, à fluvio Chabora versus Armeniæ montana, aquis irrigua & fertilis, *Paddan* Aram dicebatur, id est, Syria vel Mesopotamia felix Straboni, pascuis & segetibus exculta; hoc enim Syris & Arabibus *Paddan* est. Altera *meridionalis*, inaquosa & sterilis, absinthio & aliis fragrantibus herbis late consita, à Chabora Babyloniam & Arabiam versus, quam Arabum Nomades & Scenitæ persultant: unde etiam à Xenophonte & aliis Arabiæ accensetur.

II. Mesopotamiæ Rex unicus recensetur *Cushan* Rischataim, quem Arabem fuisse ex nomine Cushan apparet. Judæi animam Bileami in Cushanem migrasse, sicut Labanis in Bileamum nugantur.

ARAM

ARAM Soba à *Saule*, *Davide* & *Salomone* excisa fuit.

I: Quicquid Syriæ ab Euphrate ad Damascenam jacuit, Aram *Soba* vocabatur, posteriori ævo *Palmyrene* à Palmyra urbe quam Salomo ibi exstruxit I. Reg. IX. II. 18. II. *Par.* VIII, 3. 4.

II. Reges hujus Sobæ commemorantur *Rechob.* II. *Sam.* VIII. 3. 12. I. *Chron.* XVIII. 3. à quo Syria *Rechob.* dicta. II. *Sam.* X. 6. *Hadarezer* II. *Sam.* VIII. 8. X. 16. *Psalm.* LX. 2. I. *Chron.* XVIII. 3. *Razon.* I. *Reg.* XI. 24. contra quos *Saul* I. *Sam.* XIV. 47. *David* II. *Sam.* VIII. 3. X. 6. *Salomon* II. *Chron.* VIII. 3. gravia bella gesserunt: quibus tandem Sobæi ita attriti fuerunt, ut eorum memoria perierit. Fuerunt etiam alia regna Syriæ, quæ vocantur *Tob, Macka Rechob*, de quibus nihil præterea constat nisi quod à Davide subacta sunt. II. *Sam.* X. 6. 19.

REZIN condidit regnum *Damasci.*

I. Eversa potentia regni Syriæ Sobæ, *Rezin* Damascum invasit ibique regnum condidit II. *Sam.* VIII. 5. 6. I. *Reg.* XI. 23. 24. 25. I. *Chron.* XVIII. 5. 6.

II. Hic REZON qui alio nomine *Hezion* I. *Reg.* XV. 18. à Nicolao Damasceno apud *Joseph.*

Ioseph. VII. *Ant.* 5. vel 6. ADAD *Iustino* XXXVI. *Adores* appellatur, idque nomen commune Regibus Damasci ad decimam usque generationem fuisse tradit. In Scriptura nonnisi septem vel octo reperiuntur, quorum nomina extent. Post *Rezonem* regnasse *Chetzionem* videtur colligi ex I. *Reg.* XV. 19. *Tabrimnon* ejus filium Regem fuisse certum est, quia Abia cum eo fœdus percussit. *Benhadadi* duo fuerunt. Primus est cujus mentio fit I. *Reg.* XV. 20. Secundus I. *Reg.* XX. Et hic Reges XXXII. sub se habuit. Necessario autem duos Benhadados statuendos exinde patet, quia alias Benhadad I. circiter LXXX. annos regnasset: & quia dicitur quod Benhahadi pater ademerit oppida Homri quæ ejus filius Benhadad restituerit Achabo. I. *Reg.* XX. Alius ergo sub Homri, alius sub Achabo Benhadad.

III. *Hazael* Benhadado successit, II. *Reg.* VIII. 15. *Iustinus* Azelum vocat. Ei *Benhadad* III. successit. Post quem commemoratur *Rezin*. An inter Benhadad III. & Rezin alii intercesserint, an interregnum fuerit, non commemoratur. Spatium temporis alterutrum suadet. Sunt enim inter Benhadadum & Rezinem centum anni. Et quia decem ordine Reges Damasci regnasse tradit *Nicol.* Damascenus, plures fuerunt quam in Scriptura commemorantur. Decimus igitur & ultimus Regum Syriæ fuit REZIN, sub quo regnum

regnum Damasci eversum fuit à *Tiglat* Pileser Rege Assyriæ & Damasceni Kirum abducti 11 *Reg.* XVI.7.8.9. *Amos* 1.4.5. *Esa.* VII.16.VIII.4. IX.11. *Nicol.* Damascenus apud *Ioseph.* VII. Ant. 6. Quo tempore etiam destructa fuerunt regna *Hamatha*. *Amos.* VI.2. & *Arpadi*. *Esa.*X.9. XXXVI.19.XXXVII.12.13. *Ier.* XLIX.23.

LUD.

Lud Lydorum regnum condidit.

I. Nullo in Noachi filio magis aberrasse videtur Bochartus quam in *Lud* explicando, cujus posteri cum nulla mutata syllaba aut litera sint Lydi, Syris fratribus suis proximi, ipse in re clarissima ad miras conjecturas declinat & primo ad Græcos scriptores provocat, quos alias ubi de originibus Hebræis & Orientalibus agitur, tam audacter & recte rejicit: deinde de flexuoso Mæandro & Lud quod idem significet mira hariolatur, ac tandem concludit, Lud *loci* non *viri* nomen esse: inde *Lud* deducit à *Ialad* quod Mæonum originem denotet.

II. Omnia hæc evanescunt claro textu Mosis, ubi dicitur: *De Sem quoque nati sunt patre omnium filiorum Heber, fratre Japhet majore: Filii Sem: Ælam & Assur & Arphaxad & Lud & Aram.* Si Lud nomen loci non viri; ergo omnium filiorum

rum Noachi nomina loca tantum desi-gnant non viros. Cur enim Lud & non Aram & Assur ac Elam atque ita alii & ipse Noach, Sem, Cham, Japhet, sint locorum non virorum nomina? si quis ex hominibus loca ac regiones nasci posse probet, tum vero etiam his Bocharti conjecturis fidem præbebimus.

III. Rejectis igitur his vanarum Originationum Mæandris, *Lud* filius Semi, vir & genarcha, *Lydorum* in Asia Minore ad *Mæandrum* & *Halyn* gentem condidit. Quod vero Tyrrhenum Lydi fratrem coloniam in Italiam duxisse & Tyrrhenos sive Hetruscos condidisse tradunt *Strabo* v. *Vell.* I. *Iustin.* XX. *Seneca* ad Helviam, cap. 6. *Virgil.* I. & XI. *Tacit.* IV. Ann. 61. id *Dionysio* Halicarnasseo I. fabulosum videtur, qui *Tuscos* indigenam gentem facit. Regnum Lydorum delevit *Crœsus*.

ASSUR.

ASSUR condidit Assyriam.

I. Ab Assur *Assyrii* originem traxerunt. Idem autem Assur, Assyria, Atur, Aturia. *Thurras* quoque Assur, ex cujus nomine Septentrionales Scandiæ populos suum fecisse *Taraniu* sive *Thor*, quem Jovem vel Martem interpretantur, haud improbabile est; præsertim quia majores suos ex Asia profectos tradunt; unde inter Deos etiam Omnipotentem *As* col-

locant,

locant, qui fortasse est ille cujus *Lucanus* meminit:

Feris altaribus Hesus.

II. De Thurra illo sive Marte aliæ antiquorum traditiones videri possunt apud *Vossium* 1. de *Idol.* 16.

III. Quæcunque autem de amplitudine Assyriaci Imperii, de nominibus, numero & annis primorum Regum *Africanus* apud Eusebium & ex eo alii tradunt: de rebus à Nino, & Semiramide gestis *Diodorus* & *Justinus* commemorant, ea omnia fabulis & commentis accenseri neque inutili figmentorum recitatione Historiæ contaminari debent. Nam cum omnium confessione antiquissimus & primus scriptor sit Moses: apud eum autem nulla plane hujus Imperii Assyriaci Regumve ejus extet memoria, quæritur quis ergo illam tam prolixam, inde usque à diluvio & quod excurrit Regum seriem, monstrosa nomina, & annos, omissis tamen rebus gestis, si Ninum & Semiramidem excipias, usque ad Africani tempora; id est per tria millia annorum, conservaverit? Præterea quî fit quod Chananæi vel Phœnices, præcipua sane Imperii Assyrii portio, cum ab Israëlitis expugnarentur, nulla à præpotentibus illis vel Assyriorum vel Babyloniorum Monarchis auxilia evocaverint? Nam quod *Rabbini* de legatione eorum ad Regem Assyrium fingunt, id quantam fidem mereatur,

reatur, quivis videt. Si quis vero ad ſocordiam Regum Aſſyriorum provocare velit, quaſi nulla Imperii defendendi cura, agi, rapi, lacerari ditiones ſuas paſſi fuerint, is eo ipſo fateatur neceſſe eſt ſtare illud per tot ſecula non potuiſſe: ſed ſi quod olim fuiſſet, per multa ſecula everſum jacuiſſe, aut ad anguſtos redactum terminos, obſcurum inter alia Orientis regna delituiſſe.

IV. Manifeſtum igitur nullam Moſis & Joſuæ ævo Aſſyriorum Monarchiam fuiſſe, ſed Reges tantum qui in urbe Nino & Babylone regnabant, quorum ſi quis exiſtimat nominum memoriam curioſe annotatam & ad poſteros tranſmiſſam eſſe, is & aliis Regum Catalogis, quos ſingularum gentium antiquitas confinxit, fidem eandem adhibeat, ac apud Germanos regnaſſe Wolfheimum Sickniger, Ulyſſem aliosque Heroas credat.

ASSYRIUM Imperium fundavit *Ninus.*

I. Omnium antiquorum conſenſu *Ninus* Imperium Aſſyriorum fundavit: in ſolo tempore diſcrepantia eſt. Sunt enim qui illud annis *mille trecentis*, alii *mille quadringentis* plus minuſve uſque ad Sardanapalum à Nino primo Rege nunquam interrupta ſerie & late per Aſiam potens inconcuſſumque ſtetiſſe tradunt; fide im-

primis

primis *Ctesiæ*, cujus authoritatem cæteri sequuntur; quod cur haudquaquam verum esse aut à fidem historicam professis admitti queat, jam dictum fuit. Quanquam enim Æmilius *Sura* apud Velleium testetur *Principes*, *omnium gentium Assyrios imperio potitos esse*, id tamen non est referendum ad antiquissima illa tempora: sed verum manet etiamsi initium illius ad tempora longe posteriora referatur. Manent enim nihilominus Assyrii primi, quippe qui Persas, Macedonas & Romanos multis seculis antiquitate imperii superarunt.

II. Primus *Herodotus* una & antiquissima Assyriorum potentiæ primordia pandit, cujus auctoritas, ut qui in Asia vixerit & omnium Græcorum primus Historias scripserit, recentioribus traditionibus longe præferenda est. Is lib. I. cap. xcv: ita inquit: Ἀσσυρίων ἀρχόντων τῆς ἄνω Ἀσίης ἐπ' ἔτεα εἴκοσι καὶ πεντακόσια πρῶτοι ἀπ' αὐτῶν Μῆδοι ἤρξαντο ἀπίστασθαι. *Quum Assyrii annis quingentis viginti, superiorem Asiam obtinuissent, primi Medi ab ipsis deficere cœperunt.* Illam intelligit Medorum defectionem quæ regnante *Sardanapalo*, cujus in Euterpe seu lib. II. cap. CL. meminit & τοῦ Νίνου βασιλῆα vocat, ab Arbace cœpta & expugnatione *Nini* perfecta fuit. Casus autem Sardanapali incidit in A. M. 3257. secundum Usserium, à quo si annos quingentos viginti quibus stetit, deducas, ini-

tium

tium ejus incidet in A. M. 2737. inter Ehudi & Gideonis tempora. Id quod etiam ex ætate Semiramidis clarissime patet; nam Babylonem Semiramide ann. 1002. antiquiorem fuisse *Erranio* apud Stephanum in βαβυλών & Eustathium in Dionys. Perieg. tradit: eandem circa Iliaca tempora collocat *Porphyrius* apud Euseb. I. & X. πρπ.

III. Hanc verissimam Herodoti de initio & fine regni Assyriorum traditionem *Appianus* quoque Alexandrinus initio operis sui secutus est, ut illaudata sit *Marshami* aliorumque audacia qui numeros Herodoti corrigunt & ex quingentis annis mille faciunt. Quam correctionem ipse *Herodotus* I. clarissime redarguit, dum Semiramidem fuisse ait πέντε γενεαῖς *quinque generationibus* Nitocri matri Labyniti, quem Cyrus debellavit, vetustiorem. Quinque generationes faciunt CL. annos. Semiramis igitur Herodoto vix CC. annis Cyro major. Eadem plane Augustini XVIII. C. D. 22. sententia fuit. Ita enim inquit: *Post illud maximum atque universale diluvium, quum in arca Noë octo soli homines evaserunt, anni non amplius quam mille transierant quando Ninus Asiam totam excepta India subjugavit.*

IV. Accedit Dionysii Halicarnassei authoritas qui lib. I. cap. 4. Ant. Rom. ita loquitur: Ἡ μὲν γὰρ Ἀσσυρίων ἀρχὴ παλαιά τις οὖσα, καὶ εἰς τοὺς μυθικοὺς ἀναγομένη χρό-
νους,

ᾗυς, ὀλίγυ τινὸς ἐκράτησε τ͂ Ἀσίας μέρυς. *Antiquum illud Assyriorum Imperium retro ad fabulosa usque pertingens tempora, modicam quandam Asiæ partem obtinuit.* Antiquitatem Assyrii Imperii ad fabulosa usque pertingere tempora fatetur: id est æram Olympiadum superare. Quicquid enim Olympiadas excedebat id in tempus μυθικὸν apud Græcos incidebat. Initium Olympiadum Usserius refert in A. M. 3228. quo fere tempore regnasse *Phul* Sacræ Scripturæ referunt, qui primus Regum Assyriorum est, cujus meminerunt. Ante eum altissimum de illo Imperio silentium per multa secula ex quo Israëlitæ Chananæam occupaverant ac eorum Reges David & Salomo usque ad Euphratem in Syros late dominarentur.

V. Fuisse ante *Phulem* alios quoque Reges Assyriorum Dionysius innuit, dum retro ad tempus fabulosum eorum regnum pertigisse refert: sed qui modicam quandam Asiæ partem obtinuerint. Vix extra Assyriæ limites promotam eorum potentiam (saltem versus occidentis ac austri plagas, si quis omnino usque in Bactra & Indiam à Nino & Semiramide regnatum velit) ex Scripturis manifestissimum est. Nam cum tempore Judicum Israëlitas oppresserint primo quidem *Cushan* Rischataym Mesopotamiæ Rex, deinde *Moabitæ, Midianitæ, Phœnices, Palæstini, Ammonitæ*, nulla tamen vel minima Assy-

riorum

riorum aut Babyloniorum mentio. Deinde ſub Regibus præpotentes per Syriam Sobæ & Damaſci fuerunt Reges, contra quos *Saul*, *David*, *Salomo* graviſſima bella geſſerunt & uſque ad Euphratem omnes ſibi ſubjecerunt ac tributarios reddiderunt. Ubi tum erat ingens illa Aſſyriorum potentia, qui Iſraëlitarum arma uſque ad portas *Nini* & *Babylonis* graſſari patiebantur? Deinde *Seſak* Ægypti, *Brahadad* Syriæ Reges per Orientem arma ſua circumferebant, altum quieſcentibus Aſſyriis, quia nullæ eorum vel exiguæ tum vires. Quanta Benhadadi Syriæ regis fuerit magnitudo exinde patet quod XXXII. Reges ſecum in prælium eduxit 1. *Reg*. XX. Et illa Syriæ Regum gravis Iſraëli vicinia per duo fere ſecula duravit.

VI. Qualeſcunque igitur tum in Aſſyria fuerint Reges, nullam plane ultrà Euphratem potentiam habuerunt, ſed Nini mœnibus quaſi incluſi alios per Syriam dominari patiebantur. Prima mentio Regis Ninives vel Aſſyriæ incidit in tempora Prophetæ *Ionæ*, quem ſub *Uzzia* Rege Judæ prophetaſſe tradunt circa A. M. 3200. Quanta jam tum urbis, quam Græci *Ninon* vocant *Athenæus* XII. 7. *Strabo* XVI. *Plin*. VI. 13. *Lucan*. III. *Ptolemæus*, fuerit magnitudo inde patet, quod trium dierum itinere vix ambiri potuerit. Ambitus enim erat major Babylone ſtadiorum CCCCLXXX. id eſt milliarium ſexaginta, quod fere tridui

dui iter eſt; numerus incolarum, ut ex infantum numero probabiliter colligitur, amplius ſexcentis millibus. Quapropter Prophetæ illius temporis Niniven tanquam jam olim populoſiſſimam & ampliſſimam urbem celebrant. *Nahum* II. 8. III. 15. & *Eſaias* VIII. 4. 7. comminatur excidium Regibus Syriæ, Iſraëlis & Judæ à Rege Aſſyriorum: *Auferetur fortitudo Damaſci & ſpolia Samariæ coram Rege Aſſyriorum. Dominus adducet ſuper eos Regem Aſſyriorum & omnem gloriam ejus.*

VII. Fundatum à Nino & Semiramide Aſſyriorum Imperium, ſub Ninya & ſucceſſoribus ejus per quadringentos annos quaſi neglectum & otioſum inter creſcentem vicinorum per Syriam & Palæſtinam potentiam jacuit uſque ad Regem Phulem. Quippe de *Ninya* tradunt, quod contentus elaborato à parentibus imperio belli ſtudia depoſuerit ejuſque exemplum ſequentes imitati fuerint uſque ad Sardanapalum ordine XXXVI. *Diod.* II. *Iuſtin.* I. *Athenæus* XII.

VIII. Si Herodoti Aſſyriaca extarent quæ ſe extra Muſarum opus ſcripſiſſe teſtatur libro primo, & ex quo Ariſtoteles VIII. *Hiſt.* Animal 27. citat, quod in obſidione Nini aquila biberit, omnia clariora nobis eſſent. Sed eos periiſſe Gerhardus *Voſſius* I. de Hiſt. Græcis 3. & III. de Idol. 90. teſtatur.

IX. Accedit & quod hoc Græci tempore

pore Homeri nullam Aſſyriorum, Babyloniorum, Medorum Imperii notitiam habuerint. Neque hic ad nimiam locorum diſtantiam provocari poteſt: nam Phœnicum, Ægyptiorum, Æthiopum meminerunt. *Strabo* xv. Ὅμηρος γοῦν οὔτε τὴν τῶν Σύρων, οὔτε τὴν Μήδων ἀρχὴν οἶδεν. οὐδὲ γὰρ ἂν Θήβας Αἰγυπτίας ὀνομάζων καὶ τὸν ἐκεῖ καὶ τὸν ἐν Φοινίκῃ πλοῦτον, τὸν ἐν Βαβυλῶνι καὶ Νίνῳ καὶ Ἐκβατάνοις παρεσιώπησε. *Nec enim Homerus Syrorum vel Medorum noverat imperium. Alioqui cum Thebas Ægyptias & earum ac Phœnicum nominaret divitias; minime præteriiſſet divitias Babylonis ac Nini & quæ Ecbatanis.* Memnonem ex ipſa Perſide in Trojana Caſtra adduxerat Homerus: cur non ille Aſſyrios propiores aut Babylonios ſi tum rerum toto Oriente potentes fuerunt?

X. Poſt Ninyam per cccc. annos certa ſeries Regum deficit, niſi quis hiatum ex Africani commentis explere velit vanis & ex Perſia, Ægypto ac Græcia petitis nominibus, qualia ſunt *Xerxes*, *Armamithres*, *Orus*, *Delbois*, *Sethus* Altadas, *Hormaſcus*, *Sparteus*, *Amyntas Atoſſa*, *Nitocris*, *Lamprides*, *Lampraes*, *Panyas*, *Anabos*, *Dercylus*, *Eupacmes*, *Laoſthenes*, & alia monſtroſa, quæ ſatius eſt ignorari quam chartis illinere. Nec major fides Perſarum Annalibus hodiernis debetur qui & ipſi peculiarem Regum *Aderbeitzan* ſive Aſſyriæ à Kayumorts deducunt, de quo

Schikardus in *Tarich* & *Mirkhond* Texeiræ videri possunt.

XI. Demum post quadringentos annos iterum in lucem emerserunt ex profundo illo oblivionis & socordiæ veterno: unde DEUS excitasse spiritum *Phulis* Regis Assyriorum dicitur. II. *Reg.* XV. 19. I *Chron.* V. 26.

XII. Cæterum omnes Historiæ Assyriacæ corruptiones, quibus *Diodorus* & *Trogus* libros suos contaminarunt, ex fabulosis *Ctesiæ* Cnidii commentariis fluxerunt. Is cum per septendecim annos in aula *Artaxerxis* Mnemonis viveret, Assyriaca & Persica ex Regiis membranis se hausisse jactabat. Ac de Persicis quidem quæ tum nimis nota erant multa fingere non potuit. Quod Assyriaca spectat, in iis est manifestus vanitatis & propterea ab omnibus antiquis redarguitur. Ipse Diodorus, postquam prolixè ex Ctesia ingentes illas Nini & Semiramidis res commemorasset, subito stilum abrumpit eo prætextu quod sequentes Reges nihil memoratu dignum egerint. Quis credere possit per tot secula, quæ inter Semiramidem & Sardanapalum effluxerunt, nihil memoria dignum in tam vasto Imperio, quale Assyrium faciunt, accidisse? Id crediderim, tædio fabularum Ctesiæ posteritatem onerare noluisse. Ipse vero Ctesias videtur in quædam Hebræorum monumenta incidisse & ex illis Reges Assyrios effinxisse, facili, si malitia abfuit,

errore, quia *Palæstina* etiam *Syria* vocabatur & Syria *Assyria*, unde *Justinus* XVIII. *Assyrium stagnum* vocat lacum *Asphaltitidem* sive Mare mortuum. Sane fabulam illam de Sardanapalo seipsum comburente, ex *Zimri* Rege Israëlitarum, qui se Tirzæ pari modo combussit, fluxisse arbitror. Omri potest esse ille Arbaces, Thibni Beleses. Ac ne quis dubitare possit, conficta hæc de Sardanapali vivicomburio vel ex Historia Zimri mala fide à Ctesia expressa, argumento est ipsum Sardanapali Epitaphium quod exstat ex Clitarcho apud *Athenæum* XII. *Strabonem* XIV. *Arrianum* II. Sed dicat quis monumentum illud ad Anchialum Ciliciæ vivo adhuc Sardanapalo erectum fuisse. Sit ita. Clitarchus eodem teste Athenæo libro quarto de Alexandro Sardanapalum ait *senio decessisse, Syriæ tamen Imperio spoliatum.* Quomodo senex decessit jam imperio spoliatus, qui seipsum in regia combusserat? Omnia igitur de priscis illis Assyriorum Regibus à Ctesia vel sponte vel à Persis decepto, turpiter ac mendaciter conficta sunt, nec ullam fidem, ubi ab Herodoto dissentit, merentur.

Divisum fuit in regna *Assyriæ*, *Mediæ* & *Babyloniæ*.

I. Post casum Sardanapali & captam Niniven, *Arbaces*, Velleio Paterculo *Pharnaces*,

naces, id quod proprium Medorum nomen, Rex appellatus fuit. *Diod.* II. *Athen.* XII. Sed ille paulo post regno se abdicavit & Medos *αὐτονόμους*, id est liberos esse jussit. Ita ex Imperio Assyriaco tria regna emerserunt, Assyrium, Medicum & Babylonicum.

II. *Herodotus* I. testatur, Medos recepisse Imperium, iisque quæ prius obtinuerant, potitos, ac Ninum cepisse, Assyriosque, excepta parte Babyloniæ subegisse. De his ex professo egerat in Assyriacis, quos libros periisse jam supra diximus.

ASSYRIÆ destructum fuit à *Medis* & *Babyloniis*.

I. *Assyriæ* Regnum obtinuit *Thilgath* Pilneeser I *Chron.* v.6. II *Chron.* XVIII. 20. sive *Tiglath*-Pileser II *Reg.* XV. 29. XVI. 7. 10. quem *Ælianus* XII. Hist. Animal. 21. *Thilgamum*, *Castor* Rhodius in Chronicis, ut ex eo Eusebius refert, *Ninum* vocat. Hic enim quasi instaurator Nini-ves & Assyrii regni, primi ejus conditoris nomen boni ominis ergo assumsisse videtur. *Salmanassaris* meminit Menander Ephesius in Historia Phœnicum apud *Iosephum* IX. 14. *Senacheribi Herodotus* II. qui eum vocat Arabum & Assyriorum Regem, *Berosus* apud *Joseph* X. I. *Demetrius* apud *Clementem* I. Stromat.

II. Ultimus Regum Assyriorum fuit Chy-

naladanus sive Saracus, sub quo A. M 3378. Ninive expugnata fuit à *Nabopolassare* Babylonis & *Cyaxare* Medorum Rege & funditus eversa secundum Esaiæ & Nahumi prophetias, quam πανολεθρίαν Ninives, tanquam suo tempore jam peractam *Ezechiel* cap. XXXI. elegantissime describit. Ita ἡ μὲν Νῖνος πόλις ἠφανίσθη παραχρῆμα μετὰ τὴν τῶν Σύρων καταλύσιν. Ninus urbs post subversos Syros statim deleta est *Strabo* I, *Diod.* II. Ut Lucianus in Charonte recte dixerit: ἡ Νῖνος ἀπόλωλεν ἤδη καὶ οὐδὲν ἴχνος ἔλειπεν αὐτῆς. *Ninus ita periit ut nullum ejus vestigium superſit.*

III. Apparet autem ex antiquorum monumentis omnino duplicem fuisse urbem Ninum, unam ad Euphratem in Comagena, altera in Assyria trans Tigrim. Prior illa Euphratensis dicta *Vetus Ninus*: altera Transtigritana, haud procul à Lyco flumine, sed incertum ad dextram ejus an sinistram ripam. Nihil enim certi ex antiquis de situ Ninives colligi potest, nisi ad Tigrim fuisse, & omnibus expensis hoc unum scimus nos hac in parte nihil scire certi, inquit *Bochartus* IV. Phalegi 20. Atque ex hac in duas Ninos distinctione lux accedit *Athenæo* XII. ubi tradit *Sardanapalum filios tres filiasque duas ad Ninum Nini Regem misisse.* Diodorus ad Cottam Paphlagoniæ præfectum ablegatos vult. Intelligitur nimirum Ninus Euphratensis, cujus præfectus fuerit vel Ninus vel Cotta

Paphla-

Paphlago. Quanquam vero Sardanapali in toto Imperio ſucceſſor fuerit Arbaces, *Diod.* II. *Athen.* XII. 7. *Agathias* II. *Iuſtin.* I. *Strabo* XVI. *Vellejus* I. recte tamen Imperium ab Aſſyriis ad Medos tranſlatum dicitur *Iuſtin.* I. *Diod.* II. quippe ſemper denominatio fit à gente cæteris imperante & familia dominatrice.

Regnum *Mediæ* inſtauravit *Dejoces.*

I. Medi *αὐτονομίᾳ* & libertate ab Arbace ſive Pharnace donati, cum in *anarchiam* ſub judicibus laberentur & Aſſyrii magnam regionis partem ea occaſione occupaſſent: tandem *Dejocen* Regem crearunt, annis ante Cyri initium CL. *Herod.* I. 95.

II. Quanquam vero *Cteſias* aliam Regum ſeriem ab ipſo Arbace continua ſucceſſione deducat, tanta tamen ejus vanitas eſt ut nullam plane fidem mereatur. Igitur Herodoti ſtandum traditione, quem *Dionyſius* Halicarnaſſæus & *Appianus* Alexandrinus ſequuntur. Dionyſii verba lib. I. hæc ſunt, *ἡ δὲ Μηδικὴ καθελοῦσα τὴν Ἀσσυρίων, καὶ μείζονα δυναστείαν περιβαλλομένη, χρόνον οὐ πολὺν κατέσχεν, ἀλλ' ἐπὶ τῆς τετάρτης κατελύθη γενεᾶς. Medicum imperium everſis Aſſyriis, majori potentia auctum tempore haud longo duravit, ſed quarta ætate deſiit.*

III. *Dejoces* cap. I. libri *Iudith* alio

 nomi-

nomine *Arphaxad* dicitur, & is regiam urbem *Ecbatanam* quæ *Esdræ* VI. 2. *Achmetha* dicitur, ſtruxit ſive inſtauravit. De cujus urbis magnificentia vide *Bochartum* III. *Phaleg.* 14. Præcipuam admirationem *Arx* ſpectantibus movebat, ſeptem cincta muris totidem coloribus diſtinctis, extimus *albo*, ſecundus *nigro*, tertius *purpureo*, quartus *cæſio*, quintus *ſandarachino* id eſt rubro intenſiſſimo, ſextus *argenteo*, ſeptimus *aureo* conſpicuus.

IV. Regnum Medorum uſque ad fluvium *Halym* promovit Dejoces. *Herodotus* 1. 130. Μῆδοι ἄρξαντες τῆς ἄνω Ἅλυος ποταμοῦ Ἀσίης. Ubi interpres male: *omni ſupra Halym fluvium Aſiæ dominati.* Solam enim Mediam tenebant, Aſſyria & Babylonia propriis Regibus ſubjecta.

V. Ultimus Regum Mediæ vulgo ſtatuitur *Aſtyages*, poſt quem regnavit filius *Cyaxares* II. matris Cyri Mandanes frater teſte *Xenophonte* I. παιδ. cujus Hiſtoricis de Cyro narrationibus omnino fides adhibenda eſt, etſi reliqua ad mores ſpectantia ex ingenio confinxerit. Hic *Cyaxares* II. eſt ille *Darius* Medus Danielis, Aſſueri ſive Aſtyagis filius, quem Cyrus regno Babylonio donavit. *Dan.* V. 31. & IX. I. XI. I. *Xenophon* VIII. παιδ. Quo A. M. 3468. defuncto *Cyrus* Mediam & Babyloniam hæreditario jure obtinuit & Monarcha Aſiæ factus fuit.

Regnum BABYLONIÆ condidit *Nabonasar*.

I. *Belesis* qui & Belochus, in Sacris Scripturis *Baladan Esa.* XXXIX. I. II *Reg.* XX. 12. *Nicolao* Damasceno *Nanybrus*, Hipparcho, Ptolemæo, Censorino *Nabonasarus*, à quo celeberrima Astronomorum æra deducitur, cujus frequens apud Ptolemæum III. 8. IV. 6. 9. II. V. 14. VI. 5. VII. 3. X. 4. & alibi mentio, regnum Babyloniæ una cum Sardanapali thesauris, liberalitate Arbacis obtinuit. Ipse *Ptolemæus*, præteritis omnibus Chaldæorum antiquitatibus, initia observationum Astronomicarum non altius quam à Nabonassare & supra Annum Mundi ter millesimum repetit. Certo argumento, nihil explorati de motu cœlestium in archivis Ægyptiacis & Chaldæis repertum fuisse, non præteriturus illa vir curiosissimus, nisi vel nulla, vel fabulosa deprehendisset. *Herodotus* in deperditis Assyriacis, ut ipse libro primo Musarum tradit, ostenderat quomodo capta Nino Medi Assyrios subegerint, πλὴν τῆς Βαβυλωνίης μοίρης, *excepta Babyloniæ parte*. Unde apparet Babylonios vel consensu Arbacis, vel eo etiam prohibere non auso, peculiare regnum condidisse. Quanquam initio Babylonii Medorum majestatem comiter coluerint: unde Arbaces apud Diodorum II. 24. Belesi promittit Σατραπείαν

τῆς Βαβυλωνίας, *Præfecturam Babylonis*, nec eam *ipsi postea ademit* cap. 28.

II. Deficiente autem apud Babylonios regia stirpe, circa A. M. 3323. *Esarchaddon* Rex Assyriorum Senecharibi filius regnum Babyloniorum occupavit, in Canone *Ptolemæi Asaradinus* dictus: à quo tempore iidem Assyriæ & Babyloniæ Reges XII. annis tres ordine fuerunt, *Assaradinus*, *Soasduchinus* & *Chynaladanus* sive *Saracus*.

Instauravit *Nabopolasar*.

I. Sub Chynaladino sive Saraco expugnata & deleta Ninive, *Nabopolasar* regnum Babylonis instauravit, quod filius ejus *Nabuchadnesar* usque ad Nilum excisis *Thebis* sive Diospoli & *Hierosolyma* deleta, in captivitatem Babylonicam abductis Ægyptiis, Judæis, Syris aliisque, ad summum potentiæ fastigium promovit, *Dan.* II. 37. IV. 19. Idem *Babylonem* novis muris, horto pensili & magnificentissimis structuris exornavit, quæ opera vulgo Semiramidi per errorem adscribuntur. *Berosus* apud *Joseph.* I. contra Apion. *Abydenus* apud Euseb. IX. πρϑπ. cap. ult. Unde *Dan.* IV 30. jactat Nebuchadnesar: *Nonne hæc est Babylon illa magna quam ædificavi?* Collapsa nimirum vetustate mœnia & ædificia à Belo, Nino, Semiramide aliisque Regibus antiquis structa, instauravit, amplifi-

plificavit, novis operibus exornavit. *Teredonem* condidit, fossam fecit ad civitatem Sipparenorum; maris rubri sive Persici eluviones operibus circumdatis repressit. Euphratem quoque in plures canales diduxit, quorum unus à præfecto operarum Gobare *Plin.* VI. 26. *Chobar*, *Ezech.* I. *ζαβίρρας* *Ptol. Strab.* & *Nahar Malca* dictus. *Abydenus* in Assyriacis apud *Euseb.* IX. *πρπ.* 40. 41. *Scal.* v. Emend. temp.

II. Limites Monarchiæ Assyriacæ fuerunt ab *Occidente* fluvius Halys, ab *Oriente* Indus, à *Septentrione* Caucasus & Oxus, à *Meridie* Nilus & Arabia. Hoc terrarum spatio sequentia regna floruisse & in unum Imperii Babylonici, aut Assyrii corpus coaluisse feruntur: *Babylon*, *Assyria*, *Armenia*, *Media*, *Bactriana*, *Sinhar*, *Elassar*, *Elam*, *Sodom*, *Gomorrha*, *Adama*, *Zeboim*, *Bela* sive *Zoar*, *Gerar*, *Salem*, *Midian*, *Edom*, *Moab*, *Ammon*, *Amalek*, *Hatzor*, *Hesbon*, *Bazan*, *Chananaa*, in qua XXXI. regna commemorantur, quæ omnia in Regum *Israëlitarum*, quod in duo, *Iuda* & *Israël* divisum coaluerunt, *Palæstina*, *Phœnices*. *Sidonis*, *Tyri*, *Aradi*, *Bybli*, *Gessur*, *Gath*, *Hamath*, *Cappadociæ*, *Ciliciæ*, *Colchidis*, *Paphlagoniæ*, *Ponti*, *Albaniæ*, *Syriæ*, *Aram Tzoba*, *Damasci*, *Cadusiorum*, *Persarum*, Arabum Nabatarum partis Ægypti.

ELAM.

ELAM res *Elamitarum* complectitur.

I. ELAM condidit *Elymaos* vel *Elamitas*, *Esdra* IV. 9. *Act.* II. 9. quorum regio & urbs *Elymais* vel *Elymaitica Straboni* XVI. complexa interdum etiam Susianam, Cossæam & ipsam Persidem. *Dan.* VIII. 2.

II. His Elymæis semper proprii fuere Reges, quorum *Ieremias* XXV. 25. & *Strabo* meminerunt. Antiquissimus fuit *Cedorlahomer* Abrahamo *Gen.* XIV. & *Arioch* Nebucadnezari coætaneus. *Iudith.* I. 6.

Imperium PERSARUM condidit SYRUS.

I. Gens & nomen *Elymaorum* repente in PERSAS transiit, authore Cyro, qui Imperium Persarum condidit & ad illum recens ita dictum populum Monarchiam Asiæ à Medis & Babyloniis transtulit. Unde nullibi in Scripturis Persarum nomen ante Cyri tempora legitur, sed demum in Daniele & Ezechiele, Esdra, Nehemia, Esthera, libris Chronicorum, occurrit.

II. *Persarum* nomen ab *equestri* studio profluxit, cujus instituti primus fuit author & dux Cyrus. Nam ante Cyrum ut *Xenophon* I. *παιδ.* tradit in Persis, quia & equos

equos alere & equitare difficillimum, cum montosa sit regio, vel videre equum rarum erat. At vero Cyrus repente Persas ex peditibus equites fecit, ut imposterum turpe esset quenquam Persarum pedes ire sive multum aut parum itineris esset conficiendum. *Xenoph.* IV. παιδ. Quapropter pro Elymæis & Susiis dicti fuerunt *Persæ* & *Parthi* à *Paras*, quod Hebræis, Arabibus & Germanis equum & equitem significat. Idem autem *Persarum* & *Parthorum* nomen si originem respicias, quanquam Historici & Geographi utramque gentem distinguant & Persas australiores faciant, Parthos versus boream in montanis collocent. Videtur tamen *Scytharum* pars in eas regiones pervenisse ut *Iustinus* XLI. & alii tradunt: nam lingua eorum cum Germanica maximam affinitatem habet, de quo vide Salmas. Hellenist.

III. Quando autem hoc equestre studium apud Elymæos authore Cyro primum ita florere cœperit, ut propterea tota natio Persæ, id est, equites dicerentur, *Xenophon* VI. παιδ. docet. Ubi Cyrum introducit conquerentem quod ἄνδρ' ἵππων Persæ essent, sine equis & equitandi rudes, ac suadentem ut οἰκεῖον ἱππικὸν, proprium equitatum instituerent. Ita Cyrus equos Assyriis ademtos Persis dedit eosque in equestri studio, cujus hactenus plane rudes fuerant, institui jussit, ut imposterum nulla natio eos superaverit. Unde etiam

 Lydis

Lydis rebellibus arma & Equos ademit. *Iustin.* 11. Atque hic illud Persici equitatus primum iuitium habemus: ademtos enim Assyriis & Lydis equos suis Persis tribuit eosque imposterum equites esse jussit Cyrus his verbis apud Xenophontem IV. παιδ. ἀγαθῇ τύχῃ ἡμεῖς δὲ ἱππεῖς γινοίμεθα. QUOD FELIX ET FAUSTUM SIT EQUITES EFFICIAMUR. Unde & PERSÆ appellati fuerunt, militari proculdubio acclamatione, quæ vox Orientalibus EQUITES significat.

IV. Cyrus, quod nomen Persarum lingua *Solem* significat, ex familia *Achamenidum* paterna, quæ apud Pasargadas principatum obtinuerat, oriundus fuit. *Herodot.* I. 125. Ἀχαιμενίδαι ἔνθεν οἱ Βασιλέες οἱ Περσίδαι γεγόνασι, *Achemenidæ unde Reges Persarum sunt oriundi.* De iisdem III. 65. VII. 11.

V. Imperium Persicum vocatur *secunda* Monarchia, & in statua Nebucadnezaris comparatur pectori & brachiis argenteis, apud Danielem VII. urso tribus dentibus prævalido & carnivoro VIII. arieti bicorni propter duo regna Medicum & Persicum. Prædicta fuit translatio imperii ab Assyriis ad Medos & Persas non tantum à Prophetis *Dan.* II. 28. 32. 39. VII. 5. VIII. 3. 20. X. 20. XI. 2. *Jer.* LI. 20. 30. 31. 32. verum etiam à Nebucadnezare, de quo *Abydenus* apud Euseb. IX. προπ. in fine.

VI. Re-

VI. Regna Persarum Imperio subjecta fuerunt *Tyrus*, de quo *Berosus* apud Joseph. I. contra Apion. & x. Ant. ex Phœnicum Annalibus *Diod* xv. *Sidon* cujus Rex *Tennes* vocatur, *Gemisto* II. apud *Diodorum* XVI. 45. Rex *Mentor* dicitur, Tennes Rhodius Dux. De *Stratone* Rege Sidonis sub *Dario* Codomanno *Curt*. IV. I. Ei suffectus *Abdalonymus*. *Curt*. I. I. *Iustin*. XI. *Diodor*. *Ballonymum* vocat XVIII. & Tyri Regem constitutum. Utriusque ergo urbis Rex unus & idem fuit. *Cyprus*, cujus Rex *Euagoras*, qui ab Artaxerxe Salaminis regnum pactus est ea conditione, ut Persis regia non servili conditione obstrictus esset. *Diod*. xv. Ei successit *Nicocles*. *Pythagoras* Rex Cypri in exercitu Alexandri M. commemoratur à *Curtio* IV. 3. *Armenia*. Ejus Rex sub Codomanno Ardoates. *Diod*. XXXI. Ecl. *Cappadocia*, cujus Rex *Arybæus* tempore Labyniti sive Balthasaris apud *Xenophont*. VII. παιδ. *Pharnaces* sub Cyro. *Ariarathes* II. sub Dario Codomanno, quem Perdiccas subegit, *Iustin*. XIII. *Plut*. Eumene. Sed Mithridates apud *Iustin*. XXXVIII. negat Cappadociam ab Alexandro vel ejus successoribus subactam. *Pontus*: Reges ejus fuere *Artabazes* Achæmenides, *Rhodobates*, *Mithridates* I. socius Cyri minoris, quem Xenophon vocat Satrapam Ponti. *Ariobarzanes*. *Mithridates* II. Κτίστης qui à successoribus Alexandri defecit. Quanquam *Mithridates* apud *Iu-*

stinum

stinum XXXVIII. jactat Pontum nunquam paruisse Macedonibus. *Caria*, cujus Rex fuit *Mausolus*, Regina *Artemisia* tempore Xerxis. Cares tempore Romuli imperium maris tenuerunt *Euseb.* Chron. unde vetus Poëta apud Athenæum eos vocat ἁλὸς ταμίας. *Hellesponti* Rex fuit *Gabaus*, qui Labynito contra Cyrum auxilia tulit. *Xenoph.* VII. παιδ. *Phrygia* majoris Artacamas. *Xenoph.* VII.

VII. Limites Monarchiæ *Persicæ* fuerunt ad *Occidentem*. In Europa *Thessalia* & *Ister*, in Africa *Pœni*; ad austrum *Lybia*, *Æthiopia* & *Arabia*; ad orientem *India* ulterior: ad Septentrionem, *Iaxartes*, *Scythia*, *Caucasus*. Herodot. III. 90.91.92. 93.94.95.

VIII. Hæc Monarchia Persica complectebatur omnia illa regna quæ Babyloniis parebant, atque insuper. In *Asia* Lydiam, Cariam, Lyciam, Phrygiam, Teucrorum s. *Dardanorum* & *Trojanorum*, Bithyniam, Mæoniam, Ioniam (*Miletum*, *Ephesum*, *Myunten*, *Colophonem*, *Lebadiam*, *Teum*, *Erythras*) Hellespontum, Sinopen, Cyzicum, Cumas, Phocæam, Abydum, Lampsacum, Heracleam & Insulas Rhodum, Lemnon, Co, Strongylum s. *Naxon*, Cyprum, Samon, Lesbon, Paron, Tenedon, Thasum, Delon, Caryston, Eubœam. In *Africa* Ægyptum, Cyrenem, Barcen, Lybiæ & Æthiopiæ partem. In *Europa* Thraciam, Getas, Brygos, Hellespontios, Perin-

Perinthios, Chersonesum, Macedoniam & cætera usque ad Thessaliam. Totum hoc Imperium *Darius* Hystaspis in xx. regiones tributarias divisit, quæ ordine recensentur ab *Herodoto* lib. III, 90. & seqq. Nationes autem ac populi ab eodem in exercitu Xerxis l. VII. 61. ad 88. hi enumerantur: *Persæ, Medi, Cissii, Hyrcani, Assyrii, Bactrii, Sacæ, Indi, Arii, Parthi, Chorasmii, Sogdii, Gandarii, Dadicæ, Caspii, Sarangæ, Pactyes, Utii, Myci, Paricanii, Arabes, Æthiopes, Paphlagones, Ligyes, Matieni, Mariandyni, Syri* sive Cappadoces, *Phryges, Armenii, Lydi, Mysi, Thraces, Bithyni, Cabelees* Mæones qui & *Lasinii, Moschi, Tibareni, Macrones, Mosynœci, Mares, Alarodii, Saspires, Nomades* Sagartii, *Phœnices, Cyprii, Cilices, Pamphylii, Lycii, Dores, Cares, Insulani, Iones, Æoles, Hellespontii, Pontici.*

JAPHET.

JAPHET.

JAPHET res MADAI, TUBAL, GOMER, TIRAS, MESECH, JAVAN, MAGOG complectitur.

JAPHET, Græcis *Iapetus*, filius Noachi, ut arbitramur, secundo genitus, in illa orbis divisione *Asiæ* Septentrionales plagas & universam *Europam* una cum novo orbe sive *America* obtinuit: ita ut omnium amplissimam spatio terrarum & multitudine populorum, tum Imperiorum & regnorum majestate, cultu, literis, duratione, hæreditatem acceperit, divinæ benedictionis gratia, qua Deus se *dilataturum* Japhetum, ita ut in *tentoriis* quoque Semi habitaret, promiserat. Sola enim hodie Japheti familia per universum terrarum orbem dominatur, omnibus Imperiis, regnis, populisque per Europam, Asiam, Africam & Americam in ditionem ejus ac potestatem redactis. Quanquam enim *Semi* & *Chami* posteritas quædam adhuc per *Africam*, *Arabiam & Asiam* regna possideat, qualia sunt *Marocco*-Tessanum, *Abissinum*, *Congense*, *Monomotapanum* & nonnulla per Indiam: omnia tamen illa vel in Christianorum vel Turcarum Tartarorumque clientela sunt eorumque majestatem comiter & obsequiose colunt.

MADAI.

MADAI.

MADAI Regnum Medorum condidit.

I. MADAI omnium confessione *Medorum* nobilissimam gentem condidit, cujus supra Euphratem & Tigrim ad mare Caspium sedes fuerunt. Alio nomine *Media* etiam *Aria* dicebatur, teste *Pausania* in Corinthiacis & *Herodoto* in Polyhymnia.

II. De antiqua Medorum Historia nihil constat, nisi quod *Diodorus* Siculus lib. II. meminit *Pharni* Regis Medorum, quem à Nino victum & cruci affixum tradit. Nimirum jam antiquissimis temporibus Assyriaci Imperii pars: postea ab *Arbace* in libertatem asserti peculiare regnum constituerunt, ut supra ostensum fuit.

III. Medorum soboles *Parthi* & *Sarmata* habentur. *Iustin.* XLI. *Plin.* VI, 7.

TUBAL.

TUBAL Tibarenos condidit.

I. TUBAL gentem *Tibarenorum* ad Pontum Euxinum condidit, qui postea *Iberi* dicti & *Chalybes*.

II. A Tubal *Hispani* suam originem arcessunt *Mariana* I. Rer. Hisp. cap. 3. quod eatenus concedi potest si à Tubale statuantur

tuantur conditi Iberes Asiatici; ab his coloniæ in Hispaniam deductæ. *Voss.* 1. de Idol. 33. Quanquam *Strabo*, etsi libro primo dixisset Asiæ Iberes coloniam esse Hispanorum: tamen libro XI. non abhorret ab eorum opinione qui nihil eos nisi commune nomen habere arbitrantur.

GOMER.

GOMER res ASCENAZ, RIPHAT & TOGARMA complectitur.

I. GOMER *Phrygum* antiquissimæ gentis & amplissimæ conditor fuit, à quibus etiam *Cimmerii* profecti videntur. Ita enim existimandum est, Japheti posteros, quamquam in Asia initio consederint; auctos tamen multitudine in Europam colonias duxisse & eam, tanquam propriam hæreditatem, implevisse. Unde mirum videri non debet & in Asia reperiri Japhetæos, præcipue ex Gomeri posteritate *Phryges, Bithynos, Cappadoces, Paphlagones*, & in Europa *Germanos, Pannonas, Slavos*.

II. A Gomero exortos esse *Comaros* supra mare Caspium Ptolemæo & Melæ, & *Cimmerios*, communis nec improbanda opinio est, & ab his *Cimbros* qui Germaniæ, Galliæ & Britanniæ magnam partem multitudine sua impleverunt. Unde Britanni se hodieque *Kumeros*, linguam suam *Kumerac* appellant. *Phrygum* linguam Ger-

manicæ

manicæ vicinam fuiſſe ex *Herodoto* in Euterpe, ſive II. 2. patet, ubi βέκκος, vel ut alii Codices legunt, κεκὸς, Phrygibus panem ſignificare tradit. Hoc enim Germanis hodieque eſt *Wecken* vel Anglis *Kekas*.

Trojanum Regnum à Græcis deſtructum perhibetur.

I. TROIA, alio nomine ILIUM, à TROE & ILO condita. *Euſeb.* num. 649. Τῆς Δαρδανίας ἐβασίλευσεν Τρῶς καὶ Ἶλος, ἀφ' οὗ Τρῶες καὶ Τρωὰς καὶ ἡ πόλις Ἴλιον. *In Dardania regnavit Tros & Ilus, à quo Troës & Troas & Urbs Ilium.*

II. De Bello Trojano & Trojæ excidio plena Poëtarum monumenta ſunt, neque quicquam majori antiquitatis conſenſu celebratur. Et tamen repertus *Dion* Chryſoſtomus Cocceianus qui in illo bello neque victos fuiſſe Trojanos, neque Trojam deletam, ſed bellum federe ac pace compoſitum, Priamumque & Hectorem felices cum poſteritate ſua regnaſſe contendit; cujus etiam ſententiam inferius ſequimur. Quicquid hujus ſit, periit tandem, quocunque caſu Troja, καὶ οὐδὲν ἴχνος ἐσώζετο τῆς ἀρχαίας πόλεως, *nullum antiquæ urbis veſtigium extabat*, Strabonis ævo. In ejus locum ſurrexit tempore Alexandri M. *Ilium* hactenus pagus, & ſub Romanis, memoria priſcæ originis, magna incrementa ſumſit.

Trojani

Trojani multas in Europam colonias duxêre.

Nullus poſt Phœnices populus *coloniarum* fecundior Trojanis fuit. Coloniæ illæ an excidii Trojani reliquiæ fuerint, an florentis adhuc & multitudine abundantis fructus, inter Poëtas & Dionem Chryſoſtomum diſceptatur. Hic enim ſtante adhuc Troja *Æneam* ab Hectore cum claſſe & numeroſa manu inItaliam miſſum vult, *Helenum* in mediam profectum Græciam, apud Moloſſos & Epirotas, *Antenorem* circa Adriam regnaſſe. Plurimi inſuper alii populi & urbes primordia ſua à Trojanis repetebant, etiam Franci & Britanni, ſed quæ fabuloſa cenſentur.

Albanum regnum condidit Aſcanius.

Æneas Trojanis in Italiam ductis ibi regnum condidit, quod ab urbe *Alba* longa Albanum fuit dictum. Ultimus Rex fuit *Numitor* Sylvius, quo defuncto Albani omnes ſibi Magiſtratus regia poteſtate, *Dictatorum* nomine crearunt, *Dionyſ.* v. 83.

Cimmerii à *Scythis* pulſi in *Cimbriam* migrant.

Factum hoc in *Scytharum* expeditione Aſiatica ſub *Indathyrſo* ſive Madye. *Cimmerii*

merii five Comari habitabant ad paludem Mæotim fupra mare Cafpium inter Paropamifum & Imaum montes. *Pulfi* fedibus, partim in *Afiam*, Galatiam, Phrygiam, ubi urbem *Cimmerion* condiderunt, partim *Septentrionem* verfus ad mare *Balticum* migrarunt, ibique famofiffimam *Cimbrorum* gentem condiderunt. *Plut.* in Mario. *Strabo* VII. Quod cur fabulofum videatur *Cluverio* III. Ant. Germ. 22. ratio plane nulla eft. Facile enim per patentes Sarmatiæ campos tranfitus ad mare Balticum datur, ut Tartarorum excurfiones oftendunt. Recte Salmafius *Cimmerios* effe *Cimbros*, Cimmerium *Bofphorum* effe *Cimbricum* ftatuit de lingua Helleniftica.

Cimbri à *Romanis* delentur.

Hi *Cimbri* propter inundationem regionis fuæ ingenti numero circa tempora *Alexandri* M. migrare coacti, ut ex *Ariftot.* III. Eudem. I. colligitur, & quod fruftra negat *Strabo* VII. magnam orbis partem pervagati, *Quintil.* Declam. III. per annos CCXL. tandem à *Mario* deleti funt. Reges eorum fuiffe memorantur *Belus* & *Teutobocchus*. De fepulchro *Teutobocchi* reperto in Provincia Narbonenfi vide vitam *Peireskii*. Qui vero domi manferant, in modicam *Cimbrorum* gentem coaluerunt: quæ hodie regni Daniæ partem præcipuam conftituit.

Ario-

Arioviſtus à Cæſare *Gallia* pellitur.

Fuit hic *Arioviſtus Rex Marcomannorum, Harudum, Nemetum, Triboccorum, Vangionum,* qui ab Arvenis in Galliam vocatus *Heduos* ac *Sequanos* oppreſſit: à Julio Cæſare victus ac *Gallia* pulſus fuit.

ASCENAZ.

ASCENAZ Germanos condidit.

I. Non placet *Bocharti* opinio, qui cum *Gomer* feciſſet Phrygum authorem, *Aſcenazum* filium ejus *Bithynos, Troadem, Phrygiam* minorem & *Aſcaniam* condidiſſe arbitratur. Nam cur *Phryges* majores Gomerem, minores filium ejus Aſcenazum conditores habeant, cum *Phryges* majores & minores, *Bithyni*, *Troës*, *Aſcanii* una eademque gens, ejuſdem linguæ & originis perhibeantur. Præterea ad implendum orbem requirebatur ut primorum populorum propagatores non tam arcte cohabitarent, ſed longius à ſe invicem diſpalati, in vacua terrarum & remota ſecederent. Ita filios Javanis Græciam, Italiam, Galliam & Hiſpaniam occupaſſe tradit. Pariter de Gomeri filiis judicandum eſt. Nam cum ſolius Javanis & Gomeri poſteritas ex Japhetæis à Moſe commemoretur, manifeſtum eſt populos magnos celebreſque ab iis conditos, id quod de Phrygibus & Bithynis, qui ſatis obſcuri fuerunt, dici nequit.

nequit. Ac cum *Germani* natio sint ex præcipuis & numerosissimis totius orbis, nisi origines eorum *Ascenazo* tribuantur, non habebunt idoneum tam famosi populi authorem.

II. Non tamen negaverim initio in Phrygia *Ascanios* consedisse, ibique nominis sui memoriam reliquisse; unde etiam regna *Ararat*, *Minni* & *Ascenaz*, tanquam Cyro subdita *Jer.* LI. 22. recensentur: sed auctos numero, ex Asia in Europam transiisse ac inde eas terras occupasse quas hodieque *Germani* tenent, statuendum est. Sive enim Pontum trajecerint, qui inde *Axenos* & *Euxinus* dictus, sive breviori via per Hellespontum in Europam venerint, facilis in Germaniam dabatur transitus, quorum olim populi, *Bastarnæ* & *Peucini* ad ipsa Danubii ostia & in opposito Phrygum littore habitabant.

RIPHAT vel DIPHAT.

RIPHAT vel DIPHAT Illyrios & Slavos condidit.

I. Eadem Bocharti in *Riphat* sive *Diphat*, quæ in Ascenaz est hallucinatio, qui *Paphlagonum*, *Bithynorum* & *Phrygum* quasdam obscuras nationes ab eo deducit, quasi Gomer cum filiis suis omnem suam posteritatem in exigua illa minoris Asiæ regione implenda exhausisset.

II. Ex

II. Ex ipso nomine haud obscure colligitur Riphatem *Illyriorum* sive *Slavorum* conditorem fuisse. Nam quod *Bochartus* inquit : *Riphaeos* montes, quorum *Plinius* VI. 7. meminit, *nullibi esse*, magna incogitantia fuit. Eos enim *Russi* in suo Imperio exstare hodie asserunt. Et quid opus *Riphais* montibus, cum *Riphaces* Scythiæ populi apud *Melam* I. 2. 21. *Arimphæi* apud *Plin.* VI. 7. extent.

III. Regnum *Illyriorum* complectebatur tractum maris Ionii sive Adriatici, cum parte Epiri, *Corcyram*, *Epidamnum*, *Pharum*. Rex commemoratur *Agron*, cui successit uxor *Teuta* à Romanis victa, & *Corcyra*, *Pharo*, *Epidamno*, *Atintanis* spoliata. Ita *Pines* filius Agronis reliquum Illyricum retinuit. *Appian.* Illyr. *Istriam* occupavit *Demetrius* Pharius, quem Romani everterunt. *Polyb.* V. Labeatum regnum complectebatur circiter LXX. oppida. *Appian.* Illyr. Reges memorantur *Pleuratus* & *Gentius*. *Plut.* Æmilio.

TOGARMA res Armeniorum & Pannonum complectitur.

I. TOGARMA *Cappadocum* & vicinorum Phrygiæ populorum conditor statuitur Bocharto, eodem errore quo alios Gomeri posteros in nimis angustum minoris Asiæ spatium coëgit.

II. Cum *Ascenaz* sit *Germanorum* pa-

ter

ter, Riphat & Togarma non possunt alii, quam Germanis vicini esse populi. Nulli autem supersunt, carentes origine, præter *Pannonios* & *Illyrios* sive *Slavos*, qui cum fuerint populi omnium numerosissimi & latissime per Europam, à Germaniæ finibus usque ad Scythas per Sarmatias dispersi, debent illis omnino aliqui filiorum Gomer authores attribui. Jam vero *Ascenazum* Germanorum, *Rhiphatum* Illyriorum vel Slavorum conditores esse, manifesta nominum convenientia ostenditur. Restat ut *Togarma Armeniorum* & *Pannonum* sit conditor.

III. Armeniorum in Togarma nominis illustre monumentum superest, ablata prima syllaba, id quod frequens, ut ex *Hispania* Spania, *Aram* Ram, *Hispahan* Spahan apparet. *Arma* igitur gentilitium *Armenus*, & Topicum *Armeniam* de se gignit. Certum est Gomeri posteros boreale Ponti Euxini latus coloniis suis occupasse & inde facili trajectu in Europam inundasse. Unde haud absque ratione conjicimus *Pannonas* Armeniorum propaginem fuisse, ut Ascaniorum Germanos & Riphatæorum Illyrios ac Slavos. Armeniæ regnum perantiquum fuit. *Barzanis* Regis *Diodorus* III. meminit. Inde sub Assyriorum & Medorum sceptra concesserunt. De Pannonibus videri potest Lazius & alii.

TIRAS.

TIRAS res *Thracum* complectitur.

I. TIRAS *Thracas* condidit, unde *Trausi* populi ad Hæmum *Herodoto* v. & *Livio* XXXVIII. *Thuras* Martis cognomen, *Tereus* & *Teres* Regum nomina apud Thracas.

II. Sub nomine Thracum continentur etiam *Getæ*, *Daci* & *Musi* teste *Strab.* VII. *Mela* II. 2. Fuerunt enim *Thraces* gens post Indos maxima. *Herod.* v. Lingua eorum Germanicæ affinis, ut ex nonnullis vocabulis patet. *Bassaris* Thracibus erat vulpes teste *Probo* & *Cornuto* in Persium, quod Germanorum *Vossen* est, *Voss.* III. Idol. 70.

Odrysarum regnum amplificavit *Teres.*

Thucydides II. *Teres Sitalcæ pater primus regnum* Odrysarum *adeo amplificavit, ut cæteros Thracum Reges potentia superarit.* Et paulo post: *Teres Odrysarum regnum primus per vim est adeptus.* Hujus regni quanta magnitudo fuerit hinc patet, quod ab *Abderis* ad *Istrum* in latitudinem itinere undecim dierum & in longitudinem à *Byzantio* ad *Leaos* vel *Lainos* populos Pæonios circa Strymonem, tredecim dierum extenderetur.

MESECH.

MESECH.

Mesech condidit *Moſchos.*

I. Mesech *Moſchos* condidit, gentem ad Pontum Euxinum, ubi *Moſchici* montes, Tibarenis & Chalybibus vicinam. Unde ſemper in Sacris Scripturis *Tubal* & *Meſech*, tanquam vicini & cognati populi, conjunguntur. *Ezech.* XXVII. & XXXVIII.

II. Ab his Moſchis *Moſcovitas* oriundos vix dubitant eruditi. Quanquam enim ab urbe regia *Moſcow*, hæc à fluvio cognomine ita dicti tradantur; nihil tamen obſtat, quo minus, ſicut montes Moſchici, ita etiam fluvius ille à Moſchis populis nomen acceperit.

JAVAN.

Javan res Dodanim ſive Rhodanim, Kittim, Tharschisch & Elischa complectitur.

I. Javan ſive *Janus* Æolibus *Ἰαϝων* cum digamma, fuit *Ionum* ſive *Græcorum* conditor. *Scholiaſtes* Ariſtophanis in Acharnan. *Πάντας τοὺς Ἕλληνας Ἰάονας οἱ Βάρβαροι ἐκάλουν*: *Omnes Græcos Barbari Iaones appellant. Voſſius* 1. Idol. 18 *Janus videtur eſſe Javan filius Japeti.* Idem *Deucalion:*

calion: quia Deucalonis filius Hellen: hic autem Elisa.

II. *Ionum* gens initio in Asia minore sedes habuit, quorum regio *Ionia* dicebatur: inde in Europam transgressi omnes insulas maris Ægæi & quicquid terrarum à Thracia ad Isthmum jacet, occuparunt. Ibi olim Ioniæ finis, ut ex columna Thesei patet. *Plut.* Thes. *Strabo* IX.

III. JAVANIS posteri inter se diviserunt Græciam, Italiam, Galliam & Hispaniam, ut Bochartus ostendit,

DODANIM sive RHODANIM.

DODANIM sive RHODANIM res *Gallorum* & *Britannorum* complectitur.

DODANIM sive RHODANIM, sitne proprium, an gentilitium nomen in ambiguo relinquimus: quanquam mens magis inclinet proprium esse. Gens *Rhodanim*, sive *Rhedones*, in Europa eam Galliæ partem primo occupavit, quæ ad fluvium *Rhodanum* & circa Massiliam jacet, ita à croceis capillis vel fulvis dicta: hoc enim non Arabibus modo *Rhadin* significat, sed ipsis Germanis *Roth*, rubrum vel fulvum est, unde *die Rothen* id est *Celtæ flavi*, nomen habuerunt. Aurea cæsaries à Marone & omnibus antiquis illis adscribitur, unde in Urbicii Tacticis vocantur τὰ ξανθὰ ἔθνη,

flavæ

flavæ gentes. Pars horum etiam in Epiro & Illyrico consedit, ubi Jupiter *Dodonæus* cultus, & in *Rhodo* insula.

Galli in *Germaniam*, *Italiam* & *Asiam* migrant.

I. Galliæ Celticæ populi, regnante *Ambigato*, Ducibus *Sigoveso* & *Belloveso*, cum ingenti multitudine novas sedes quæsitum emigrarunt. *Sigovesus* cum *Boiis* Hercyniam Silvam occupavit & *Boiohamum* appellavit. *Livius* v. *Patercul.* II. *Strabo* VII.

II. *Boii* postea à Marcomannis pulsi, trajecto Danubio, unde *Bojodurum* dictum, in Vindeliciæ partem ad Ænum concesserunt ibique *Bojoariam* condiderunt, & ex Vindelicia in *Nariscorum* terram regressi sunt. *Strabo* IV. VII. *Cluv.* Vindelic. cap. 3.

III. *Bellovesus* Bituriges, Arvernos, Senonas, Heduos, Ambarros, Carnutes excivit & per Taurinas Alpes Italiam ingressus *Mediolanum* condidit & Galliæ Cisalpinæ nomen dedit. *Liv.* v.

IV. *Tolistobogii, Trocmi, Tectosages* in Pannonia per CCC annos hæsere: tempore *Ptol.* Cerauni divisis agminibus, *Belgius* Macedoniam, *Brennus* Græciam invasit, Superstites ex clade Delphica, pars in *Thracia* circa Byzantium regnum condiderunt.

 Polyb.

Polyb. IV. alii in confluente Danubii & Savi consederunt, *Scordiscorum* nomine assumpto. *Strabo* VII. *Athen.* VI. Alii Ducibus *Leonorio* & *Luthario* in Asiam migrarunt, ubi à Nicomede I. Rege Bithyniæ Paphlagoniam accepere, quæ ab ipsis *Galatia*, *Gallo-Græcia* & *Græco-Gallia* dicta. Trocmi *Ancyram*, Tolistobogii *Tabiam*, Tectosages *Pessinuntem* condidere. *Strabo* IV. & XII. *Pauſ.* X. *Iuſtin.* XXIV. & XXXII. *Diod.* XXII. *Memnon* apud Photium. *Liv.* IV. Dec. 8. *Claudianus* II. in Eutrop.

Nuper ab Oceano Gallorum exercitus ingens
Illis, ante vagus, tandem regionibus hæsit,
Gæsaque depoſuit. Grajo jam mitis amictu
Pro Rheno poturus Halym.

Hos Gallo-Græcos plurima vocabula Græca in suum idioma transtulisse vult *Lazius* I. de migration. quorum prolixum catalogum ibidem exhibet; Græca vocabula cum Latinis contendens.

Allobroges in *Alpibus Italiæ* hæserunt.

Tempore Belli Punici II. Rex Allobrogum fuit *Broncus*, *Livius* XXI. Ei successit *Betullus* à Q. Fabio Maximo captus. Postea *Cottius*, à quo *Cottiæ* Alpes dictæ, Populum Romanum hæredem sub Augusto

gusto constituit. Fuerunt etiam alii per Galliam Reges, quales Suessonum *Divitiacus* & *Galba* apud *Iul.* Cæsarem II. de Bello Gallico. Segobrigiorum *Nannus* & *Comanus*, *Iustin.* XLIII.

ELISA.

ELISA res *Græcorum* complectitur.

I ELISA Græcis Ἕλλης, Ἕλλην, Ἑλλὶς, condidit *Hellenas* sive *Græcos* tam qui extra quam intra Isthmum & Peloponnesum habitabant. Unde & *Alis* sive *Elius* Deus eorum teste *Vossio* I. de Idolat. 13. & *Hellespontus*, quem trajecerunt, dictus, non à fabulosa Helle. Ab eo dicta *Elis*, in qua regio *Alisium* Homero commemorata. Purpura præstantissima ex Elisa afferebatur. *Ezech.* XXVII. 7. quia ejus uber circa Laconicam & Corinthum piscatio fuit. Unde autem *Græcorum* nomen fluxerit, quod receptum Latinis, incertum est. Sunt qui id à *Rhagan* deducunt, unde factum ῥαϊὸς & γ præposito γραϊὸς. Nam non tantum Γραικοὶ sed & Ῥαικοὶ dicti teste *Hesychio*. Quod si verum, tum statuendum esset *Pelegum* & *Ragau* vel eorum posteros in Græciam venisse & ab iis *Pelasgos* ac *Græcos* denominatos Nam Pelasgi & lingua & moribus fuerunt ab Hellenibus di-

versi, unde *Herodotus* I. dicit eos lingua barbara usos & alibi τὸ πελασγικὸν & ἑλληνικὸν opponit. Id constat Pelasgos in Italiam venisse, & forte cum iis Græcos, unde Græcorum nomen Itali Hellenibus tribuerunt.

II. *Græcorum* gens per *Asiam* minorem, Insulas maris Ægæi, Helladem, Peloponnesum, Siciliam & illam Italiæ partem, quæ *Magna* Græcia dicebatur dispersa fuit. Causa, quod in parvas portiones dispersi nulli communi imperio jungerentur: unde facile nunc hi, nunc illi ejecti, *Strabo* III. Dividebantur Græci in *Iones* & *Dores*. *Attici* ad Iones, *Æoles* ad Dores referebantur.

III. *Græcorum* Historia tempus ἄδηλον & μυθικὸν, ut aliarum gentium, complectitur. Quidquid à creatione Mundi ad Diluvium, inde ad tempora Abrahami effluxit; id est res fere duum millium annorum, id omne Græcis *incognitum* ignoratumque fuit. Tempus *fabulosum* incipiunt à regno Sicyonio, Argivorum, Atheniensium & plerarumque civitatum, atque hinc mirabilem illam priscorum Regum concatenatam seriem, ridendam potius quam credendam, proponunt. Nam & littora & promontoria & silvas & fontes Reges fecerunt. Ita cum Sicyon urbs littoralis Peloponnesi esset, primus ejus Rex debebat esse *Ægialeus* quidam fictitius. Ita *Attica* quod esset triquetra, dicta Ἀκτική: quod

quod aſpera & petroſa Κεχναή. Unde mox Heroas & Reges *Actæum*, *Cranaum*, *Attidem*, *Cecropem* & alios finxerunt, qui nunquam in rerum natura fuerunt. Sed neceſſum omnino erat Reges illos à terra pariter & cœlo arceſſere, quippe ex quibus multi Græcorum pariter ac Ægyptiorum dii erant naſcituri, *Iſis* & *Apis*, *Hercules* & *Bacchus*, ut de reliquis mythologicis nihil nunc dicam. Hos Reges & Heroas ex quorum proſapia *Mythicam* ſuam Hiſtoriam compoſuerunt Græci, non eſt exiſtimandum omnino confictos ab illis fuiſſe. Sicut à Phœnicibus literas, ita Theologiam quoque & Hiſtorias Hebræas iiſdem authoribus acceperunt, quod quidem factum fuit hac occaſione. Cum *Sanchuniatho* Berytius ab *Hierombalo* ſive *Ierubbaal*, qui eſt *Gideon*, Sacerdote Dei Ἰευὼ ſive Jehovæ Iſraëlitarum Dei origines Phœnicias accepiſſet, ut ſupra relatum: ejuſdem Sanchuniathonis ſcripta in linguam Græcam tranſlata nacti fuerunt Græci, quorum in Phœniciam frequentes erant navigationes. Atque hinc illa *Mythica* Græcorum *Hiſtoria* tantam cum Sacrarum Scripturarum narrationibus affinitatem habet. Quanquam enim multa inſuper commenta affinxerint, manſerunt tamen certa veſtigia originum unde petita fuerit. Quod quidem aliquot claris exemplis facile oſtendi poteſt. *Voſſius* in libris de Idololatria prolixè probavit *Moſen* Hebræorum

esse Bacchum, *Josuam* Herculem Græcorum. Adscripserunt autem suo Herculi non facta modo Josuæ, verum etiam *Samsonis*, à cujus ætate non multum distabat, quippe *Hyllus*, Herculis filius, anno octavo Principatus Samsonis in Monomachia periit, si *Diodoro* credimus. *Samson* leonem in juventute dilaceravit: idem *Hercules* fecisse dicitur. Leo *Nemæus* idem est cum ille Samsonis *Timnathæo*. Uterque multos Tyrannos & populi oppressores necavit. Hoc sibi volunt *Hydra*, *Centauri*, aves *Stymphalides*. Uterque à *fœminis* deceptus periit. Uterque sub ingenti *mole* sepultus. Toto sepultus *Oeta* jacet Hercules: Samson toto *templo*. Quid quod *duæ* Herculis *columnæ* in Samsonis historia, templum *Dagonis* diruentis, quod duabus columnis nitebatur, clara sui vestigia ostendunt? Sed major erat Samson quam ut uni Herculi exsculpendo sufficeret; alios quoque Heroas ex reliquiis procuderunt. Veluti *Oedipum* & *Sphingem*. *Ænigma* Samsonis fecit Sphingem. Cædes, quam commisit in socero suo, *Oedipum* patricidam Laii, Hinc tot Tragœdiæ: & tandem Simsonis pariter ac Oedipi cæcitas & miserabilis exitus. Jam *Inachus* & *Anaxis* qui sunt alii quam *Enakim*, quos Josua ex Palæstina pepulit? Quid sibi vult Argonautarum ad Colchos expeditio quam quod sacræ literæ Salomoni in Ophir naviganti tribuunt? & *Iasonis* nomen an non ex *Iosua* expres-

sum

ſum videtur? Græci dicunt Jaſonem altera expeditione in Colchidem cum ingenti multitudine ſuſcepta, *Æetam* regno reſtituiſſe, orientem domuiſſe ac propterea divinis honoribus apud Armenios, Colchos, Medos cultum, ſtructis in ejus honorem templis quæ *Iaſonia* vocentur. *Tacitus* VI. Ann. *Strabo* XI. *Iuſtin.* XLII. *Marcell.* XXII. Quæ omnia quis non videt ex Joſuæ per orientem geſtis rebus fabuloſe ad Græcum Jaſonem à Poëtis detorta fuiſſe? Tempora fateor diſcrepant, ſed quis à Græcis ante Olympiades temporum rationem exigat? & licitum erat Poëtis Hiſtoriæ Mythicæ magiſtris ſingula pro lubitu digerere. Quanquam ſi quis etiam in temporibus convenientiam urgeat, facile bello Trojano, quod inter omnes Græcorum fabulas principatum obtinet, convinci poterit. Ante omnia cum *Dione* Chryſoſtomo præſumo *nullum fuiſſe Bellum Trojanum*, Ilium nunquam à Græcis deſtructum, multominus totam Græciam propter unius fœminæ raptum communi conſenſu arma induiſſe. Aliunde igitur Belli Trojani fabula derivata fuit in Oceanum illum mythicum poëtarum, & unde potius quam ex ſacris hiſtoriis? Nimirum ex hiſtoria *Iephtæ* ejuſque contra *Ammonitas* & *Ephraimitas* bello totum illud Trojanum incendium conflatum fuït. Hinc *Iphigenia* ad aras immolanda trahitur, Timante Agamemnonem præ nimio

luctu sub velo abscondente. Quæ enim illa est *Iphigenia* nisi *Jephtæ* filia, quam ne nomine quidem dissimulare voluerunt? *Iphis* igitur *Jephte*, & hic *Agamemnon* Iphigeniæ pater. Nolunt Græci immolatam Iphigeniam sed Dianæ cervam; ipsam ad Tauros, hospitibus immolandis, abripiunt. Disputant Hebræi hodieque *an Jephtæ filia immolata*, & plerique negant ac tantum ad perpetuam *virginitatem* eam condemnant virginumque Vestalium præsidem faciunt. Ac id quidem mirabile videtur Belli Trojani initium exacte in Principatus Jephtæ initium incidere. Eodem igitur anno quo Jephta filiam suam immolare volebat, Græculi Agamemnonem suum adversis in Aulide ventis detentum fingunt Iphigeniam suam aris admovere. Atque hæc quidem sufficere videntur ad demonstrandum quam prope omnia Mythicæ Historiæ apud Græcos ex Sacris Historiis Hebræorum deprompta & in alium sensum detorta sint.

Græci in Regna & Respublicas L. fere divisi fuerunt.

I. Si quis calculum Politiarum, quæ à Græcis institutæ fuerunt, accuratius subducat, circiter quinquaginta reperiet. Nomina eo ordine, quo singulæ emerserunt & à Chronologis ac Historicis commemorantur, hæc sunt: *Ægialia* sive Sicynoniorum,

rum, *Lelegum, Messeniorum, Ectenum, Cretæ, Argivorum, Lacedæmoniorum* sive Spartanorum, *Pelasgorum, Thessalorum, Atticæ, Daulidis* in Phocide, *Locrorum* Ozolarum, *Corinthiorum, Eleusinæ, Elidis, Pilæorum, Arcadiæ, Æginæ, Ithacæ, Cephalleniæ, Phthiæ, Phocydis, Ephyræ, Æolidis, Thebarum, Callistæ, Ætolorum, Dolopum, Oechaliæ, Mycenarum, Eubææ, Minyarum, Doriensium, Pherarum, Iolci, Locrensium, Trachiniorum, Thesprotiorum, Myrmidonum, Salimines, Scyri, Hyperiæ* sive Melitæ, *Insul.* Vulcaniarum, *Megaræ, Epiri, Achaiæ, Ioniæ, Macedoniæ*, & insularum maris Ægæi. Eo enim ordine antiquissimi Græcorum populi, regna & Respublicæ initio emerserunt & sub his nominibus, quæ postea nonnunquam mutata, donec tandem post bellum Persicum tota Græcia durante bello Peloponnesiaco, in duas quasi magnas Respublicas, *Atheniensium* & *Spartanorum*, divisa fuit, cæteris Græciæ populis vel vi, vel federe ad alterutram adactis, à quo tempore in Græcia floruerunt Respublicæ *Atheniensium, Spartanorum* sive Laconum, *Cretensium, Argivorum, Thebanorum*, Corinthiorum, Syracusanorum, Corcyræorum, Samiorum, Chiorum, Rhodiorum, & tandem *Achæorum* ac *Ætolorum*. Sub quibus Græcia primo in *Macedonum*, inde *Romanorum* potestatem concessit. Quæ Respublicæ cum à Pausania & Ubbone Emmio copiose descriptæ sint, nos pauca tantum

tantum per saturam commemorabimus.

II. Initio singuli populi ac civitates pleræque Reges habuerunt: postea abrogata regia potestate Respublicas, Aristocratias & Democratias instituerunt, ut ex omnibus non nisi duo Regna remanserint, Macedonicum & Spartanum.

Oenotri, *Pelasgi* & *Tyrrheni*, *Italiam* ac *Siciliam* occupant.

Antiquissimæ Græcôrum migrationes in Italiam ab *Oenotris* & *Pelasgis* factæ sunt. *Oenotri* Ausoniam de suo nomine *Oenotriam* appellarunt, dicti etiam *Aborigines* à montanis sedibus: inde in Siciliam trajecerunt. Post eos *Pelasgi*, cum diu per Asiam, Peloponnesum, Græciam errassent & in Thessalia, quæ exinde Pelasgia dicta, consedissent, à *Curetibus* & *Lelegum* manu, quos *Ætolos* & *Locros* appellant, pulsi & per varias insulas ac regiones dispersi, tandem in Italiam venerunt & inter Aborigines, Umbros, Siculos, Auruncos, consederunt, anno octogesimo ante captam Trojam. Sed quia antiquæ illæ Græcorum migrationes admodum incertæ & fabulosæ sunt, de illis *Dionysius* Halicarnasseus lib. I. prolixius videatur. De *Tyrrhenorum* ex Asia in Italiam adventu, omnia etiam incerta sunt. Non esse eos Lydorum coloniam Dionysius ex lingua ostendit, quæ diversissima Hetruscis & Lydis fuit. Tanta

Græco-

Græcorum multitudine in Italiam confluente pars ejus inferior & Sicilia *Magna* Græcia dictæ fuerunt. *Strabo* VI.

Athenienses *Regibus* & *Archontibus* gubernabantur.

I. Regnum Atheniensium condidit CECROPS Ægyptius, *Saitarum* colonia in Atticam deducta, ante primam Olympiadem annis 780. ut ex Castore habet *Eusebius* in Chronico. *Diod.* Sicul. I. Ab ejus temporibus Græcorum antiquitates deducit Chronographus *Parius* inter Arundelliana marmora à Seldeno editus. Fuisse quidem ante Cecropen dicuntur & alii Reges, veluti *Ogyges*, *Actæus*, sed certior series à Cecrope descendit.

II. Post generosam Codri pro patria mortem, creati Athenis *Archontes* primo *perpetui*; deinde *decennales*, utrique ex familia *Medontidarum*; ultimo *annui*, de quibus *Meursius* in libris de Regibus & Archontibus Atheniensium.

HERACLIDÆ recuperant Peloponnesum.

I. Dorienses cum LXXX. annis Peloponneso exulassent, tandem Ducibus Heraclidis *Aristodemo*, *Cresphonte*; in Peloponnesum redierunt, quod dicitur *Descensus Haraclidarum* sive *Doriensium* in Pelopon-

loponnesum estque in Historia Græca celeberrimus, de quo *Herodot*. VI. *Thucyd*. I. *Diod*. Sicul. IV. *Pauf*. Lacon. *Velleius* I. *Justin*. II. *Euseb*. Chron.

II. Constituerunt *Heraclidæ* in Peloponneso Regna *Spartanorum*, *Corinthiorum*, *Messeniorum*, *Elidis*. Unde lingua *Dorica* etiam apud *Arcadas* & *Eleos*, quia *Æolici* generis, prævaluit, ut tandem tota Peloponnesus existimata sit δωρίζειν διὰ τὴν σύμπασαν ἐπικράτειαν Doriensium Spartanorum, ut *Strabo* testatur. Nam non tantum quod coloniæ essent Doriensium Heraclidarum, verum potissimum quia subjecti Spartanis, *Dorica* lingua usi fuerunt. *Pelopidæ* vero Sparta pulsi in *Achaia* regnarunt.

Iones & Æoles in Asiam migrant.

I. *Iones* Peloponneso ab Heraclidis Doriensibus expulsi *Athenas* venerunt, à quo tempore Athenienses dicti *Iones* & *Attica* Ionia. *Strabo* VIII. IX. Cum vero tantam multitudinem regio alere non posset, suscepta *migratio* celeberrima in Asiam, veterem patriam, ejusque ora maritima occupata, quæ exinde dicta, *Ionia*. Urbes condidere, *Ephesum*, *Miletum*, *Erythram*, *Clazomenas*, *Phoceam*, *Colophona*, *Prienen*, *Lebedum*, *Myuntem*, *Erythram*, aliasque minores, multasque *in Ægæo* ac *Icario* mari insulas, *Samum*, *Chium*, *Andrum*, *Tenon*, *Delon*, aliasque ignobiles.

II. Mox

II. Mox *Æoles* eadem profecti Græcia longiſque acti erroribus, non minus illuſtres condidere urbes *Smyrnam*, *Cymen*, *Lariſſam*, *Myricam*, *Mitylenen*, & alias. *Herod.* I. *Pauſan.* *Ach.* *Strabo* XIII. *Velleius* I. *Ælian.* I. Var. 5. *Euſ. Chron.*

III. Ex hac migratione quatuor linguæ Græcæ dialecti exortæ; *Attica*, *Ionica*, *Dorica*, *Æolica*. Nam quamdiu in Græcia manſerant, eadem *Dorienſium* quæ *Æolum*, eadem *Ionum* quæ *Athenienſium* dialectus, vel parum differens fuit. *Strabo* VIII. At in *Aſia* Myſis & Phrygibus, Caribus & Lelegibus permixti, multum linguam immutarunt, de quo Salmaſ. Helleniſt.

IV. Poſtea *Iones* Aſiatici latius diffuſi plurimas ad Pontum Euxinum colonias condidere. *Strabo* VII. & tempore Cyri *Phocenſes*, imprimis *Mileſii* LXXV. civitatum conditores. *Strabo* XIV. in ipſam *Corſicam*, *Hiſpaniam* & *Galliam* migrarunt, ubi civitatem *Maſſiliam* ad oſtium Rhodani condiderunt ducibus *Prato* & *Simone*. Hinc literę moreſque Græcorum in Gallia. *Thucyd.* I. *Strabo* IV. *Livius* XXXV.

V. Cum ita *Iones* Aſiam occuparent, *Leleges* & *Cares* ab iis ſedibus ſuis ejecti alias terras petierunt. *Strabo* XIV. pars eorum in *Ægyptum* venit, quibus à Pſammeticho ſedes circa *Bubaſtum* urbem ad Peluſiacum oſtium attributæ. *Herodot.* II. alia manus ab Anaxilao Rheginorum Tyranno evocata

evocata *Zanclen* Siciliæ occupavit. *Thucyd.* VI. *Herodot.* VII. quos paulo post *Messenii* iterum ejecerunt. *Strabo* VI. *Paus.* IV.

Cyrene à *Batto* condita.

I. *Battus* filius Polymnesti *Minyarum* familiæ ex insula *Thera* coloniam *Græcorum* & *Phœnicum* Cadmi posterorum, in Africæ locum, cui *Irasa* nomen, deduxit & urbem condidit *Cyrenen*, in qua posteri ejus regnarunt. *Herod.* IV. *Pindar.* Od. IV. Pyth. sub *Batto* III. novis ex universa Græcia colonis Cyrene aucta. Eam in tres classes *Battus* IV. divisit. Ultimus Rex Cyrenes fuit *Arcesilaus*, qui à *Barcæis* Afris occisus, civitatem liberam reliquit. Duravit is status usque ad tempora Alexandri Magni, cum à *Thymbrone* Harpali spoliatore bello fracti, in potestatem *Ptolemæi* Lagi concessere.

Messenii à Lacedæmoniis in exilium pelluntur.

Capta *Ithome* & *Ira* Messenii sedibus suis pulsi per universam Græciam dispersi fuerunt & in Sicilia *Messanam* condiderunt. *Iustin.* III. *Strabo* VI. & VIII. *Pausan.* IV. Sed postea fraude à *Mamertinis* hospitibus trucidati fuerunt & urbs *Mamertium* vocata; usus tamen *Messanæ* nomen restituit *Flor.* II. I. Tertio Bello vi-

cti

cti *Helotæ* & Peloponneſo pulſi partim *Naupactum*, partem in *Siciliam* ad Meſſenios, partim in *Africam* conceſſere. *Diodor.* XI. & XV. Poſt Bellum Meſſenii Spartani coloniam *Partheniorum* duce Phalanto in Italiam miſerunt, qui *Tarentum* occuparunt, ut iidem auctores teſtantur.

CORINTHII poſt Reges Prytanas inſtituunt.

CORINTHIORUM quinque Dynaſtias recenſet Scaliger, alii ſextam addunt. Tres celebriores fuerunt *Siſiphidarum*, *Heraclidarum* & *Bacchiadarum*, ultimus *Bacchiadarum Teleſtes* fuit, poſt quem Corinthii *Prytanas* inſtituerunt, quibus oppreſſis *Cypſelus* & *Periander* Tyrannidem invaſerunt. Ipſa Corinthus tandem à *Mummio* funditus exciſa & deleta, mox iterum ſitu loci pulcherrimo emerſit & hodieque inter florentiſſimas Græciæ recenſetur.

Imperium Macedonicum condidit ALEXANDER Magnus.

I. MACEDONUM originem ſunt qui à *Chittim* Javam filio deducunt. Ita author libri primi Macchabæorum *Alexandrum* Macedonem egreſſum dicit ἐκ τῆς γῆς Χεττιὶμ, & *Perſea* cap. VIII. 5. vocat κιτιέων βασιλῆα. Neque abludit nomen Macedoniæ antiquum: dicta enim fuit *Macettia* vel

vel *Macetia* & Macedones *Macetæ* apud *Gellium* IX. 3.

II. Sed quia apud Danielem *Alexander* vocatur Rex *Javan* id est Græciæ, ex Javani autem filiis Elisa condidit Græcorum populos, quorum pars Macedones fuerunt: hinc præstat *Chittim* in Italiam ablegare, & originem Macedonum à Græcis sive Elisa deducere, maxime quia *Caranus* regni conditor fuit ex posteritate Herculis.

III. Conditor regni Macedonum statuitur CARANUS, *Vell.* I. *Iustinus* VII. *Pausf.* IX. quod idem ac Κοίρανος Dominus. *Ausonius* epist. XIX. *Et Caranus Pellaa dedit qui nomina Regum.* Fuit ex Herculis posteritate & ab eo XI. vel XII. non vero XVI. ut apud *Vellejum* corrupte scribitur. Et sunt qui Persarum ac Macedonum Reges ab eadem origine, *Perseo* nimirum deducant, quod ut obscurum, in ambiguo relinquimus. Quanquam vero Regum series à *Carano* deducatur; primus tamen *Perdiccas* I. Rex nominatus fuit. *Solinus* cap. 14. *Herodotus* VIII. 137. 138. Ac ab eo tempore Macedones & Thessali, qui tamen antiquissimi Græcorum sive Hellenum erant, Barbaris accensi & nomine *Hellenum* exclusi fuerunt, quod cum hactenus solis *Phthiotis* competeret, imposterum omnibus Græcis, præter Macedones & Thessalos, tributum fuit, ut Salmasius de lingua Hellenistica ostendit.

IV. Im-

IV. Imperium *Macedonicum* vocatur TERTIA MONARCHIA & in ſtatua Nebucadnezaris comparatur *ventri* & *femoribus* æneis, *pardo* etiam quatuor alis & totidem capitibus conſpicuo & *hirco* volanti, unde *Alexander Magnus* ab Arabibus & Perſis vocatur *Dhul karnayn*, id eſt, *Bicornis*, quod Europæ pariter atque Aſiæ Imperium obtinuerit. Nam Ægyptus Aſiæ ex parte accenſebatur.

V. Cum *Philippus* Rex Macedoniæ Corinthi *Dux* Græciæ contra Perſas conſtitutus eſſet. *Iuſtin.* IX. 5. ſive στρατηγὸς αὐτοκράτωρ τῆς Ἑλλάδος, *Diod.* XVI. 90. *Gemiſtus* II. filius ejus ALEXANDER fulguri coruſcanti ſimilis & hinc inde diſcurrenti admiranda celeritate effulſit, *Appian.* in prooemio Hiſt. Rom. & vaſtiſſimum per *Europam*, *Aſiam* & *Africam* Imperium condidit, cujus termini fuerunt *Iſter* & *Pontus* Euxinus verſus boream, *Hypaſis* & *Oceanus* Indicus, ſinus *Perſicus* & *Arabicus* verſus Orientem ac Auſtrum, in Africa *Cyrenæ*. Omnes hoc ſpatio concluſæ provinciæ Alexandro M. ſubfuerunt, exceptis in Græcia *Ætolis*, in Peloponneſo *Lacedæmoniis*, *Cappadocibus* in Aſia. *Iuſt.* XXVIII. 2. *Strabo* X. *Provinciæ* fuerunt: *Macedonia*, *Thracia*, *Græcia*, *Ægyptus*, *Africæ* & *Arabiæ* pars, *Syria*, *Cilicia*, *Lycia*, *Pamphylia*, Major *Phrygia*, *Caria*, *Lydia*, Minor *Phrygia*, *Paphlagonia*, *Media*, *Suſiana*, *Parapemeni*, *Arachoſia*, *Gedroſia*, *Drancæ*, *Aria*,

Bactriana, *Sogdiana*, *Parthia*, *Hyrcania*, *Armenia*, *Persia*, *Babylonia*, *Mesopotamia*, *Media*, *India* inter Hydaspen, Indum, Hypasin *Curt*. X. *Diod*. XVIII. *Arrianus* I. de rebus post Alex. *Justin*. XIII. Quod vero *Mithridates* apud *Iustin*. XXXVII. 7. testatur: *Cappadociam*, *Paphlagoniam*, *Pontum*, *Bithyniam*, *Armeniam* Majorem minoremque neque *Alexandrum* neque ejus *successores* subegisse, id jactanter potius ab eo quam vere dictum. Paphlagoniam subactam fuisse testatur *Curtius* III. Cappadociam post obitum Alexandri Perdiccas domuit, Ptolemæus Cyrenen, *Iustin*. XIII. 6. Et tum temporis *Media* & *Phrygia* in *majorem* & *minorem* primum divisæ fuerunt. Tradunt Arabes Alexandrum exstruere cœpisse aggerem *Iazuzi*, id est portas *Caspias*, de quo Abul *Pharagius* & Nubiensis Geographus, quantum credibilius est per aggerem Jazuzi intelligere eos famosum illum murum Sinensem, cujus conditorem feceruntAlexandrum Magnum ignorantia rerum Sinicarum, cum aliquanto post ætatem Alexandri tempore demum exstructus fuerit, ut in Sinensibus dicemus.

Divisum fuit in regna *Asiæ*, *Thraciæ*, *Macedoniæ*, *Syriæ* & *Ægypti*.

I. Causa hujus dilacerationis fuit *ambigua* Alexandri M. moribundi *vox*, qua nulla

nulla habita ratione fratris liberorumque suorum, successorem illum constituit qui *dignissimus* esset, unde Duces sibi imperium veluti palmam propositum existimantes, illud in varias partes & regna distraxerunt.

II. Igitur occisis à *Cassandro* Alexandri liberis, primus *Antigonus*, post victoriam ad Cyprum REGEM se vocavit. *Justin.* xv. cujus exemplum *Ptolemæus, Seleucus, Cassander*, *Lysimachus* secuti, singula regna condiderunt.

Ex regno Asiæ regna *Pergami*, *Bithyniæ*, *Cappadociæ* & *Ponti* nascuntur.

I. Regnum *Asiæ* condidit ANTIGONUS ejusque filius *Demetrius*, urbe *Antigonia* ad Orontem structa. *Diod.* xx. sed illud mox iterum collapsum ac destructum fuit, ex cujus ruinis regna minora *Pergami*, *Bithyniæ*, *Cappadociæ* & *Ponti* exorta fuerunt.

II. *Cappadociam* recuperavit *Ariarathes* filius illius *Ariarathis*, quem *Perdiccas* subegerat. *Diod.* XXXI. *Justin.* XXXVIII. Commune Regum nomen fuit *Ariarathes*. Victo *Tigrane* & *Mithridate* Pompejus *Ariobarzani* Regi Cappadociæ *Sophenam Gordienam* sive Armeniam Minorem, *Cabalam* Ciliciæ & alia loca donavit. Ultimus Regum *Archelaus* Romam à Tiberio

rio evocatus ibidem obiit, Populo Romano regni Cappadociæ hærede constituto, teste *Iornando* de successf. regnorum, cap. 55.

III. Regnum *Pergamenum* condidit *Philaterus* thesaurorum Lysimachi in castro Pergameno custos, cujus successor *Eumenes*, Smyrna, Phocea, Colephone, Mysia & omni Asia Minore occupatis, *regium* nomen cum diademate sumsit. *Strabo* XIII. *Pausan.* I. *Livius* XXXIII. Et quanquam *Attalus* ab *Achæo* Asia minori exutus *Pergamenas* tantum regiones teneret, mox tamen amissa recuperavit. *Polyb.* VII. Inde *Romani* victo Antiocho Magno Eumenem *Asia* Minore & *Chorsonneso* Thraciæ, ubi urbs *Lysimachia*, donarunt. *Val.* Max. IV. 8. ita ut regnum hoc *Lycaoniam*, *Phrygiam*, *Mysiam*, *Lydiam*, *Ioniam* & *Chersonnesum* Thraciæ complecteretur. *Livius* XXXVII. I *Macc.* VIII. 8. Sedes regia *Pergamum* erat. *Attalus* III. Regnum Asiæ Pop. Rom. testamento legavit, quam victo *Aristonico* in provinciæ formam redegerunt. *Livii* epit. LVIII. *Vell.* II. 4. *Flor.* II. 20. *Iustin.* XXXVI. 4. *Strabo* XIII. & XIV. *Plin.* XXXIII. II. *Val.* Max. V. 2. *August.* XIII. C. D. II. *Acron* ad Horat. Carm. II. 18. vult ex Horatii sententia Romanos non jure factos hæredes Attali. Idem innuit *Mithridates* in fragmentis Sallustii lib. IV. Histor.

IV. Regnum *Bithyniæ* condidit *Zipoetes*

Thrax, ante quem tamen in ea *Dydalſus*, *Botyras*, *Bas* regnaverant, *Memnon* apud Photium cap. 19. 20. 21. Ejus filius *Nicomedes* Pontum & Paphlagoniam ope Galatarum adjecit, à quo tempore *Bithynia* & *Pontus*, quæ hactenus duæ diſtinctæ Provinciæ fuerant, uno *Bithyniæ* nomine cenſebantur. Idem *Nicomediam*, filius ejus Pruſias *Pruſam* exſtruxit. Sed *Paphlagones* iterum peculiares Reges habuerunt, quorum commune nomen fuit *Philiamenes* ſive potius *Pylæmenes* à Pylæmene Paphlagonum ad Trojam Duce, *Homer.* ιλ. II. & V. à quo Paphlagonia etiam *Pylemania* dicta, *Plin.* VI. 2. Mentio etiam fit *Ptolemæi* Regis Paphlagoniæ apud *Liv.* LIX. *Strab.* XIV. poſt cujus obitum inter Mithridatem & Nicomedem III. diviſa fuit. *Appian.* in Mithrid. *Iuſtin.* XXXVII. Sed Romani per Legatos Paphlagoniam reſtitui petierunt, quod Nicomedes ſubdole feciſſe viſus fuit tradens eam Philiameni filio ſuo tanquam juſto Regi. Unde *Oroſius* VI. 2. *Nicomedem* & *Pylæmenen* Paphlagoniæ Reges vocat. Paulo poſt Romani eam liberam eſſe juſſerunt, *Iuſtin.* XXXVII. 4. Pilæmenes Rex Paphlagoniæ Romanos hæredes teſtamento inſtituit. *Iornandes* de ſucceſſ. regnor. cap. 55.

V. Cæterum ex Paphlagonia novum regnum ſub nomine *Galatiæ* vel *Gallo-Græciæ* vel *Græco-Galliæ* emerſit. Quippe cum *Galatæ* Nicomedi I. contra rebelles

auxilia tuliſſent, *Paphlagoniam* iis dedit, quam occupatam *Galatiam* dixerunt. Duo *Galatarum* Principes memorantur *Leonorius* & *Lutharius:* gentes tres, *Trogmi* qui Ancyram, *Toliſtobogii* qui Tabiam & *Tectoſages* qui Peſſinuntem condiderunt. *Pauſan.* x. *Strabo* XII. *Orgiagontis* Regis Galatarum meminit. *Flor.* II. II. Poſtea Pompejus victo Mithridate Galatiam in quatuor *Dynaſtias* ſive *Tetrarchias* diviſit. *Appian.* in Mithridate & Syriacis. Orientalis partis Rex fuit *Deiotarus.* Sub Auguſto in provinciæ formam redacta.

VI. *Bithynia* ipſius *Nicomedes* IV. P. Romanum teſtamento hæredem ſcripſit, à quibus in provinciæ formam redacta fuit. *Appian.* Mithridat.

VII. *Ponti* regnum ſucceſſoribus Alexandri inter ſe digladiantibus occupavit *Mithridates* II. Κτίϛης, quanquam *Mithridates* VI. Eupator apud *Iuſtinum* XXXVI. teſtetur: *Pontum nunquam Macedonibus paruiſſe.* Hoc regnum late per *Scythiam* extenſum, *Colchidem, Boſphorum, alioſque* populos ad Pontum Euxinum complectebatur. Poſt victum à Pompeio Mithridaten, Pharnaces Boſphoranum regnum ſibi pactus, cui à Cæſare ſuffectus *Mithridates* Pergamenus, ab Antonio *Darius.* Deinde *Cæſares* crearunt Reges *Boſphori, Iberiæ* & *Armeniæ*, multum licet reluctantibus Parthis & Perſis.

Thracia

Thracia in *Sapæos*, *Odryſas* & *Galatas* diviſa.

Regnum Traciæ condidit LYSIMACHUS, à quo *Lyſimachia* in Cherſoneſo exſtructa, quæ prius *Cardia* dicebatur. *Iuſtin.* XVII. I. *Pauſ.* Att. *Strabo* x. *Stephanus*. Poſt ejus mortem *Thracia* in tria regna, *Sapæorum*, *Odryſarum* & *Galatarum* fuit diviſa. Galatæ enim poſt irritam templi Delphici Duce *Brenno* oppugnationem, non ibi fulminibus & terræmotu deleti, ut Græci Polybio teſte fabulantur; ſed magno numero in *Thraciam* migrarunt ibique Regnum celebre condiderunt.

Macedonia ad *Alexandri* Familiam redit.

Poſt varios motus, cum extincta Caſſandri familia Macedonia diu prædæ & direptioni occupantium *Pyrrhi*, *Seleuci Nicatoris*, *Ptolemæi* Cerauni, *Galatarum*, expoſita fuiſſet, tandem *Antigonus* Gonatas ex Alexandri Magni poſteritate, eam recuperavit. Ultimus Regum fuit *Perſeus*, quo victo Macedonia à Romanis in provinciæ formam redacta.

Syria defectione *Indorum*, *Bactrianorum*, *Parthorum*, *Armeniorum*, *Medorum*, *Judæorum*, *Arabum* debilitata fuit.

I. Regnum *Syriæ*, quod omnes Orientis provincias Macedonicas, usque ad *Hypasin* Indiæ complectebatur, SELEUCUS *Nicanor*, ut in numismatis, *Nicator* ut *Appiano* in Syriacis, *Ammiano* XXIII. *Iustino* XV. 4. & XXXVIII. 7. vocatur, cujus successores SELEUCIDÆ dicti, fundavit; ac in LXII. Provincias divisit. *Appian.* Syriac. plurimis insuper urbibus structis. Quippe XVI. *Antiochias*, IX. *Seleucias*, tres *Apamias*, unum *Stratonicen* & præterea alias exstruxit. *Strabo* XVI. *Plin.* XVI. 26. *Appian.* Syr. *Ecbatanam* instauravit. *Plin.* VI. 14. *Antigoniam* delevit, incolis *Seleuciam* ad Tigrim translatis. *Diod.* XX. Condita *Seleucia* quadragesimo à *Babylone* lapide, ejus vicinia *Babylon* magis magisque exhausta & in solitudinem redacta fuit. *Plin.* VI, 36. adeo ut *Diodorus* Siculus II. testetur: *sua ætate exiguam ejus partem habitatam, maximam intra muros agrorum cultui expositam.* Ita impletum quod *Ieremias* LI. 27. 62. prædixerat. Ab his Regibus *Seleucidis* multæ urbes *Macedonici* nominis per Orientem exstructæ, *Berrhœa*, *Edessa*, *Perinthus*, *Maronia*, *Callipolis*, *Pella*, *Oropus*, *Amphi-*

Amphipolis, *Arethusa*, *Astacus*, *Tegea*, *Chalcis*, *Larissa*, *Erea*, *Apollonia* in Parthia, *Sotera*, *Calliopi*, *Charis*, *Hecatompolis*, *Ahaia*, in Armenia *Nicopolis*, in Mesopotamia *Nicephorion* & aliæ. *Appian.* Syr. Divisit *Seleucus*, ut filio *Antiocho* novercam Stratonicen depereunti, suasu *Erasistrati* gratificaretur, regnum in duas partes, ita ut *Euphrates* communis terminus esset.

II. Deinde duo fratres *Seleucus* Callinicus & *Antiochus* Hierax regnum diviserunt, limite Tauro monte constituto. *Iustin.* XXVII. quorum discordia factum, ut plurimæ provinciæ Orientis deficerent, quas magnam partem, Parthia excepta *Antiochus* Magnus recepit. *Polyb.* VII. VIII. X. XI. *Iustin.* XLI. *Appian.* Syr. *Joseph.* XII. 3. His temporibus regnum Syriæ divisum fuit in Asiam *intra* & *extra* Taurum. Asia *intra* Taurum terminos habuit versus Occidentem, *Taurum* usque ad *Tanaim* amnem à valle Tauri usque ad juga qua in Lycaoniam vergit. *Scipio* apud *Livium* XXXVII. XXXVIII. itemque Halyn fluvium: *Sylla* apud Appian. in Mithridat. Asia *extra* Taurum alio nomine *superior* dicebatur. *Polybius* VII. & alibi *Syria* quoque; alia *inferior*, quæ *Phœnicen*, *Palæstinam*, *Idumaam*, *Ituraam* complectebatur, alia *superior* dicta. *Appian.* Syr. & Mithrid. *Joseph.* XIII. 8. 9. Fuerunt etiam regna *Ciliciæ*, *Damasci* sive Cavæ Syriæ, *Antiochiæ* & *Comagenes*, quæ à Seleucidis

inter se discordibus condita. Tandem cum regnum Syriæ intestinis *Seleucidarum* dissidiis magis magisque debilitaretur, Syri *Tigranem* Regem Armeniæ evocarúnt, quo à Romanis victo, Syria in provinciæ formam redacta. Quanquam enim Lucullus *Antiochum* Eusebem sive *Philippum* Asiaticum ex latebris evocatum, data *Seleucia*, ad regnum Syriæ avitum evocaverit, eo tamen mox à Pompejo, velut indignus, spoliatus fuit.

India à *Macedonibus* deficit.

Post obitum *Alexandri*, discordantibus inter se Macedonibus, Indiam *Androcottus* invasit, *Iustin.* XVI. 4. cui *Seleucus* Nicator adsitas Indo provincias dedit, ac pro iis Iↄ. elephantes accepit. *Strabo* XV. *Plut.* Alex. Ita India à corpore Imperii Macedonici avulsa peculiares *Reges*, sed ut ex nominibus eorum patet, *Macedonico* sanguine prognatos habuit. *Demetrii* Regis Indorum meminit *Iustin.* XLI. 6. *Apollodori* & *Menandri* Epitome sive prologus in *Trogi* librum XLI. & *Strabo* XI. Qui postea Indiæ status fuerit per multa secula non constat, nisi quod *obelisci* Græca cum inscriptione ab Alexandro & ejus successoribus positi, hodieque passim reperiuntur. Tota regio in complura regna divisa fuit. Reges communi nomine *Rahia* vel *Radzia* vocabantur. Celebriores populi *Venesares*,

ſares, Colles, Agloanes, Petanes, & bellicoſiſſimi *Reysbutha*. Præcipua regna *Delly* & *Cittor*. Ultimus Rex *Delly* fuit Raſis *Pethorus* ſive *Bathour*, ſub quo A. IↃCCCCLXX. *Potanenſes* regnum Indiæ invaſerunt & uſque ad tempora *Tamerlanis* obtinuerunt. Atque hi Reges *Dellyenſes* præcipui Indiæ Reges fuerunt, de quibus intelligendus Mirkond, dum dicit quod *Baharon* Gur Rex Perſiæ filiam duxerit maximi Regum totius Indiæ. Regnum *Cittor* tenuit quidam *Ranna* & ejus poſteritas, quos Reges Indi haud ſecus ac Papam Romanum Europæi venerabantur. Tandem Zimet *Patha* Rasbootes caſtellum *Cittor* & alia loca *Ranna* eripuit, ſub quo *Acbar* Rex Mogolum id ſubegit. *Ranna* Mandou *Oudeporam*, *Pormandel*, *Siavend* & aſperrimos montes retinuit, quibus locis à *Ziahangiar* Rege Mogolum A CIↃIↃCXIV. ſpoliatus, ſedem in arce Gurchitto poſuit ac amiſſa recepit, cui A. CIↃIↃCXIX. filius Kharen ſucceſſit. Fuerunt quamplurimi præterea Indiæ Reguli ſive Rahiæ, qui ſe natura locorum contra potentiſſimos Imperatores tutabantur, quos inter celebres in Guzuratta *Gydne* Chan & ejus majores qui arcem *Ieloure* tenebant, inter quos famoſiſſimus fuit Rex *Haſvard*. Pectoſpavus ſive *Parthaſpa* Rahia inter Guzurattam & Chandin oppida *Saleren*, *Muleren*, *Nacampor*, *Daytam*, *Badur* & montana provinciæ *Chandes* tenuit, Acbari tributarius

factus. Regnum *Mandoa* majores Scha Selimi ante cccc. annos Indis eripuerunt. In montanis *Chysmeres* regulus nomine *Tibbon*. Bruarates, Rahia circa Usbequiam tenuit Gialabattam. Erant & Rahia *Bossow*, cujus metropolis Temmerus, Rahia *Tolluck* Chan, ejus metropolis Negarcut. Huic ad Orientem vicinus Rahia *Decamperga* potentissimus, cujus sedes Calsery. Rahia *Mansa* inter Jeminam & Gangem, cujus sedes Serenagar. Trans *Gangem* Rahia *Rodorow* Sinæ vicinus, cui sedes Camoios. Ei ad meridiem proximat Rahia *Mugg*. In montibus circa *Nonnig-Og* duo Rahiæ. Rahiæ *Manisengo* majorum sedes Charroit. Oppidum *Godah* olim sedes principis Raspotæ, Provincia *Purbet* paret Rahiæ *Bieberon*. Provincia *Donga* Rahiæ Biecka. Fuit & alius Rahia *Gaginat*. Radzia *Bador*-Scha arcem Hasser tenebat. Arcem *Kangram* Dellenses Reges nunquam è gentilium manibus eripere potuerunt, & frustra eam obsedit *Ziahaengiar*. Atque hi fuerunt præcipui Rahiæ sive Radziæ Indorum plerumque potentioribus tributarii & hodie fere omnes Mogolibus subjecti, quorum ad nos memoria pervenit, & qui inde à temporibus Alexandri Magni Indiam tenuerunt. Quos, quia plura de illorum rebus non extant, utcunque ab oblivione vindicare visum fuit.

Regna

Regna *Bactrianorum* , *Elymaeorum*, *Sogdianorum*, *Drangarum*, *Medorum* Parthis accedunt.

Extremis *Antiochi* I. annis *Oriens* quasi conspiratione facta, à Seleucidis defecit, exempla *Bactrianorum* & *Parthorum* secutus. *Iustin.* XLI. ubi quod tempus hujus defectionis ad Seleucum *Gallinicum* & Antiochum *Hieracem* refert, id eo sensu verum est, quia bellis duorum fratrum intestinis illi populi in sua defectione confirmati fuerunt. Commemorat *Iustinus* XLI. *Medos*, *Sogdianos*, *Drangas*, *Elymaeos*, *Bactrianos* & *Parthos* defecisse. De *Elymaeorum* potentia & viribus *Strabo* XVI. locuples testis est. *Bactrianum* regnum condidit *Theodotus*, *Straboni* XI. Διόδοτος mille urbium Bactrianarum praefectus. *Iustin.* XLI. cui successit *Theodotus* II. huic *Eucratides*, qui Indiae partem Bactrianae adjecit. Post quem filius, sola in patrem impietate, non nomine notus regnavit; debellatus à Mithridate II. Arsace. Ita Bactrianum regnum Imperii Parthici facta fuit accessio. *Iustin.* XLI. *Strabo* XI. & XV. Eadem fortuna *Elymaeorum*, *Drangarum*, *Medorum*, *Sogdianorum*, de quibus nihil praeterea constat. *Mediam* occupavit *Atropates*, à quo *Atropatia* dicta.

ARSACIDÆ Imperium PARTHORUM condunt.

I. Imperium *Parthorum* peculiariter illud vocant Hiſtorici, quod ab ARSACE conditum, & ab *Artaxerxe* ad Perſas tranſlatum fuit. Sunt qui exiſtiment nullam inter *Parthos* & *Perſas* diſtinctionem eſſe ac *Arſacidarum* imperium etiam *Perſicum* recte appellari poſſe. *Schik* in Tarich, *Uſſer.* in Acta Ignatii. in quo haud leviter errant. Alius enim longe populus *Parthi*, alius *Perſæ*: differebant origine, ſitu, lingua, moribus. Illi *Scythæ*, ſeptentrionales ac montani, à *Medis* & *Sarmatis* originem trahentes, ut Bochardus vult: hi *Elymæi* auſtrales, maritimi. Hodieque ea inter *Hiſpahan* & *Schiraz*, quarum illa Parthiæ, hæc *Perſidis* metropolis, differentia obſervatur. *Parthi* igitur imperio *Perſarum* potiti, ut Suidas loquitur. ſed objiciunt illum *Georgii* Monachi locum, ubi dicit: *Arſacen genus traxiſſe ab Artaxerxe Perſarum Rege*, Καὶ βασιλεὺς Περσῶν Ἀρσάκης, ἀφ᾽ οὗ οἱ Περσῶν βασιλεῖς Ἀρσακίδας ἐχρημάτισαν, conſentire *Mirkondum* & Arſacidas veteres Perſarum terminos ad uſque *Strymonem* & *Macedoniæ* fines repopoſciſſe. *Tacitus* VI. 31. *Herodianus* VI. 6. *Marcellin.* XVII. 10. Quæ omnia id tantum oſtendunt *Parthos* Perſis imperaſſe, non vero *Perſas* & *Parthos* eundem eſſe populum.

II. Con-

II. Conditor hujus Imperii Parthici fuit *Arsaces* τὸ γένος ἕλκων ἀπὸ τῦ Περσῶν Ἀρταξέρξε, *genus ab Artaxerxe Persarum Rege trahens*, ut *Georgius* Syncellus ex Ariano testatur, qui oppresso *Ammynave*, ut *Arianus* nominat, vel *Agathocle*, ut *Georgius*, Macedonum præfecto, *Parthiam* & *Hyrcaniam* invasit: urbem *Daram* in monte *Zapaortenon* condidit & novum regnum constituit, à quo omnes Parthorum Reges *Arsacidæ* dicti. *Strabo* XI. *Euseb.* Chronic. Hunc *Arsacen* Persæ & Arabes vocant *Ashgan* vel *Aski* filium *Darii*, Abul *Pharagius* p. 52. *Ashganidarum primus fuit* Ashg, deinde *Ash* filius *Ashgi*, qui primus *Thah appellatus est*, *duravitque apud illos regnum donec obtinuit regnum Sasanidarum.* Mirkond *Chapur*; ejus successores Reges *Asfanenses* ab *Aspa*, quæ hodie *Isfahan* Parthiæ metropolis. Sed *parum* Persis & Arabibus in Historia *antiqua* tribuendum est, ac ipse Regum Catalogus, quem *Schickardus*, *Elichmannus* & *Mirkond* exhibent, mutilus multis modis ac corruptus est. Ideo Græci & Latini, quibus illorum temporum res ob perpetua cum Parthis bella non potuerunt non esse cognitæ, præferendi sunt.

III. De *tempore* quando Arsaces regnum condiderit, multum discrepant *Suidas*, *Ammianus* XXIII. *Iustinus* XL. & alii sed sententia *Strabonis*, *Iustini*, *Eusebii*, verior, ac *Mirkond* consentit. Discrepantia

ita conciliari poteſt; ſi dicamus *initium* defectionis factum ſub *Antiocho* Theo, *continuatam* & *confirmatam* ſub Seleuco *Gallinico* & Antiocho *Hierace*.

IV. Regnum hoc multarum provinciarum acceſſione ab *Indo* ad *Euphratem* productum fuit. Quippe Phrahates I. *Mardos*, Mithridates II. *Mediam*, Hyrcaniam, *Elymaeos*, *Bactrianam*, *Meſopotamiam* domuit, regnum à *Caucaſo* ad *Euphratem* dilatavit. *Juſtin*. XLI. & quanquam *Antiochus* Magnus & poſtea *Demetrius* Nicanor *Babyloniam*, *Perſiam*, *Elymaidem*, *Bactrianam* receperint, brevi tamen *Parthi* amiſſa recuperarunt, *Syrorum* præſidiis *una die* interemtis ſub *Phrahate* II.

V. Habebant hi Imperatores *Parthici* ſub ſe *Reges*, qui *Toparchæ* provinciarum, vel ut *Strabo* loquitur, *dynaſtæ* erant. *Reges* tamen appellabantur, ut patet exemplo Reguli *Adiabenes*, quem *Strabo* XVI. vocat ſimpliciter ἄρχοντα, *Joſephus* Regem XX. 2. & VI. ἁλωσ. 16. ubi etiam meminit *Abennerigi* cujuſdam, quem vocat *Regem* caſtri Spaſini, *Caſaubon*. Exercit. II. Interdum *fratres* ſuos regno *Mediæ* vel *Armeniæ* donabant. *Armenia* ambigui inter Parthos & Romanos juris fuit, prout hi vel illi prævalebant.

VI. Familiæ *Arſacidarum* ſucceſſit familia *Choſraorum* ſive *Saſanidarum*, quam, ultimo Artabano occiſo, ARTAXERXES Perſa condidit. Hunc Perſæ & Arabes

Arabes vocant *Ardchir* Babek, *Abul* Pharagio: *Ardeshir* filius *Babeci* filii *Sasanis*, filii *Gushtaspi*. Commune eorum cognomen fuit *Chosrow*, quod est *latè regnans*. alio nomine *Sasanidæ*, ab avo ipsorum *Sasar*. Inter hos *Cosroas* & *Romanos* atrocia propter *Mesopotamiam* & *quinque* transtygridanas provincias, *Arzanenam*, *Moxoenam*, *Zabdicenam*, *Rehimenam*, *Corduenam*, bella fuerunt, sed prævaluerunt *Persæ*, imprimis sub *Sapore* II. *Cabades* castrum Indiæ *Azubdabar* cepit, urbes *Bardak* & *Guania* struxit. *Cosroes* I. Regem insulæ *Zeilon* tributarium fecit. *Cosroes* II. *Syriam*, *Phœnicen*, *Palæstinam*, *Ægyptum*, *Lybiam* usque ad *Æthiopes* subegit, sed ab *Heraclio* omnia recuperata. *Cosroes* Anushirwan aggerem *Iazuz* ab Alexandro cœptum, id est *portas* Caspias absolvit, ad urbem *Derbent*. De quo Abul *Pharagius*. Sub ultimis Regibus, imprimis *Iesdeshirdo*, Imperium Persicum in varia regna distractum & dilaceratum. Quippe *Chorasan*, *Tabristan*, *Sindia*, *Bocchara*, *Samarcanda*, *Saida*, peculiares sibi Reges constituerunt, ut ex *Elmacino* patet. *Iezdeshird* æram *Nabonassaris* conturbatam instauravit & caput anni ad *æquinoctium* vernum A. Ch. IↃ. C XXXII. reduxit, quæ æra *Iezdeshird* vel *Persica* dicta. Sed victo anno sequente *Iesdeshird*, in usu civili esse desiit: *Astrologi* tamen Persidis eam pertinacissime, ad nostra usque tempora reti-

nuerunt.

nuerunt. Desiit hoc Imperium Persicum A. Iↄ CLI. quo *Iazdeshird* periit & omnia regna in potestatem Saracenorum concesserunt. *Elmacinus*.

Armeniam Tigranes evehit pariter & deprimit.

Armeniam, victo à Romanis Antiocho Magno, duo præfecti, *Artaxias* & *Zadriades* regio titulo occuparunt, à quibus in *Majorem* & *Minorem* divisa fuit. *Majorem* Artaxias à quo *Artaxata* structa; *Minorem* Zadriades tenuit. *Strabo* XI. sed oppressi iterum ab *Antiocho* Epiphane Armeni *Appian*. Syr. mox in *Parthorum* potestatem venerunt, à quibus Reges acceperunt, qualis sub *Mithridate* III. Arsace *Arteadistes* fuit. *Iustin*. XLII. Straboni *Artavastes*, cujus, ut videtur, filius fuit *Tigranes*, ut ex *Iustino* XXXVIII. haud obscure colligitur. Qui à *Syris* in locum *Seleucidarum* evocatus, subactis *Atropatenis*, *Gordyæis*, *Mesopotamiis*, *Tyriam* ac *Phœnicen* occupavit ac *Rex Regum* dictus est, *Strabo* XVI. *App*. Syr. Regiam struxit *Tigranocertam*. Victo Tigrane, *Lucullus* Syriam *restituit* Seleucidis, *ademit* iterum *Pompejus* & *Armeniam* Majorem supra Euphratem *Appian*. I. de Bello Civ. reliquit *Tigrani*. Minorem infra Euphratem ad mare protensam, quæ *Sophenam* ac *Gordienam* complectebatur cum parte *Ciliciæ* filio ejus dedit, ibique

ibique *Nicopolin* exstruxit, mox *iterum* ademit ac *Sophenam* & *Gordienam* regno Cappadociæ adjecit. Inde *Armenia* inter *Romanos* & *Parthos* fluctuavit.

Judæam *Hasmonæi* & *Antipatridæ* occupant.

I. Causa defectionis *Antiochus* Epiphanes Judæos ad *gentilismum* cogens, de qua persecutione *Daniel* VII. VIII. XI. *Joseph.* X. 12. XII. II. I. ἁλωσ. I. Immunitates Judæis & αὐτονομίαν à *Demetrio* Nicanore & *Antiocho* Sidete *Simon* impetravit I *Macc.* XIII. & XV. *Johannes* Hyrcanus renovato cum Romanis federe & antiquatis Antiochi Sidetis decretis Judæam *plane* dominatione *Seleucidarum* liberavit *Joseph.* XIII. 17. & I. ἁλωσ. 2.

II. Primus ex *Hasmonæis* Rex fuit *Aristobulus*. Successerunt *Antipatridæ* Idumæi, quorum primus regnavit *Herodes* Magnus, post quem regnum in *tres* partes divisum *Iudæam*, *Galilæam* & *Trachonitidem* quæ & *Batanæa*. Tandem in locum Galileæ successit regnum *Chalcidis* ac paulo post *Iudæi* à Vespasiano *excisi*.

Arabes regna *Hiræ* & *Gassaniorum* condunt.

I. Dum regnum *Syriæ* continuis defectionibus atteritur, *Arabes* quoque duo

regna,

regna, unum in *Irac* sive Babylonia, alterum in *Syria* excitarunt. Regnum *Iracense* vocabatur *Hira*, cujus initium in ea tempora incidit, quibus *Parthi* Arsacidæ à Seleucidis defecerunt, sub quorum etiam *clientela* Reges *Hirenses* erant. Primus Rex fuit *Malec:* post quem tertius *Iodaimah* Amrum *Amalekitam* Mesopotamiæ Regem debellavit & ab ejus filio *Zoba* astu interfectus est. Successit familia *Lachmidarum* sive *Mondaritarum*, quæ usque ad tempora Muhammedis regnavit. Stetit regnum Hiræ ann. ƀcxxii. menses 8. *Græci* & *Latini* illud vocant Arabum *Characenorum*, idque in *Susiana* collocant ac Reges commemorant, *Sogdonacum*, qui videtur esse *Iodaimah*, cujus successores *Pasines* sive *Hyspasines* & *Teraus*, quorum ille Arabibus *Amrus* sive *Amriolkeis*, alter *Aus* Amalekita.

II. Arabes *Syri* circa *Damascum*, qui *Gassanii* dicuntur, & ipsi segne Imperium Seleucidarum, quos *Salihenses* vocant, dedignati, regnum excitarunt adjuti favore & patrocinio Romanorum. Sicut enim *Parthi*, Reges *Hirenses*, ita *Romani* Reges *Gassanios* sibi obnoxios & addictos habebant. Hi *Gassanii* Arabes origine erant *Nabatæi*, unde eorum regnum à Græcis & Romanis *Nabatæorum* Arabum vocatur & alio nomine *Edessa*, unde forte *Gassaniorum* nomen. Arabum *Edessenorum* Reges communiter appellati *Abgari* id est

Acbari,

Acbari, sive *Magni*, & *Asgari* sive *parvi*: prius illud *parentum* & *avorum*, alterum *filiorum* cognomen erat, ut ex Catalogo Regum Gassaniorum apud Pocockum patet. Regia erat urbs *Petra*. Reges communi nomine *Areta*. *Scal.* II. de Emendat. Temp. Primus Rex *Gassanorum* sive *Nabataeorum Iafnah* fuit, *Iustino* XXXIX. 5. *Erotinus* Iↄcc filiorum pater, *Josepho* XIII. 21. *Obeda*, aliis *Zabdiphilus*, qui tempore Antiochi Magni regnum invasit. Ab eo quartus *Alhareth* sive *Aretas* I. qui interfecto Antiocho Dionysio Rege Syriae, totam *Coele*-Syriam & urbem *Damascum* occupavit *Joseph.* XIII. 23. I. ἁλωσ. 4. post quem regnavit *Zabdiel* Josepho, Arabibus *Iabalah*.

III. Praeter haec *duo* Arabum regna, *Hira* & *Gassaniorum*, fuerunt etiam alia per Arabiam *desertam*, ut tribus *Cenda* & *Maadenis*, de quibus Pocockus.

Ituraeam Antonius *Cleopatrae* donavit.

Ex iisdem Syriae ruinis *Ituraea* quoque in confinio Syriae & Arabiae regni titulo emersit. Eam occupaverat *Ptolemaeus* Mennaei filius, cui parebant montana *Ituraeae*, *Marsyas*, *Heliopolis*, *Chalcis* sive Chalcidene. *Strabo*. XVI. *Josephus*. Huic successit *Lysanias* filius, quem *Antonius* Ituraeae Regem fecit, qui sedem regiam consti-

tuit

tuit *Abilam*, quæ ad differentiam aliarum *Abila* Lysaniæ appellata. *Ptol.* in Cœle-Syria. *Dio* XLIX. *Joseph.* XIV. 5 à quo etiam tota Tetrarchia *Lysaniæ* dicta. *Joseph.* XVIII. & XX. 5. Occiso Lysania, *Antonius* Ituræam *Cleopatræ* donavit.

Cilicia Regi *Tarcondemo* concessa.

Cilicia quoque *superior* in hac dilaceratione regni Syriæ peculiare regnum facta est, cujus Rex *Tarcondemus* apud *Plut.* in Anton. quem *Cicero* XV. Epist. 1. *Fidelissimum socium amicissimumque* P.R. appellat. *Tarcondementus* Straboni XIV. Cæsari *Tarcondarius*, Dioni XLVII. & LIV. *Tarcondimotus*, Floro IV. 2. *Tarchondimotus*, ut & Lucano IX. 219. ita corrigente Freinshemio ad Florum.

In *Ægypto* regnarunt *Ptolemæi*.

Ægyptum, Cyrenaicam, Cyprum, Judæam, Arabiæ partem occupavit PTOLEMÆUS Lagi: unde sermo *Macedonicus* adeo invaluit ut *Alexandrina* dialectus lecta sit, de qua *Phrynichus* & alii Critici antiqui. *Salmas.* Hellenist. parte II. cap. 8. Sedes regum *Alexandria*. Cyrenaicam *Ophellas* occupaverat *Iustin.* XXII. 7. *Aphellas*, *Plutarch.* in Demetrio & *Pausan.* in Corinth. *Opheltas*, quo fraude Agathoclis occiso, Ptolemæus eam recuperavit.

Fre-

Frequenter tamen hoc Cyrenaicum regnum peculiares reges habuit; quales fuerunt *Magas* frater Ptol. Philadelphi; cui *Demetrius* frater Antigoni Gonatæ ab Arsinoë vocatus successit. *Iustin.* XXVI. *Pausan.* I. Sed paulo post interfecto Demetrio & Arsinoë, per nuptias Berenices cum Ptolemæo III. iterum Ægypto conjunctum fuit. De *Iudæa* acre inter *Ptolemæos* & *Seleucidas* certamen fuit, quam *Antiochus* Magnus per vim occupavit: mox *Cœle-Syriam, Phœnicen, Samariam, Judæam,* dotis loco cum filia Cleopatra Ptolemæo Epiphani concessit. *Joseph.* XII. 3. Sed non diu hæ provinciæ penes Ptolemæos manserunt: quas tamen paulo post *Ptolemæus* Philometor recuperavit, qui *Antiochiæ* duo sibi Diademata *Ægypti* & *Syriæ* imposuit I *Macc.* XI. *Joseph.* XIII. 8. Sed *Syria* mox iterum ab Ægypto avulsa. Ptolemæus *Physcon* testamento regnum *divisit* in Ægyptum & Cyrenen. *Cyrene* adjunctam sibi habebat *Lybiam* aridam Maræotidi finitimam, *Catabathmo* & Valle à Cyrenaica diremtam, in qua erat templum *Iovis* Hammonis. *Iustin.* XXXIX. *Livius* Epit. LXX. *Tacit.* XIV. *Marcell.* XXII. *Cyrenen* Romanis testamento legavit Ptolomæus *Apion*, Lybiam aridam Ptolemæo *Apioni* II. dedit, qui & ipse eam postea Romanis legavit, & quanquam hujus regni civitates Romani initio liberas esse jussissent, mox tamen in provinciæ formam re-

dactæ

dactæ fuerunt. *Iustin.* XXXIX. 5. *Appian.* Mithridat. Fuit etiam subinde *Cyprus* peculiare ab Ægypto regnum, quod *Romani* per M. Catonem, lege à Clodio Trib. plebis lata, occuparunt. *Plut.* Cat. Appian. II. Bell. Civ. *Florus* III. 9. *Dion.* XXXIX. *Val.* Max. IX. 4. Ptolemæus *Alexander* regnum Ægypti testamento Romanis legavit. atque hic est ille de quo *Cicero* Orat. I, & II. in Rullum agit, non vero Ptolemæus Apion Rex Cyrenarum, ut Gothofredus in notis exponit. Sub *Cleopatra* accessit *Iturea*, *Abilena* & *Chalcidena*, qua cum Antonio victa, Ægyptus in provinciæ formam redacta. Sed *Tetrarchia Lysaniæ* data fuit cuidam *Zenodoro*, à quo dicta Tetrarchia Zenodori, quo mortuo ad Herodem pervenit. *Casaubon.* Exerc. XIII. sect. 3.

TARSIS.

TARSIS res *Hispanorum* complectitur.

I. TARSIS secundus *Iavanis* filius *Hispaniam* occupavit, quæ ab eo *Tartessus* vocata fuit, & urbs *Tarseium*, Ταρσήϊον *Stephano* ac *Poolybio* lib. III. ad Herculis columnas sita. Gens *Tartessii*, quorum Rex *Arganthonius* apud *Herod.* I. & ille tractus *Arganthonius Campus* dicebatur, *Silius* III. *Scal* in Auson.

II. Nam quod nonnulli *Tarsim* hunc faciunt

faciunt *Dorum* Hellenis filium, à quo Dores: Θαρσεῖς enim Attica dialecto Θαῤῥεῖς, ut ἄρσην ἄῤῥην, Τύρσις Τύῤῥις, Τυρσηνοὶ Τυῤῥηνοὶ; unde Δωρεῖς mutato Θ in Δ & α in ω, id admitti non poteſt propterea, quia filii Noachi longe lateque per orbem diſpergendi ſunt, non in anguſta loca compingendi. Antiquiſſimi Hiſpaniæ populi commemorantur tres, *Getæ*, *Cyneti* & *Cempſæ*. Poſtea *Iberi* omnes & regio *Iberia* dicta.

III. Ipſum *Hiſpaniæ* nomen ſub Romanis demum toti Iberiæ tributum teſte *Euſtathio* Dionyſii Afri Scholiaſte. Quæ etiam vulgo *Spania* dicta. *Paulus* Epiſt. ad Rom. XV. *Galenus* VI. Simpl. 4. *Hieron.* ad cap. LXIV. Eſaiæ. Vetus *Gloſſator* Juvenalis. Quemadmodum *Hiberniam* etiam *Berniam* dictam teſtatur Jacobus *Waræus* in libro de Hibernia & Antiquitatibus ejus.

CHITTIM.

CHITTIM res *Italorum* complectitur.

I. CHITTIM quartus *Iavanis* filius condidit *Italorum* gentes ſive *Latinos*: unde Terra *Chittim* pro *Italia* & urbe *Roma* ſumitur, *Num.* XXIV. 24. *Daniel.* VI. 29. 30. *Ezech.* XXVII. 6. & *Chittim* idem quod *Latium* à latendo vel occultando, ſignificat.

cat. Fuit etiam Κιτία urbs in ipso Latio apud *Dionys.* Halicarnass. lib. VIII. Cur autem *Latium* vel *Italia* antiquissimo nomine *Camesene* dicta fuerit, teste *Macrob.* I. Saturn. 6. vel 7. non constat, quanquam illa vox idem quod *Chittim* vel *Latium* significare possit.

II. Tanta vero *Æolum* sive *Ionum* Italis admixta fuit multitudo, ut Latini recte quoque statuantur propago *Æolum* sive *Ionum* esse. *Vossius* I. Idol. 18. *Iavan tum Græcorum tum Latinorum fuit parens.* Migrationes illas Græcorum in Italiam prolixe describit *Dionys.* Halicarnass. lib. I.

ROMANI Quartam MONARCHIAM condiderunt.

I. Urbs ROMA condita fuit à Romulo. *Cluverius* III. Ital. multis probare conatur *nullum* unquam *Æneam* Trojanum in Italiam venisse, nullum *Romulum* vel *Remum* Numitoris nepotes fuisse: Sed *Pelasgos* Arcadas ab Euandro Rege in Italiam ductos Romam condidisse. *Seneca* Consol. ad Helviam: *Euandrus in ripa Tiberis regna Arcadum collocat.*

II. Quibus modis Imperium *Romanum* ad tantam magnitudinem & molem excreverit, notissimum est. In universum observandum, fundamentum ejus fuisse *Colonias*, quas passim apud *devictas* nationes condebant. Nam ut *Seneca* loquitur, *ubicun-*

ubicunque vicit Romanus habitavit. Hinc Romana *lingua* per totum imperium propagata, ac *Romani* dicti quicunque sub imperio *Romano* etiamsi *Græci*, aut *Hebræi* essent, ut ostendit *Salmas.* de Hellenist. ex insigni loco *Josephi* II. contra Apionem.

III. Imperium *Romanum* vocatur *quarta* Monarchia, & in statua Nebucadnezaris *ferreis* cruribus & *testaceis* pedibus, alibi *bestia* terribili *decemcorni, ferreis* dentibus & unguibus *chalybeis* comparatur.

IV. Igitur *Romani* intra *quingentesimum* à condita urbe annum vix *Italia* domita, sequentibus ducentis annis per *Europam*, *Africam* & *Asiam* longe lateque dominationem extenderunt, terminis Imperii constitutis ad *Septentrionem* Danubio & Sarmatia, ad *Orientem* Ponto Euxino, palude Mæotide, Eufratre & Tigri Caucaso, ad *austrum* Æthiopia & interiori Lybia, ad *occidentem* Oceano Atlantico. Occasionem extendendæ potentiæ dederunt *Mamertini* Messeniorum ingrati hospites. *Flor.* II. I. Unde Bellum primum *Punicum* exortum, quo finito *Sicilia*, *Sardinia* & aliæ intra Africam ac Italiam insulæ accesserunt. Omnem à Pyrenæis montibus ad Gades usque, Pœnis ejectis *Hispaniam* P. Cornelius *Scipio*, Macedoniam L. *Æmilius* Paulus, *Dalmatas* P. Corn. Scipio Nasica, *Africam* P. Corn. Scipio Africanus, *Achaiam* L. Mummius, *Lusitaniam* & *Gallæciam*

Leciam P. Corn. Scipio Nasica, Serapion & D. Junius Brutus, *Asiam* Minorem M. Perperna, *Baleares* & *Cretam* Q. Cæcilius Metellus, *Allobroges* Q. Fabius Maximus, *Cyprum* M. Cato Uticensis, *Syriam, Armeniam, Judæam*, Cn. *Pompejus*, Gallias & Britanniæ partem C. *Iul.* Cæsar subegerunt.

V. AUGUSTUS *Ægyptum* in provinciæ formam redegit. *Asturiam* & *Cantabriam*, quæ solæ in Hispania hactenus Romana arma contemserant, *Horat.* III. Carm. Od. 8. & IV. Od. 14. per Vipsanium Agrippam, & in Africa *Marmaricam*, *Lybiam, Garamantas* domuit. Sub eo BATAVI in societatem P. R. & fraternitatem admissi, *pars* ut ait Tacitus *Imperii* facti sunt, *Suevorum* & *Sicambrorum* CCCC. millia *Tiberius* in Rheni Gallicam ripam transtulit & ad *Vahalim* locavit. *Suet.* Aug. XXI. *Tacit.* XII. *Sidon.* Carm. XIII. *Rhætia, Vindelicia, Noricum*, Horat. IV. Od. 4. & 13. *Frisia, Usipetes, Cherusci* à *Druso* subacti. *Dio* XIV. qui per Rheni ripam quinquaginta amplius castella direxit usque in Oceanum: unde falso *Burgundionum* originem deducunt. Ab his limitaneis legionibus quamplurima vocabula Latina in linguam Germanicam translata fuisse vult *Lazius* I. de migrat. quorum etiam prolixum catalogum ibidem exhibet. *Judæa* Archelao Viennam relegato in provinciæ formam redacta & Syriæ annexa, *Joseph.*

Joseph. XVII & XVIII. *Dio.* LV. Anno vigesimo Tiberii Tetrarchia Philippi *Trachonitis*, *Auranitis* & *Bathanea* in provinciæ formam redactæ, *Joseph.* XVIII. 6. Sub Nerone *Gaza* instaurata & celebre emporium facta, ad quod ex Arabia felicitus camelis evectum. *Plin.* XII. 14. Navigationes in *Indiam* & *Æthiopiam* per sinum rubrum *maximis classibus* institutæ, cum antehac ne viginti quidem navigia sinum Arabicum transire auderent. *Strabo* XVI.

VI. Sub VESPASIANO *Iudæa* devicta, *Hierosolyma* deleta. Quam populosa ea gens fuerit ex eo patet, quod *Josephus* III. ἁλωσ. 4. scribit nullum fuisse adeo parvum oppidum aut vicum Galilææ, in quo non reperirentur *millia quindecim* habitatorum. Idem VI. ἁλωσ. scribit ad Pascha convenisse Hierosolymam virorum purorum & sanctorum myriadas CCLXX. hoc est *vicies septies centena millia.* Casaub. Exerc. I. sect. 33. Idem Vespasianus *Achaiam, Lyciam, Rhodum*, *Byzantium, Samum, Thraciam, Ciliciam, Comagenam*, quæ hactenus *liberæ*, in provinciæ formam redegit.

VII. TRAJANUS Daciam, Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam in *provinciæ* formam redegit. *Dio* in Trajan. *Marcell.* XIV.

VIII. ADRIANUS *Caledonios* & *Pictos* muro per octoginta millia passuum ducto Britannia arcuit. In ruinis Hierosolymorum *Æliam* Capitolinam condidit & Judæis circumcisione interdixit, unde orta

rebellio ſub *Barcochabo*, cujus verum nomen, ut ex Burgenſi Lutherus tradit libro contra Judæos, qui extat T. V. German. fuit *Heutolibâ*, forte Abdalla. A quo tempore *Judæi* Palæſtina plane ejecti mileſque præſidiarius eos *Ælia* ſive Jeroſolyma in perpetuum arcuit, nec niſi numerata pecunia, ut modicum flerent, admiſit. *Dio. Spartian. Xiphil. Euſ.* IV. Eccl. Hiſt. 6. Uſcudum Myſiæ *Adrianopolis* dicta. *Marc.* XIV.

IX. ANTONINUS *Quadis, Marcomannis, Iazygibus* Sarmatis ad preces Chriſtianorum victis, infinitos in Romano ſolo collocavit. *Capitolinus. Dio.*

X. Sub *Antonino* Caracalla prima fit *Alemannorum* mentio apud Aurelium Victorem. Dion *Cennos* vocat, à quibus prope Mœnum victus Caracalla.

XI. Maximinus *Germaniam* transrhenanam ingreſſus, innumeros captivos in Romanum ſolum duxit. *Herodian.* VII.

Barbari Imperium *Romanum* deſtruunt.

I. Per *Barbaros* intelliguntur omnes extra Romanum Imperium populi. Prima irruptio *Barbarorum* ſub *Decio* accidit, quo tempore *Gothi* Cniva duce Mæſiam Thraciamque hoſtiliter invaſerunt. Sub Vibio Gallo & Voluſiano *Scythæ* Macedoniam, Theſſaliam, Græciam, Aſiam pervagati, uſque ad *Epheſum* omnia diripuerunt. *Gothi* quoque & *Borani* cum *Burgundis* &

Carpis

Carpis reliqua Europæ percurrebant. *Persæ* Mesopotamia & Armenia occupatis, *Antiochiam* capiunt.

II. Sub Licinio Valeriano & Gallieno suis iterum sedibus effusi *Scythæ*, cum Marcomannis Græciam Macedoniamque incursant, *Thessalonica* ægre se tuente, *Atheniensibus* muros tum primum post Syllanam cladem reparantibus, Peloponnesiis *Isthmum* munientibus. *Borani, Gotti, Carpi, Burgundi*, totam Italiam & Illyrici oram vastantes, cum Scythis per Bosphorum in *Asiam* penetrant, & regressi in Pontum, *Trapezuntem*, *Chalcedonem*, *Nicomediam*, *Nicæum*, *Chium*, *Apameam*, *Prusam*, Templum *Dianæ* Ephesiæ expugnant, diripiunt, incendunt. Germani *Ravennam* usque progressi. *Francorum* gentes direpta Gallia, Hispaniam invadunt, vastatoque Tarraconensium oppido, navigia nacti, pars in *Africam* usque penetravit. *Scythæ* Cæsarea Cappadociæ capta, in solum suum remeant.

III. Sub Flavio Claudio *Scytharum* diversi populi, *Peucini*, *Grutungi*, *Austrogothi*, *Vittingi*, *Sigipedes*, *Celtæ*, *Heruli*, exercitu ccc. mill. in Romanas provincias irrumpunt: pars *Cretam Cyprumque* invadunt.

IV. Sub Aureliano, *Marcomanni*, *Suevi*, *Sarmatæ* usque ad Placentiam progressi. Galliæ à *Germanis* possessæ, quorum Probus ccc millia cecîdit, qui Romanum solum occupaverant, reliquias ultra *Nicrum*

& *Albim* ſubmovit. Centum *Baſtarnarum* millia in Romano ſolo conſtituit, ex *Gepidis*, *Gautunnis*, *Vandalis* pleroſque tranſtulit.

V. Sub Diocletiano *Burgundæ* & *Alemanni* Galliam vaſtant: *Germani*, *Franci*, *Saxones* maria infeſtant. Franci *Bataviam* occupant, victi in agros *Nerviorum*, *Trevirorum*, *Lingonum*, *Rhemorum*, *Tricaſſiorum*, *Ambianorum* transferuntur.

VI. Conſtantinus Magnus *Byzantium* tranſlatis pluribus Romanorum familiis, eam *Novam* Romam & *Conſtantinopolim* appellat, *Nicomediam*, *Antiochiam*, *Hebronem* magnifice inſtaurat.

VII. Conſtans *Francos* in Gallia, Julianus *Alemannos* apud Argentoratum, *Saxones* & *Quados* in *Batavia* fundit.

VIII. Sub Valentiniano *Scoti* & *Picti* Britanniam, *Quadi* & *Sarmatæ* Iſtrum transgreſſi *Pannoniam* invadunt. *Hunni* Alanos, Scythas, Gottos pellunt: hi à *Romanis* recepti *Thraciam*, *Græciam*, *Pannoniam* cuncta ad *Alpes* uſque *Iulias*, agunt, ferunt, rapiunt.

IX. Gratianus *Alemannos* apud Argentuariam, Theodoſius *Gotthos*, *Scyros*, *Carpodacos*, *Gruthungos*, *Alanos*, *Hunnos*, *Taifalos*, qui Thraciam Daciamque tenebant, fundit; *Gothis* & *Hunnis* deditiis agros aſſignat & poſterioribus quidem ad *Vogeſum* montem, quæ regio Tractus *Hunnorum* dictus, hodieque *Hundſruk*,

Hundſruk, Auſonio *arva Sauromatum*.

X. Sub Arcadio & Honorio Rufinus *Alaricum* ex Baltorum familia *Gothorum* Regem attraxit, qui cuncta per *Pannoniam*, *Macedoniam*, *Thraciam*, *Græciam*, *Daciam*, *Italiam* vaſtavit. *Hieron.* Epiſt. 3. & in Chron. *Euſeb.* Stilico *Gainam* cum Gothorum copiis Arcadio ſuppetias mittit, qui Tribigildi cuncta vaſtante, *Conſtantinopolim* cum Gothis ingreditur, ſed omnes ibi trucidantur. Interea *Rhadagaiſus* cum cccc. militibus *Scytharum* Italiam irrumpens in Feſulanis anguſtiis à Stilicone clauditur, tantaque multitudo captivorum *Gothorum* fuit ut viliſſimarum pecudum more, ſingulis aureis greges hominum venderentur. Stilico *Vandalos*, *Alanos*, *Suevos*, *Gothos*, *Hunnos* Imperium invadere jubet. Vandali *Croſco* Duce Gallias invadunt. *Alaricus* Weſtgottorum Rex pulſos inde *Vandalos* cum *Alanis* & *Suevis* in Hiſpaniam fugat & ipſam ROMAM A. ccccxi i. Kal. Apr. capit. Atque ab hoc tempore Hiſtorici interitum Imperii Romani ſupputant, ut ex Flavio *Blondo* Decad. 1. libro 1. patet.

XI. *Athaulfus* ab uxore Placidia perſuaſus *Gothos* in Galliam Narbonenſem, inde in Hiſpaniam ducit fixa *Barcinone* Regia. Eodem tempore *Burgundiones* & *Franci* Galliæ partes occuparunt. Bonifacius Africæ Comes *Vandalos* evocat, qui *Carthagine* capta ibi regnant, & *Siciliam*

deprædantur. Anglo-Saxones *Britanniam* occupant.' *Attila* Rex Hunnorum cum Iↄ cc. millibus, *Scytharum, Ostrogothorum, Sarmatarum, Quadorum, Rugiorum, Bastarnarum, Marcomannorum, Bructerorum, Saxonum, Gepidarum,* Galliam & Italiam vastat, *Venetos* in æstuaria maris Adriatici pellit, *Pannoniam* occupat.

XII. Sub Martiano *Franci* Parisios occupant, *Visigothi* sub Theodorico Hispaniam subigunt, *Gensericus* Rex Vandalorum in Africa *Romam* diripit, *Burgundiones, Gothi* Galliam vastant.

XIII. Sub Leone I. *Ricimer* Suevus contra Alanos in Galliam vocatur, *Ostrogothi* Hunnos ex Pannonia pellunt, *Suevos* in Hispania delent. *Ardaricus* Rex Gepidarum Daciam, *Gothi* Pannoniam, *Alani* Mæsiam inferiorem occupant.

XIV. Severo imperante *Ricimer* Alanos Italia pellit, *Sardinia* & *Tripolis* à Genserico receptæ.

XV. Tandem *Momyllus Romulus Augustulus* Imperatorum Romanorum in Occidente seriem *ultimus* clausit, & *Odoacer* Turcilingorum, Rugiorum ac Herulorum Rex se *Regem* Italiæ nominavit.

XVI. At in *Oriente*, quod Imperium *Romanum* à Græcis & Saracenis appellatur, Persis *Rumestan*, Zeno Theodoricum *Ostrogottorum* Regem contra Odoacrum Pannonia evocavit, qui occiso Odoacro regnum *Italiæ* invasit.

XVII. Sub

XVII. Sub Anastasio *Bulgari* Illyricum & Thraciam vastant.

XVIII. *Justinianus* Duce Bellisario *Siciliam* & *Italiam*, deletis Gottis recuperat: mox Narses *Longobardos* evocat.

XIX. Sub Tiberio II. *Avares* à Turcis Scythia pulsi, Rege *Cagano* Sirmium Pannoniæ occuparunt: *Slavini* qui & Slavi, Winidi & Antæ, Thraciam invasere.

XX. Sub Heraclio commotæ sunt *Arabum* & *Saracenorum* gentes à Pseudo-Propheta *Muhammede*, cujus successores brevi tempore *Syriam*, *Palæstinam*, *Ægyptum*, *Africam*, *Cyprum*, *Rhodum* & totam fere *Asiam* occuparunt. Contra eos *Constantinus* apertis *Caucasi* pylis, quas *Alexander* Magnus occluserat, *Mardaitas* evocavit, qui à *Tauro* ad *Libanum* omnes montium speculas occuparunt.

XXI. Sub Constantino IV. *Bulgari* ad Danubium consident.

XXII. Capta à *Latinis* Constantinopoli A. cIↃ. ccIV. Imperium *Orientis* dilaceratum fuit in tria Imperia, *Constantinopolitanum*, *Trapezuntinum* & *Paphlagonium*. Constantinopolitanum tenuerunt *Latini*, quorum primus Imperator fuit *Balduinus* Flandriæ Comes. Iis ejectis *Michael* Palæologus eo potitus, cujus familia imperavit usque ad A°. cIↃ ccccLIII. & imprimis *Turcarum* irruptione debilitatum ac tandem capta *Constantinopoli* penitus ever-

ſum fuit. *Adrianopolin* & *Niceam* occupavit *Theodorus* Laſcares. *Trapezuntem* & Lazicam *Alexius* Comnenus. *Paphlagoniam* & Heracleam *David* Comnenus. Quæ quidem duo poſteriora *Trapezuntinum* & *Paphlagonium* uſque ad A. cIↄ cccc LIII. durarunt, & à Turcis everſa ſunt.

Regnum Britanniæ in Gallia condidit Conanus.

I. A. ccc LXXX. Imp. *Maximus* Armoricam nomine minoris Britanniæ dedit *Conano*, qui multa Britannorum millia in Galliam traduxit & ibidem regnum condidit.

II. Hi Reges Britonum *Francis* poſtea ſubjecti *Duces* appellabantur, quanquam frequenter rebelles facti *Regiam* dignitatem reaſſumerent. *Gregor.* Turonenſ. IV. Hiſtor. Franc. 4. *Semper Britanni ſub Francorum poteſtate poſt obitum Clodovæi Regis fuerunt & Comites non Reges appellati ſunt.*

Marobodus condit regnum *Marcomannorum* in Bojohæmo.

I. Regnum *Arioviſti* fuit inter Mœnum & Rhenum, ubi quondam *Helvetii*, unde illæ regiones *eremus* Helvetiorum vocatæ. Inde eos expulerunt *Marcomanni*, *Haru-*

Harudes, *Sedusii*, *Narisci*, quorum Rex *Maroboduus* eos in Bojohæmum, *Bojis* inde non *regno* tantum sed & *regione* in Vindeliciam pulsis, traduxit, ac ibi *Lygios*, *Zumos*, *Gutonas*, *Mugilones*, *Sidinos*, *Semnones* Suevos in nomen *Marcomannorum* adscivit. *Strabo* VII. *Velleius* II. *Cluv.* III. Ant. Germ. 30. *Maroboduus* à *Catvalda* Gothonum Duce Bojohæmo exutus & à Tiberio Ravennæ totis viginti duobus annis, in terrorem Suevorum sustentatus inglorius consenuit.

II. Suevi, *Hermunduri* & *Marcomanni* postea à Tiberio inter *Marum* & *Cusum*, ubi nunc *Transylvania*, collocati, in commune *Quadorum* nomen coaluerunt. *Tacit.* XII. Ann. & postea *Daciæ* quoque partem occuparunt. *Marcell.* XVII.

Quadorum regnum tenuit *Tudrus*.

I. *Tacitus* in Germ. tradit *Marcomannos* & *Quados* semper *regibus* paruisse ex genere *Marobodui* & *Tudri*. *M. Velserus* Tudrum æque Marcomannorum Regem ac Maroboduum fuisse putat, id quod *Cluverius* III. Ant. Germ. 31. negat.

II. *Quadorum* termini erant à meridie *Danubius*, ab occasu *Cluna* amnis, Bojohæmici montes & *Marus*. Postea sub Tiberio *Marcomanni* & *Suevi* in commune Quadorum nomen coaluerunt, ut jam dictum.

Suevorum Regnum tenuit Vannius, *Hermundurorum* Jubillius.

Suevorum Rex à Druſo conſtitutus fuit Vannius Quadus. Plin. IV. 12. *Suevi regnumque Vannianum.* Everſus eſt à Ligiis. Ejus regnum occuparunt *Vangio* & *Sido*. Hermundurorum Rex fuit Jubillius.

MAGOG.

MAGOG res Scytharum complectitur.

I. MAGOG *Scytharum* fuit conditor, quo nomine comprehenduntur omnes illi populi qui ſupra *Pontum* Euxinum, *Caucaſum*, mare *Caſpium* & *Oxum* uſque ad *Seras* & *Sarmatas* Aſiam Nomadum ritu perſultabant. Hic *Magog* eſt Poëtarum *Prometheus* Japeti filius, Caucaſo affixus, ad quem Scythæ *montani*, qui hodie *Dageſtani* vocantur, initio habitabant: *Campeſtres* vero à *Thermodonte* & *Araxe* verſus paludem, *Maotin*, *Tanaim* & ad Septentrionalem uſque Oceanum progreſſi ſunt.

II. Ab hoc *Magog* ipſe Scytharum ſupremus Imperator Ezech. XXXVIII. vocatur *Gog*. Juſtinus I. antiquiſſimum Scytharum Regem Nino priorem *Tanain* vocat.

cat. Unde colligimus ipſum *Magogum* Scytharum conditorem *Tanain* vocatum fuiſſe,quia primus ad fluvium *Tanain* conſedit ac ibi gentem propagavit.

Scythæ Imperium Aſiæ obtinent.

I. A. M. 3370. *Indathyrſus* ſive *Madyes*, Protothyæ filius, Scytharum Imperator, per portas *Caſpias* in Mediam irrupit & *Cyaxare* obſidione Ninives depulſo, *Aſiam* uſque ad *Ægyptum* tributariam ſibi fecit ac per XXVIII. annos obtinuit. *Herodot.* I. II. VII. *Strabo* I. & XV. *Arrianus* in Indicis. *Diod.* 11. *Joſeph.* 1. 6.

II. In ea excurſione duas *urbes* condiderunt Scythæ, vel ſaltem nomen ſuum iis reliquerunt, *Bambycen* ſive *Hierapolin* in Syria, quæ *Magog* dicta. *Plin.* v. 28. & *Bethſan* Palæſtinæ quæ Scythopolis. *Joſephus* V. I. VI. 15. XII. 12. XIII. 10. *Euſeb.* in Chron. Græco lib. 1.

Condunt regna Bactrianorum & Parthorum.

In hac expeditione pars Scytharum *Bactrianorum* & *Parthorum* gentes condidit. *Iuſtin.* XLI. *Arrianus* in Parthicis apud Photium Cod. LVIII. tradit *Parthos* tempore Seſoſtris Regis Ægypti & *Ianduſi* Scytharum, ex *Scythia* in *Perſiam* migraſſe. Et clarius Chronici *Alexandrini*

author tradit *Sesostrin* victis Persis *Scytharum* xv. cIↄ. in Persiam transtulisse, qui exinde *Parthi*, quod Scythica lingua sonet Exules, dicti sint.

Amazonum regnum fuit ad *Thermodontem.*

I. Non esse fabulosum illud *Amazonum* regnum, ut *Strabo* XI. & *Arrianus* VII. putant, ex *Platone* lib. VII. de Legibus patet, qui ad Pontum esse tradit *μυριάδας ἀναριθμήτους γυναικῶν ἃς Σαυρομάτιδας καλοῦσι*, *innumeras mulierum myriadas Sauromatidas dictas, quibus non equorum modo sed & arcuum & reliquorum armorum communis cum viris exercitatio sit instituta.* Nec non *Hippocrates* earum tanquam suo ævo superstitum meminit, quanquam se de veritate quarundam narrationum dubitare, in libro de *Articulis* non dissimulet, & *Nicolaus* Damascenus apud Stobæum sermone v.

II. *Herodotus* IV. originem Amazonum talem refert. Apud *Scythas* orta factione *Ylinos* & *Scolopitus* domo pulsi, ingentem multitudinem secum trahentes in *Cappadociæ* oras juxta *Thermodontem* ac *Themyscireis* campis consederunt. Ibi post multos annos *viris* trucidatis, *fœminæ* regnum condiderunt, dictæ Scythica voce *Æorpata*, id est, viricidæ: Græca *Amazones.*

nes. Duraſſe dicuntur ad Alexandri Magni tempora: ſed id *fabuloſum* quod *Aſiam* domuerint, *Epheſum* multaſque alias urbes condiderint. *Iuſtin*. XII. & XLII. *Curt*. VI. *Diod*. II. *Strabo* XI. *Sueton*. Julio XXII. *Plut*. Theſeo. *Oroſ*. I. 15.

Scythæ Imperium amittunt.

I. *Clearchus* apud Athenæum XII. 3. commemorat quam ſuperbe & crudeliter Scythæ devictis nationibus dominati fuerint: unde tandem conſpiratione earum Imperio dejecti ſunt. Quod quando factum fuerit non conſtat: ante Alexandri M. ævum id contigiſſe certum eſt, quia Clearchus Ariſtotelis diſcipulus fuit.

II. In hac Imperii *Scythici* ruina, omnibus Scythis *coma* ignominiæ cauſa fuit *abraſa*: unde per injuriam aliquem tondere poſteri ἀποσκυθίζειν dixerunt. Omnes certe Scytharum populi, ſolis exceptis *Kalmukis*, qui ſunt Comati, hodieque *raduntur*, relictis tantum in occipite *cincinnis*, quos contextos ab humero quaſi caudam demittunt: idque etiam remotiſſimis illis ſupra Sinam Tartaris qui *Niuche* vocantur, receptum, ut infra commemorabimus. Hunc igitur tondendi morem eo *tempore* exortum quo Scythæ Imperio dejecti ex Clearcho manifeſtum fit. Antea enim *comati* erant.

Rhoſſi

Rhoffi Tauricam occupant.

I. Inter *Scytharum* populos apud *Ezechielem* XXXVIII. 2. recenſentur etiam Ῥῶς, ut recte LXX. Symmachus, Theodotion & Proclus Epiſcopus apud Socratem VII. Hiſt. 43. interpretantur. Dicti autem videntur à fluvio *Araxe*: eum enim *Rhos* vocat Geographus Nubienſis.

II. Hi *Rhoſſi* trajecto *Araxe* occuparunt *Tauricam* Cherſonneſum eamque de ſuo nomine *Rhos* appellarunt. Teſtatur Tzetzes. Ταύρυς τὺς Ῥῶς καλεῖσθαι, *Tauros Rhos appellari.* Poſtea *Alanis* permixti *Rhoxalanorum* gentem conſtituerunt.

GEOR-

GEORGII HORNII HISTORIA RECENTIOR.

Historia Recentior est *Orientalis*, *Occidentalis*, *Australis*.

HActenus Historiam *antiquam* exposuimus. Sequitur *Recentior*, quæ complectitur Imperia & regna *medii* & *recentioris* ævi, quæ hodieque supersunt & durant. Quandoquidem autem Historia recentior spatio terrarum & multitudine populorum longe amplior antiqua est, ac præter Asiam, Africam & Europam, ipsum quoque novum orbem & australes terras nondum plane cognitas complectitur: hinc dividenda fuit in *Orientalem*, quæ Europam, Asiam & Africam: *Occidentalem*, quæ Americam, & *Australem*, quæ terras populosque versus polum antarcticum continet.

Orientalis est *Scythica*, *Æthiopica*, *Sinensis*.

Quemadmodum antiqua Historia pro filiorum Noachi numero in Semeam, Chameam & Japheteam dividitur: ita recentior, quam *Orientalem* vocamus, quia orbem

bem veterem, id eſt Europam, Aſiam & Africam complectitur, dividitur in Scythicam, Æthiopicam & Sinenſem. Nam tribus his populorum nominibus atque ambitu, quicquid hodie gentium, Europa, Aſia ac Africa, cum inſulis adjacentibus, ſinu ſuo continet, exacte definiri atque deſcribi poteſt: ita ut nulla natio, quantumvis exigua atque obſcura, reperiri queat, quæ non vel *Scythica* vel *Æthiopica* vel *Sinenſis* ſit.

Scythica eſt *Teutonica*, *Hunnica*, *Slavonica*.

Scytharum nomine intelligimus quicquid populorum antiquam Scythiam Aſiaticam & Europæam ac inſuper totam reliquam Europam habitat; qui quidem omnes populi *Scythæ* à medii ævi ſcriptoribus appellantur & in *Teutonas*, *Hunnos*, *Slavos* commode ſubdividi poſſunt.

Teutonica eſt *Germanica*, *Francica*, *Normannica*.

Teutonum ambitu complectitur omnes illos populos *qui* medio ævo Teutonica lingua moribuſque utebantur, qui in *Germanos*, *Francos*, & *Normannos* ſubdividuntur.

Germa-

Germanica est *Frisica*, *Suevica*, *Vandalica*.

FRISICA.

FRISIA ab *Albi* ad *Rhenum* extenditur.

I. Regnum *Frisiæ* complectebatur omnes à *Rheno* ad *Albim* maritimas regiones. Sedes regia *Stavera*: aliæ urbes *Medenblicum*, *Esonstadium*. Omissis quæ ex Cappido, Occone Scarlense, Sulcone aliisque nugivendis Suffridus Petri, ineptissimus fabulator de Frisiorum antiquissimis Regibus & origine Indica tradit, *Vbbo* Emmius III. Hist. *Fris.* à *Richoldo* Uffone circa A. Ch. CCCXC. res Frisias certiores deducit. Sub *Aldegildo* Wilfridus Anglus circa A. IↃCXL. semina fidei Christianæ inter Frisios sparsit. Sed *Radbodus* religionem Christianam iterum extinxit, *Wilteburgum*, quod hodie Ultrajectum, destruxit. *Noviomagum* usque regni sui limites protulit. Sub eo *Egbertus* Anglus cum XII. sociis, inter quos *Willebrordus*, *Lebvinus*, *Wicbertus* Frisiis prædicavit ac *Willebrordus* Frisiorum *Archi-Episcopus*, sedem *Ultrajecti* collocavit. Quis *Radbodo* successerit, non potest ex probatis authoribus demonstrari: nam quæ Scarlensis de *Aldegildo* tradit, incertissima sunt. *Poppo* legitur

legitur Frisiorum Dux contra Francos fuisse; sub quo *Carolus* Martellus Frisios subegit. *Emmius* IV.

Suevica est *Allemannica*, *Deuringica*, *Saxonica*.

ALLEMANNICA.

ALLEMANNI inter Rhenum, Mœnum & Danubium regnant.

Nomen *Alemannorum* jam Strabonis ævo notum fuisse inde patet, quod libro IV. citat Asinium *Quadratum*. At hic *Allemanos* definivit, quod essent homines ξυνήλυδες καὶ μιγάδες teste *Agathia* I. Originem traxisse videntur à *confluge* Gallorum in vacuos ad Rhenum *Marcomannorum*, *Harudum*, *Sedusiorum* agros, qui duce Maroboduo Bojohæmum paullo ante occupaverant. Quanquam igitur initio Gallicæ originis essent, paulatim tamen in linguam & mores Germanorum transierunt. Primus *Antoninus* Caracalla se *Allemannicum* appellavit. *Spartianus*. Tandem à Romanis defecerunt proprio sibi *regno* inter *Rhenum*, *Mœnum*, *Danubium* constituto & transgressi Rhenum maximam *Mattiacorum* agri partem & *Cattorum* occuparunt. *Marcell.* XVII. XVIII. XXVIII. XXIX.

Postea

Poſtea in Francorum poteſtatem venerunt, de quibus omnibus prolixe Joh. *Gulerus* in Rhætia videri poteſt.

DEURINGICA.

Irmenfridus *Deuringiam* amittit.

I. *Deuringia*, quam hodie *Thuringiam* vocant, Hercyniæ Silvæ umbilicus fertiliſſimo ſolo & numeroſiſſimo populo gaudet.

II. Primus Rex Thuringiæ circa A. CCCCXXVI. commemoratur *Merwigus* ſive *Meroveus* filius Clodionis Regis Franciæ, cui ſucceſſit *Baſinus*. Chronicon *Anhaldinum* collocat *initium* regni Thuringiæ ad A. CCCCXLVII. Ultimus fuit *Irmenfridus*, quo occiſo regnum Thuringiæ ad *Theodoricum* Regem *Auſtraſiæ* ejuſque ſucceſſores *Francorum* Reges pervenit. *Tres* ergo tantum in Thuringia *Reges* regnarunt, nec diutius quam XCIV. annis illud regnum duravit.

SAXONICA.

Saxones *Witekindo* Rege *Francos* diuturno bello vexant.

Saxones non habuerunt *ordinarios* ac *perpetuos* Reges, ſed duodecim *Principes*: bello ingruente unum aliquem *Regem* eligebant, de quo videri poteſt Chronicon *Anhal-*

Anhaldinum I. 4. 5. *Munster.* III. Cosmogr. Talis Rex Saxonum fuit circa A. Iↄ CVI. *Bernthobaldus*, cui alius cognominis succeſſit. Ultimus *Witekindus*, quem *Carolus* Magnus Francorum Rex ſuperavit, poſt quem *Saxonia* in *Ducatus* & *Principatus* converſa.

VANDALICA eſt *Longobardica, Anglo-Saxonica, Gothica.*

I. *Vandalorum* priſcæ ad mare Balticum, late per Germaniam, ſedes; unde progreſſi ad paludem Mæotin ſub Rege *Wiſmaro*, à Gothis cæſi, Pannoniam inſederunt. Ex ea ductu *Caroci* & *Gondigiſili*, Alanis Sueviſque in commilitium aſſumtis A. CCCCVI. in Gallias migrarunt; relictiſque ibi *Burgundionibus*, in Hiſpaniam tranſierunt eamque inter ſe ſorte ita diviſerunt, ut *Vandalis* Bætica, *Alanis* Luſitania, *Suevis* Gallætia cederet. Ita tribus conſtitutis in Hiſpania regnis, *Vandali* Bæticam à ſe *Vandaluſiam* appellarunt, quod nomen Arabes in *Andaluſiam* mutarunt atque ita totam Hiſpaniam hodieque vocant. *Genſericus* A. CCCCXXVII. Vandalos in Africam traduxit, qui expugnata *Carthagine* regnum ibi *Vandalicum* condidit, quod ſub *Gilmere* A. Iↄ XXXIV. per Belliſarium Juſtiniani ducem, deletum fuit.

II. Regnum *Suevorum* in *Gallætia* cœpit A. CCCCXXXVI. ſub Rege *Emerico*, & duravit annis CLXXVI. *Rechilla* Bæticam, Eme-

Emeritam & Carthaginensem provinciam occupavit. *Recciarius* totius Hispaniæ imperium affectavit. *Theodemirus* Silingos Vandalorum reliquias cum urbe *Hispali* subjugavit. Ultimus Rex fuit *Andicas*, quo in monasterium detruso, *Leovigildus* Westrogottorum Rex, Suevos potestati suæ subjecit.

III. *Burgundiones* & ipsi Vandalorum pars, frustra retinente Aëtio, magnam *Heduorum Sequanorumque* partem occuparunt & dilatatis longe lateque per Galliam *Lugdunensem* ac *Narbonensem* finibus A. CCCCXIV. sub Rege *Gundiocho* regnum Burgundionum condiderunt, cujus ultimus Rex fuit *Gundemarus*, qui A. IↃXXVI. à Francis regno exutus fuit.

LONGOBARDICA.

LONGOBARDI *Pannoniam* & *Italiam* occupant.

I. *Longobardi* ex Germania circa A. CCC. LXXX. ducibus *Ibore* & *Agione* sive *Hajone* egressi, *Vandalorum* & *Rugiorum* terras aliquandiu tenuerunt: inde in *Noricum* & *Pannoniam* A. CCCXC. delati regnum sub *Agelmundo* condiderunt. Ex Pannonia Longobardos in Italiam duxit *Alboinus* à Narsete evocatus A. IↃLXX. eamque totam, exceptis Alpibus *Cottiis* & civitatibus maritimis sive *Exarchatu* Ravennate, sibi subjecit, regia sede *Tinici*, in palatio *Theodorici*, posita.

II. Ita

II. Ita initium sumsit regnum *Longobardorum* in Italia, quod divisum fuit in Ducatus *Forojuliensem*, *Tusciæ*, *Spoletanum*, *Beneventanum*, *Taurinorum* aliosque. Ultimus Regum Longobardorum fuit *Desiderius*, quem *Carolus* Magnus, Ticino expugnato, A. IↃCCLXXIV. Leodium relegavit. Ita Regnum Longobardiæ in potestatem Francorum pervenit.

ANGLO-SAXONICA.

Anglo-Saxones in *Britannia* septem regna constituunt.

I. Causa fuit, abductæ ex *Britannia* Legiones Romanæ: Unde *Picti* & *Scoti*, superato muro *Severi*, Britannos assiduis irruptionibus fatigarunt; hi ad eorum impetum retundendum *Saxones*, quibus permixti erant *Angli* & *Frisii*, ex Germania evocarunt. Unde Britannia ab antiquis vocatur *Saxonia* Transmarina vel *Anglia* Nova.

II. Primi omnium & maximo numero in Britanniam transfretarunt *Saxones*. Ideo *Scoto*-Hiberni & *Cambri* omnino ignorantes nomen Anglorum, eos vocant *Saisons* vel *Sasons*. Dicti fuerunt *Saxones* à generi teli quod *Seaxès* vocabant; erat autem brevis gladius instar acinacis,

Quippe brevis gladius apud illos Saxa *vocatur*,
Unde sibi Saxo *nomen traxisse putatur*.

Sic

Sic *Picardi* à longis haſtis, *Galli* glaſſæ in Hibernia à bipennibus, *Scythæ* à ſagittandi peritia dicti.

III. Unde autem illi *Saxones* & *Angli* originem traxerint, nunc paucis exponendum eſt. Priſcæ illorum ſedes ad ſinum *Codanum* & *Albim* fuerunt. Tacitus *Foſos* appellat, qui Ptolemæo & aliis *Saxones*. Et quia nemo præterea Foſorum meminit, *Cluverius* ſuſpicatur pro *Foſis* legendum *Saxones*, prima Syllaba *Sa* prorſum omiſſa, X & N in F & S mutatis. Quod perinde eſt ac ſi ex *Choppino* Platonem facias. Longe evidentius pro *Foſis* legas *Soſis*, ſolo F in vicinam literam S mutato. *Saſſi* enim vel *Soſſi* hodieque ibi appellantur.

IV. Inde profecti ſub Diocletiano *Saxones*, *Angli* & *Varni*, oras *Chaucorum*, *Dulgubinorum*, *Angrivariorum*, *Friſiorum*, ad *Rhenum* & *Bataviam* occuparunt, pulſis exinde Francis. *Zoſimus* III. *Hieron.* in Vita Hilarionis. *Oroſ.* VII. 31. *Marcell.* XXVII. XXVIII. Unde tota illa ora maritima *littus* Saxonicum dicebatur. *Paul.* Diacon. XI. *Iſidor.* VII. Orig. 31. & IX. 2. Ita per CL. circiter annos *Bataviam Friſiamque* tenuerunt, inſignes piratica, quam per *Galliam*, *Hiſpaniam*, *Britanniam* uſque ad *Orcadas* exercuere. *Sidon.* VIII. *Epiſt.* 6. & *Carm.* 6.

V. Donec ſub *Valentiniano* III. *Angli* & *Saxones* in Britanniam migrarunt, *Varnis*

nis apud Batavos & *Frisios* relictis. De quo Phil. *Cluv.* III. Germ. Ant. 21.

VI. *Angli* veteres sedes in *Cimbrica* Chersoneso habuerunt. Fab. Quæstor *Ethelwerdus* ex regia Saxonum stirpe: *Anglia vetus sita est inter Saxones & Giotos, habens oppidum capitale quod Saxonico sermone Sleswijc, secundum Danos Haithby dicitur.*

Anglo-Saxones *septem* regna condunt.

Primum fuit regnum *Cantii* fundatum A. CCCXLIX ab *Hengisto*. Secundum *Sussexiæ* A. CCCCLXXXVIII. ab *Ella*. Tertium *West-Saxonum* A. IↃXIX. à *Kerdicio*. Quartum *Nordanhumbriæ* A. IↃXLVII. ab *Ida*, quod divisum in *Deiram* & *Berniciam* sive *Berviciam*. Sextum *East-Anglorum* A. IↃLXXIV. ab *Vffa*. Septimum *Merciorum* A. IↃLVI. à *Penda*. Inter hos *septem* Reges *Anglo-Saxonum* semper penes *unum* aliquem *Monarchia* fuit, eaque ambulatoria, non successione vel electione, sed *armis* acquirenda, teste *Beda* VII.

Britanni in *Cambriam* pelluntur.

I. Quanquam *Britanni* etiam sub *Romanis* Reges suos habuerint, quales commemorantur *Arviragus* sub Claudio, *Lucius* sub Severo & alii: tamen *Regium* nomen à Romanis plane deserti, demum plena

plena cum poteſtate aſſumpſerunt, eo tempore quo *Anglo*-Saxones inſulæ majorem partem ſuis copiis inundabant.

II. Primus Regum fuit *Vortigernus*, cujus ſucceſſores magis magiſque in anguſtias redacti; donec tandem in Cambriæ angulum fluvio *Sabrina* concluderentur. *Ultimus* fuit *Cadwallader*, cum quo regnum deſiit A. IↃCLXXXIX. Iterum tamen Reges Britannorum in Cambria, uſque ad A. CIↃCCLIV. quo *Henricus* III. *Cambriam* titulo *Principatus* Angliæ univit.

EGBERTUS *Anglorum* Regnum condidit.

Egbertus Weſt-Saxonum Rex, *Cantio* & *Northumbria* potitus, Monarchiam *Anglorum* A. IↃCCC. fundavit, ac lege lata, abrogatis Saxonum & Britannorum nominibus, gentem *Anglos*, regionem *Angliam* nominare juſſit. Cauſa hujus nominis, quod *Gregorius* Papa, audito Anglorum nomine & viſa eorum pulchritudine, *Angelos* nominavit. Unde *Egbertus* repudiato Saxonum nomine *Anglos* quaſi *Angelos* nominari voluit. Hinc priſci Anglorum Reges imaginem *Angeli* imprimebant aureis ſuis, qui exinde dicti *Angelotti*. *Ethelwolphus* nummum *Petri* Papæ perſolvendum ſtatuit. *Alvredus* Northumbriam Danis conceſſit, ſed eos *Mercia*, Edoardus

East-Anglia pepulit. *Edmundus* Cumbriam Malcolmo Scotiæ Regi reddidit. *Edgarus* Ludovallo Wallorum Principi tricenos lupos tributi annui loco imperavit. Sub *Ethelredo* Dani totam Angliam occuparunt A. cIↄ XIII. Primus Danorum in Anglia Rex fuit *Sueno*, cui succeſſit *Canutus* Magnus, alio nomine dictus *Lamprecht*. Manſit *Anglia* in poteſtate *Danorum* Annos XXVI. uſque ad A. cIↄ XLII. quo omnes *Dani* per Angliam conſpiratione incolarum *una* die trucidati & regnum *Edoardo* Confeſſori reſtitutum.

Hibernia *Romanis* nunquam paruit.

I. Ultima Europæ verſus Occidentem inſula duobus nominibus appellata fuit, *Hibernia* & *Scotia*. Hibernia aliis *Ierne*, *Hierna*, *Iuverna*, *Iris*, *Hiverione*, *Bernia*, *Overnia* dicta fuit. Ipſis indigenis *Eri*, unde *Erigena* idem qui *Hibernus*. Dionyſius *Alexandrinus* ab *Iberis*, *Cambdenus* ab *Hiar*, quæ Hibernis *occaſum* ſignificat, nomen derivant. *Scotiam* à Scythis dictam volunt, nimirum Celto-Scythis, unde *Propertius* Getas in Hibernia conſediſſe dicit. IV. Eleg. 3.

Hibernique Getæ pictoque Britannia curru.

Iſidorus IX. orig. 2. *Scotos* propria lingua nomen habere dicit à picto corpore. Iidem ergo populi *Scoti*, *Picti*, *Britanni*, *Clau-*

Claudianus IV. Conſ. Honor.

Incaluit Pictorum nomine Thule,
Scotorum tumulos flevit glacialis Ierne.

Et II. de Laudib. Stilic.

Totam cum Scotus Iernen
Movit & infeſto ſpumavit remige Thetys.

Oroſ. I. 2. *Hibernia à Scotorum gentibus colitur*. Iſid. XIV. 6. *Scotia* eadem & *Hibernia*. Scotia autem quod à *Scotorum* gentibus colitur appellata.

II. De *Hibernorum* origine fabuloſa tradit *Giraldus*. *Hiberni* à Britannis ſunt. Unde antiqua *Hibernorum* lingua eadem quæ *Britannorum*. Deinde acceſſerunt alii populi, *Cauci* & *Menapii* ex Germania & Belgica. *Concami* & *Luceni* ex Hiſpania.

III. *Diviſa* initio fuit in *Leghcuinam* ſive Borealem & *Legtimoa* ſive Auſtralem. Deinde in *quinque* Provincias, *Momoniam*, *Lageniam*, *Conactiam*, *Ultoniam* & *Midiam*. Hodie in *quatuor*. Nam *Midia* Lageniæ accenſetur.

IV. Quanquam vero Romani *Britanniam* totam armis ſuis pervaſerint & ipſas *Orcadas* expugnarint, ab *Hibernia* tamen abſtinuerunt, ſive quod *nihil* in ea niſi *barbariem* deprehenderent; ſive *Oceano*, qui imprimis ad eam inſulam naufragus & tempeſtuoſus eſt, deterriti. Quare *nihil* in Hibernia Romanarum antiquitatum aut cultus reperitur. Quod vero *Iuvenalis* dicit:

Arma quid ultra

Littora Iuvernæ promovimus & modo
captas
Orcadas.....
id *Poëtice* & *adulatorie* dictum est.

V. Antiquissimi *Hibernorum* Reges fabulosi sunt. Certior series incipit à *Lœgario* & A. Christi cccc. quo tempore tota insula dividebatur in *quinque* regna sive *Pentarchiam*: sic tamen ut semper *unus* aliquis Monarchiam in cæteros obtineret. Ultimus fuit *Rodericus*, sub quo *Henricus* II. Rex Angliæ *Hiberniam* expugnavit A. Ch. cIↃCLXXII.

Ostmanni ejus partem occupant.

Ostmanni appellabantur *Dani*, *Suedi*, *Norwegi* & quicunque Balticum mare accolunt, & *Normanni* vocantur. Hi piraticam toto mari exercentes jam ab A.IↃ ccc. littora Hiberniæ infestarunt & paulo post in ea sedes posuerunt ac regna condiderunt, ut in Normannorum rebus commemorabitur.

Scoti ex *Hibernia* in *Albaniam* migrant.

Albania vocatur illa Britanniæ Septentrionalis pars, quam Scoti Hibernia egressi occuparunt, & à se *Scotiam* appellarunt. Migrationes illæ diversis temporibus factæ. In Ultoniæ ægro *Antrimensi* est *Dalriata*,

riata, cujus pars eſt *Routa*: unde exierunt *Dalreudini* iſti, quos *Beda* ſcribit, duce *Reuda* Hibernia egreſſos, inter *Pictos* conſediſſe. *Scoti* & *Scotia* Romanis adhuc *Taciti* ævo incogniti, qui in vita Julii Agricolæ ſemper *Caledoniam* nominat, populos quoſdam *Horeſtos*. Egeſippus Judaicarum rerum ſcriptor *Scotiam* nominat, ſed is poſt *Gratianum* & *Theodoſium* vixit.

Picti à *Scotis* delentur.

I. Regnum *Pictorum* complectebatur Britanniæ Septentrionalis illam partem quæ ortum reſpicit. Sedes Regum erat plerumque *Abirnethia*. Joh. *Major*. 11. de geſtis Scot. 14. qui Catalogum Regum *Pictorum* in Annalibus *Scotorum* extare dicit. A. Ch. LXXV. *Rodericus* Rex Pictorum de *Scythia* veniens, Britanniam Septentrionalem occupavit. Sed mox interfectus fuit. *Matth.* Weſtmonaſter. *Nectanus* Rex Pictorum. Ei ſucceſſit *Nectanus* II. huic *Herguſtus*. Hector *Boëtius*. Henninges primum Regem Pictorum facit *Gethum*, & tres ejus nominis *Gethos* ordine ponit, quartum facit *Herguſtum* A. Ch. CCCLXX. *Gethus* Joh. *Majori* 1. 13. *Heth* dicitur. A. IↃXLV. apud Pictos cepit regnare *Bridius* filius *Meilocen*, qui ſupra XX. annos regnavit & Rex omnium *Pictorum* potentiſſimus fuit. Henr. *Huntingdon* lib. III. *Brudeo* Garnard filius Dompnach ſucceſſit

 Joh.

Joh. *Major* II. 14. coætaneus *Engerii* V. & *Ambirkelethi* Regis Scotiæ. Hector *Boeth*.IX. *Vnnust* (qui *Majori* II. 14.*Hungg*) obiit A. IↃCCLXI. Ei succeffit *Cynoth*. Hoveden. *Westmonast*.

II. Ultimus Rex Pictorum fuit *Drusko*, sub quo *Kennethus* Rex Scotorum A. IↃCCCXXXIX. Pictorum regnum delevit & ipsum Druskonem decollavit, *Major*. II. 14. De hoc Pictorum regni excidio vide *Buchananum* lib. V. Non tamen in totum *Picti* deleti : nam etiam post *Druskonem* adhuc eorum mentio & aliquoties contra Scotos bellum renovarunt. *Hungus* Rex Pictorum *Adelstanum* Regem in prælio interfecit. Joh. *Major* III. I. Ergo hic *Hungus* circa A. IↃCCCCXXX. regnavit, adeoque post *Druskonem*. rationem *Buchananus* in fine quinti Histor. reddit, dum *Pictos* qui cladi superfuerunt, in *Angliam* (Northumbriam) fugisse dicit. Ibi ergo imaginem regni tenuerunt : Sed paulo post penitus Britannia expulsi ad *Cimbros* & *Norwegos* exulatum abierunt.

Kennethus Regnum *Scotiæ* condit.

I. Regnum *Scotorum* vulgo deducunt à *Fergusio* I. quem Alexandro M. coævum fuisse fingunt. Quæ antiquissima fabulosa esse ex *Tacito* aliisque Romanorum Scriptoribus patet, qui nullius in Britannia *Scotorum*

torum regni vel *Regum* mentionem faciunt, cum tamen eam *Julius Agricola* totam perdomuerit. Itaque recte *Ubbo* Emmius v. Chron. *De primis Regibus suis, quæ memorant Scoti, majorum traditionibus ἀγράφοις atque ideo incertis se debere, ne ipsi quidem negaverint. Ea igitur nos pro certis habere non possumus. Quinimo ne ea quidem nobis satis certa videntur quæ à Fergusii* II. *initio & Scotorum reditu in Britanniam recitantur* ad A. IↃCCCXXVIII. *ubi Picti à Scotis deleti.* Omissis ergo illis à *Fergusio* I. & *Fergusio* II. Regibus, initium regni Scotiæ collocamus ad A. IↃCCC. Primus, cujus exteri scriptores meminerunt, Rex Scotorum *Achaius* est, cum quo *Carolus* Magnus perpetuum fedus inivit. Post eum A. IↃCCCXXIII. regnavit *Kennethus*, qui deleto *Pictorum* regno, solus Britannia Septentrionali potitus, eam à suis appellari jussit ac fines ad *Northumbriam* protulit.

II. *Gregorius* Northumbriam, Cumbriam, Westmorlandiam occupavit, Hibernicos subegit. *Kennethus* III. novam regis creandi legem tulit, ut regibus liberi succederent. *Milcolumbus* sive *Malcolmus* II. prædia omnia regalia *Baronibus* divisit, *Wardas* ac *relevias* ut appellant, ab iis recepit. Sub *Donaldo* Hebrides à Norwegis occupatæ. Sub *Malcolmo* IV. *Henricus* Angl. Rex Scotis *Northumbriam* & *Cumbriam* eripuit. *Wilhelmus* Cumbriam & Hundingtoniam cum parte Northum-

briæ à Richardo recepit. Ultimus ex stirpe Fergusii *Alexander* III. fuit, quo A. cIↃ cc LXXXV. defuncto, *Scotia* varie inter regni competitores & victores Anglos distracta, donec tandem familia *Stuartorum* A. cIↃ ccc LXX. succederet.

Jacobus VI. Britanniarum *Monarcha* fit.

A. cIↃ IↃc III. *Jacobus* VI. Rex Scotiæ defuncta *Elizabetha* regina Angliæ, totam Britanniam & Hiberniam cum omnibus circumjacentibus insulis, in unum Imperii corpus redegit.

GOTHICA.

GOTHI condunt Regna *Italiæ* & *Hispaniæ*.

I. Omissis quæ de *Gothorum* origine & antiquissimis gestis *Iornandes* aliique tradunt, quod fabulis propiora vel saltem incerta videantur: id constat, sedes supra *Pontum* Euxinum à *Tanai* ad *Borysthenem* usque habuisse, divisos in *Ostrogothos*, qui & *Grutungi*, & *Westrogothos*, qui & *Visigothi, Tervingi* & *Vittungi* dicebantur. *Ostrogothorum* Reges sive *Anses* erant ex *Amalorum* familia, *Westgothorum* ex familia *Balthorum*. Inde eruptione sub rege *Ostrogotha* in Mœsiam & Thraciam facta, *Gepidas* à Bal-

à Baltico mari rege *Fastida* progressos, repulerunt. Et postquam diu imperium Romanum prædæ habuissent, tandem ab *Huunis* pulsi, sedes ad *Danubium* accepere, modo amici, modo hostes Romanorum, donec tandem *duo* regna conderent, unum in *Italia*, alterum in *Hispania*.

II. Regnum *Italiæ* condiderunt *Ostrogothi* A. CCCC XCIII. auspiciis *Theodorici* Amali, qui *Ditericus* Veronensis à Germanis scriptoribus appellatur. Hic victo & occiso *Odoacro* Herulorum & Rugiorum Duce, qui primus *Italiæ* Regem se appellaverat, regnum *Italiæ* ad *Ostrogothos* & familiam *Amalam* transtulit. Ultimus Regum Ostrogothorum in Italia fuit *Teias*, quem Narses ad *Cumas* prælio cæcidit. Ita *Ostrogothorum* nomen & regnum in Italia deletum fuit.

III. Regnum *Hispaniæ* condiderunt *Westrogothi*, quorum primus Rex fuit *Alaricus*, sed qui in Italia obiit. Ejus successor *Athaulfus* federe cum Honorio, cujus sororem Placidiam duxerat, icto, *Westgothos* in *Galliam* ac *Hispaniam*, quæ *Gottalania* hodieque *Catalonia* dicta, duxit; sede regni *Narbone* posita. *Wallia* Vandalos, Alanos, Suevos ad *Calpen* superatos ex Hispania in *Africam* pepulit, data est ei ab Honorio *Aquitania* secunda, quæ imposterum *Guasconia* & *Gottia* Gallia appellata. Idem *Vandaluziam* sive Bœticam, quam *Vandali* in Africam transeuntes deseruerant, occupavit,

pavit, sede regni *Tolosæ* collocata. *Theodoricus* II. *Suevis* in Hispania victis *Lusitaniam* & *Gallætiam* eorum regnum occupavit. *Enricus* reliquis Romanorum in Hispania provinciis occupatis, *Massiliam* expugnavit & sedem regni *Arelate* posuit. *Alaricus* II. à *Clodovæo* Rege Francorum in *Voglatensi* prælio victus *Tolosam* cum Gallicis provinciis amisit ac *Westgottorum* potentiam intra Hispaniæ terminos contraxit, quanquam *Amalaricus* auxiliis *Theodorici* Regis Italiæ Aquitaniam à Francis recuperaverit. Sed mox A. Iↄ xxxiii. *Theodebertus* Rex Francorum, regnum *Gotticum* in Aquitania evertit. Tenebant tamen adhuc *Narbonensem* provinciam. *Leovigildus* regnum Gothorum in *Cantabria* & *Aragonia* late propagavit, Suevorum reliquias victo rege *Andeca* in Gallætia delevit, *Toleti* sedem regiam posuit. *Ricaredus* fide Catholica suscepta, *Catholicus* fuit dictus, à quo Hispaniæ Reges per Alfonsum Pelagii generum, originem suam derivant. *Sisebutus* freto Herculeo trajecto magnam Mauritaniæ *Tingitanæ* partem occupavit, quæ exinde *Gotthia* transmarina dicta. Suintilla Romanis penitus Hispania exclusis primus totam Hispaniam tenuit & *Olitensem* urbem struxit. *Sisenandus* Aquitaniam amisit: sed eam ex parte recuperavit *Bamba* sive *Wamba*, qui *Toletam* muro & turribus CL. munivit, incisis marmori duobus versibus:

Ere-

Erexit fautore Deo Rex inclytus urbem,
Bamba suæ celebrem protendens gentis honorem.

Vitiza destructis omnium fere urbium muris viam Saracenis ad Hispaniam occupandam aperuit. Ultimus regum Westgottorum in Hispania fuit *Rodericus*, qui stuprata *Cava* Juliani Comitis Mauritaniæ filia, à *Saracenis* A. IↃ CCXIII. cæsus, regnum Westgottorum in Hispania evertit.

Gothi in *Hispania* quinque Regna recuperant.

I. Quicunque *Gottorum* stragem illam Saracenicam evaserant, in *Asturiæ, Cantabriæ, Iacatanis, Pyrenæis* montibus collecti aliquandiu delituerunt, natura locorum tuti. Primus *Eudo* Galliæ *Gotticæ* præfectus, titulum regium in Aquitania assumsit, sed illud regnum mox desiit. In ipsa autem *Hispannia* Gotti diversis temporibus *quinque* regna condiderunt *Legionis*, *Navarræ*, *Aragoniæ*, *Castiliæ* & *Portugalliæ*. Sunt autem magnæ inter Historicos de primis his Regibus, præcipue *Soprarbiæ*, discrepantiæ. Nos *Marianam* & Hieronymum *Blancam* tanquam accuratiores sequimur.

II. Primum regnum fuit *Legionis* sive *Asturiæ*, conditum A. IↃ CCXVI. XVII. vel XIX. à *Pelagio*, ex regio Gottorum sanguine. Sedes regia initio fuit *Ovetum*, unde

etiam vocantur Reges *Oveti*: deinde *Legio* five *Leon*, unde hodieque regnum *Legionis* primum inter Hifpanica locum obtinet. *Pelagius* caftellum contra Saracenos extruxit, cujus præfecti Comites *Castellæ* dicti.

III. *Secundum* regnum fuit *Soprarbæ* & *Ripagorzæ*, conditum A. IↃCCXXIV. à *Garsia* Ximenio, quod capta *Pampelona*, dictum etiam fuit regnum *Pampelonæ* & tandem *Navarra* à *Navis*, quod Vafconum lingua *planitiem* à montium radicibus protenfam fignificat. *P. Bombinus* in Breviario rerum Hifpan. dicit: Garfiam *Ximenem* à IↃC. viris Regem creatum, fed incertum effe cujus fe vel civitatis vel provinciæ Regem dixerit. Idem *Mariana* VIII. 1.4. inter quem & Hieron. *Blancam* magna in primis Regibus recenfendis difcrepantia, *Sanctius* Garfias circa A. IↃCCLXVI. fe primus Regem *Pampelonis*, *Anagari* & *Alavæ* appellavit, *Mariana* tefte *Sanctius* Major circa A. CIↃ. omnia regna Hifpaniæ conjunxit, & inter *quatuor* filios divifit in *quatuor* regna, *Ripagorzæ* & *Soprarbiæ*, *Castellæ*, *Navarræ* & *Aragoniæ*. Quæ divifio facta fuit quoad defignationem A. CIↃXVI. vel XVIII. quo ad executionem A. CIↃXXXIV. demum poft obitum Sanctii: atque ita diverfæ autorum fententiæ conciliandæ funt.

IV. *Tertium* regnum fuit *Aragoniæ*, cujus primum Regem A. IↃCCCXCV. fe voca-

vocavit *Sanctius* Kæso Abarca. De his regibus observandum eos olim non mox à patris obitu reges dictos: sed tum demum cum *milites* creabantur aut *uxorem* ducerent, idque adhuc A. cIↄ cc. obtinuit, *Mariana* XI. 21.

V. *Quartum* regnum fuit *Castilia*, cujus primum Regem A. cIↄ xxxv. *Ferdinandus* Magnus se appellavit.

VI. *Quintum* regnum fuit *Portugallia*, dictum à *Portucale*, quod nomen jam circa A. Iↄ. notum fuit. *Voss.* I. Idol. 34. *Portugallia* igitur dicta fuit ab urbe *Porto*, quæ vicini pagi nomine assumto, qui *Cale* dictus, *Portucalia* & mutata litera *Portugallia* dicta est. Sed postquam hoc nomen toti regno tributum, urbs solius *Porto* nomen retinuit. Nic. *Godignus* II. Abyssen. I. *Primus* titulum Regis Portugalliæ Anno cIↄ cxxxix. usurpavit *Alfonsus*, post prælium *Orichiense*, in quo quinque Maurorum Reges superavit, unde *crucem* in *quinque* scutula divisam ac argenteis denariis in memoriam venditionis Christi respersam, insigne regni esse voluit. Idem capta ope Hollandiæ classis *Olisipone*, *Ebora* aliisque locis, Portugalliam tam late, quam hodie patet, extendit. Sedes, *Lisboa*. Sub eodem mos invaluit, ut reginæ quoque ac puellæ *Infantes* dicerentur. A. cIↄ cc LXX. accessit *Algarvia* Comitatus dotalitius, cum Beatrice filia *Alfonsi* X. Regis Castellæ, clientelari jure, cujus alteram

partem

partem Saracenis ereptam *Dionysius* occupavit ac exinde *regnum*, impetrata clientelæ remissione, cônstituit, addito Portugalliæ insignibus clypeò purpureo aureis castellis resperso. Idem Dionysius fundavit Academiam *Conimbricensem*.

Mauri penitus *Hispania* pelluntur.

A. cIↄ ccccxcI I. *Ferdinandus* & *Isabella* Castiliæ & Arragoniæ Reges, capta *Granada*, Maurorum in Hispania regno, quod per Iↄ cc. annos duraverat, finem imposuerunt. Et quanquam *Mauri* Granadenses A. cIↄ Iↄ LXXI. iterum caput efferrent Rege *Andalusiæ* creato ex sua gente *Abdalla*, mox tamen à Ludovico Requesenio fraude potius quam armis, domiti & à *Philippo III.* A. cIↄ Iↄc IX penitus Hispania expulsi in Africam & Turciam remigrarunt, magno rerum Christianarum detrimento, quod artes Europæas præsertim militares Afris & Turcis tradiderint: unde magna eorum hodieque Algeriæ, Tuneti, Tripoli aliisque Africæ littoralibus urbibus copia piraticam exercet.

Castiliani Occidentalem, *Portugalli* Orientalem *Indiam* occupant.

I. Ita *Alexander* Papa VI. *Orbem terrarum* inter Reges *Castiliæ* & *Portugalliæ* divisit,

divisit, linea à polo ad polum per insulas fortunatas sive *Canarias*, postea *Azores*, ducta. Ceperunt *Hispani* jam circa A. cIↄ cccc. mare Atlanticum scrutari ac frequentare, insulas Canarias aliasque occupare.

II. *Lusitaniæ* Rex *Johannes I. Septam* A. cIↄ cccc xv. *Maderam* & *Porto* Santo insulas incultas A. xxv. *Alfonsus V. Tanger* & alias regni Maroccani urbes occupavit: dictus propterea *Africanus*: ac ab eo tempore *Africæ* exteriora littora scrutari cœperunt: sub *Johanne II.* superato capite de *Bojador* in Nigritarum regione *Guineam* occuparunt, structo castello del *Mina*.

III. Atque ab eo tempore *Hispani* utramque *Indiam* sibi aperuerunt. *Castiliani* quidem auspiciis Christophori *Columbi* novum orbem, qui India *Occidentalis* vel *America* dicitur, A. cIↄ cccc xcII. detexerunt. *Portugalli* per Vascum de *Gama*, superato capite *Bonæ* spei A. cIↄ ccccxcvII. Indiam *Orientalem* & A. cIↄ Iↄ. *Brasiliam*, regnante *Eumanuele*. Ab eo tempore potentia Hispanorum per totum orbem terrarum longe lateque diffusa ac propagata fuit.

Philippus II. tota *Hispania* potitur.

I. Cæso in Africa *Sebastiano* ultimo Rege Portugalliæ, *Philippus II.* A. cIↄ Iↄ LXXXI.

LXXXI. Portugallia armis domita, integram Hispaniam in unum corpus redactam, solus iterum obtinuit, atque ita *Hispaniarum* & *Indiarum* Rex factus fuit. Isque status duravit usque ad A. cIↃ IↃc XL.

Belgæ confederati libertatem restituunt.

A. cIↃ IↃ LXXXI. *Belgæ* confederati pertæsi *avaritiæ*, *crudelitatis* & *Tyrannidis* Hispanicæ, *Philippo II.* solenniter omnem *fidem* ac *obedientiam* renunciarunt, libera *Republica* instituta, ac bello sub fortissimis *Arausionum* principibus & *Nassoviæ* Comitibus, per LXXX. annos continuato, tandem A. cIↃ IↃc XLVIII. pace cum Hispanis facta, libertatem suam dudum justitia causæ & victricibus armis assertam, confirmarunt.

Portugalli Regem creant *Johannem* Braganzæ ducem.

A. cIↃ IↃc XL. *Portugalli* excusso jugo *Philippi IV.* Regis Castiliæ defecerunt, ac Regem crearunt *Johannem* Braganzæ Ducem, cui successit *Alfonsus* filius qui hodieque regnat.

FRAN-

FRANCICA.

Regnum FRANCORUM condunt *Merovingi*.

De *Francorum* origine Phil. *Cluver.* III. Ant. Germ. 20. A. CCLXXXVII. Reges Francorum *Alaricus* & *Gaiso*, cum *Bataviam* occupassent, à Maximiano in agros *Nerviorum*, *Trevirorum*, *Lingonum*, *Rhemonum*, *Tricassiorum*, *Ambianorum* translati; A. CCCCXVIII. Franci Regem *Marcomerum* elegerunt, cui anno sequente *Faramundus* successit. *Clodio* Comatus in *Thuringia* castrum *Dispergum* tenebat; cum Francis in Galliam Belgicam irrumpens *Cameracum*, *Atrebatum* & reliqua usque ad *Somonam* Romanis eripuit, sed ab *Aëtio* & *Majorano* rursum ejectus fuit. *Prosper* ad A. CCCCXXVIII. *Sidonius* Apollinaris. *Meroveus* condidit dynastiam MEROVINGORUM & trajecto Rheno Galliam fere totam occupavit, ac *Francos* Gallis permiscuit. *Otto* Frising. *Clodoveus* omnia inter *Ligerim*, *Sequanam* & *Rhenum* occupavit, *Doringos*, & *Alemanniam*, victo ad Tolbiacum Rege, *Burgundiam*, *Aquitaniam* & *Gothiam* Gallicam, cujus caput Tolosa, Alarico in *Voglatensibus* campis profligato, subegit. Primus fidem Christianam suscepit, unde Christianissimus & *primogenitus* Ecclesiæ Rex Franciæ dicitur (quanquam omnes olim Reges qui contra infideles

infideles bellum gerebant, *Christianissimi* dicti, veluti Reges *Cypri* & *Hispaniæ*, ut *Volaterranus* II. Geogr. testatur) ac regnum *Francorum* latissime extendit, quod *Franciam* Occidentalem, quæ à mundi plaga *Neustria*, à sermone *Romania* dicebatur, *Orientalem* quæ *Austrasiam*, *Thuringiam* & *Allemanniam* complectebatur. Inter ejus *quatuor* filios regnum in *Aurelianorum*, *Parisiorum*, *Austrasiæ*, cujus sedes urbs *Meodiomatricum*, & *Belgicæ*, cujus sedes urbs *Suessionum*, divisum. *Theodoricus* Rex Austrasiæ cæso *Hermenfride* Thuringiam occupavit: cæteris extinctis, solus *Clotharius* omnia Francorum regna obtinuit, pro *quatuor* filiorum ejus numero, iterum in totidem partes divisum, quos inter *Austrasiæ* Rex *Sigebertus* Hunnos Doringia pepulit, Albericum Hannoniæ Comitem constituit *Clotharius* II. denuo Monarchiam Francorum obtinuit. Ejus successores alii *Aquitaniæ*, alii *Austrasiæ* & *Franciæ* Reges fuerunt. Post *Clotharium* III. Reges Francorum, omni potestate ad *Majores* Domus translata, nudum titulum retinuerunt. *Semel* tantum in anno die *Paschatis* populo se conspiciendos dabant, in plaustro rustico, quod boves trahebant, ipsi corolla florea redimiti. *Aventinus* in Annal. Bojor. *Sigebertus* Radulphum Doringorum Regem tributarium fecit. *Chilpericus* fuit Rex Neustriæ. *Carolus* Martellus Dux Austra-

Austrasiæ, *Saxones*, *Bojarios*, *Alemannos* vicit, *Saracenos* & *Westgottos* Gallia ejecit, *Avenionem* recepit, *Frisios* domuit. Ultimus *Merovingorum* fuit *Chilpericus* IV. *stupidus* sive *ignavus*, quo in monasterium pulso *Pipinus* Brevis regnum Franciæ obtinuit, cujus filius *Carolus* secundam Regum familiam, quæ *Carolinga* dicitur, condidit.

KAROLUS Magnus Imperium *Occidentis* instaurat.

I. *Carolus* Magnus *Desiderio* Longobardorum, *Witekindo* Saxonum, *Tassilone* Baioariorum Regibus victis, *Imperator* Romanorum creatus fuit. A. Ɔ CCCI. Unde ab *Orientalibus*, etiam *Abissinis*, teste *Merula* parte II. *Cosmogr.* lib. I. cap. 4. omnes occidentales *Franci* appellantur. *Frisios* esse jussit liberos. *Emmius* v. Hist. Fris. Instituit *Ducatus* Saxoniæ, Westphaliæ, Angriæ, ex quibus comites *Oldenburgici* ac multi alii originem trahunt. Regnum divisit inter filios & nepotes in *Italiam*, *Pannoniam*, *Aquitaniam*; quæ omnia *Ludovicus* Pius obtinuit & iterum inter filios in *Aquitaniam*, *Baioariam*, *Italiam* *Franciamque* ac post atrocem illam apud *Altisiodorum* pugnam, in *Italiam*, *Austrasiam*, *Burgundiam*, *Galliam*, *Germaniam* & *Aquitaniam* divisit. *Lotharius* Austrasiam imposterum *Lotharingiam* nominari jussit. Fuerunt postea Reges *Germaniæ*,

maniæ, *Provinciæ*, *Franciæ*, *Lotharingiæ*, donec *Carolus* Crassus, omnia solus, post *Carolum* Magnum, una cum Imperio, obtinuit: sed eo imperio amoto, *Germania* ad Arnulphum Imperatorem, *Gallia* ad Othonem Ducem Andegavensem, *Burgundia* ad Rudolphum, *Italia* ad Berengarium devenit. Sub *Carolo* Calvo, vel ut alii volunt *Simplice*, Comitatus *Flandriæ*, *Frisiæ*, *Hollandiæ*, *Zelandiæ*, *Gelriæ* aliique multi, originem sumsisse putantur.

Regnum *Burgundiæ* & *Italiæ* à Francia avellitur.

I. Regnum *Burgundiæ* fundavit *Rudolphus* A. Iↄ ccc LXXXVII. confirmatus in eo Ratisponæ ab Imp. Arnulpho. *Regino* II. *Annal.* Fuld. ad A. Iↄ ccc LXXXVIII. Idem A. Iↄ ccccXXII. Rex Italiæ contra *Berengarium* factus est, sed permutatione cum *Hugone* Comite Arelatensi facta, ipsi *Italiam* reliquit *Provincia* accepta, à quo tempore regnum *Burgundiæ* etiam *Arelatense* dictum fuit. Hoc regnum *Rudolphus* II. Conrado II. Imp. donavit, à quo tempore in *Burgundiam*, *Delphinatum*, *Sabaudiam* aliasque minores ditiones dilaceratum fuit.

II. Regnum *Italiæ* condidit *Berengarius* A. Iↄ ccc LXXXXVIII. contra quem *Guido* Dux Spoleti, *Rudolphus* Rex Burgundiæ, & *Hugo* Comes Arelatensis evocati. Tandem *Otho* I. Berengarium III. ejusque filium *Albertum* regno Italiæ exuit.

BUR-

BURGUNDIA.

I. Reges *Burgundiæ* qui in Gallia *Lugdunensi* regnarunt, & corruptissime à Lazio & aliis, sive nomina spectes sive tempora, recensentur, ex Francisco *Guillimanno* de rebus Helvetiorum restituimus. Qui diligentissimus Helvetiæ illustrator, multa in Burgundicis corrupta correxit & imprimis *duplicem* errorem eumque gravem sustulit. *Primus* est illorum qui *Rudolphum* I. & II. Reges confundunt ac pro uno accipiunt; cui etiam propterea, ad hiatum explendum, L. annos adscribunt. In quo errore etiam accuratissimus cætera *Panvinius* III. Roman. Principum versatur. *Secundus est* illorum, qui *Rudolphum* II. Burgundum *Franciæ* Regem fuisse post *Carolum* Simplicem autumant. In quo errore vulgus Chronologorum & Historicorum versatur. At recte *Guillimannus* diversitatem *Rudolphi* Burgundiæ & *Rudolphi* Franciæ Regis ostendit. Hic enim *Richardum* Burgundiæ Ducem patrem habuit; ille *Rudolphum* Burgundiæ Regem. Deinde Burgundus *liberos* reliquit: Franciæ Rex nullos. Ille in oppido *Senonum* sepultus: Burgundus *Paterniaci*.

II. Hoc regnum *Burgundiæ*, alio nomine *Arelatense* dicitur, quod in ea urbe regia sedes aliquandiu fuerit. Ultimus Regum Rudolphus III. illud testamento legavit vel donavit *Conrado* II. Imperatori Germaniæ.

GER-

GERMANI *Imperium* ad se transferunt.

I. Collapsa *Carolingorum* authoritate GERMANI CONRADUM *Franconiæ* Ducem *Imperatorem* crearunt; à quo Imperium ad *Saxones*, *Francones*, *Suevos*, *Bavaros* & diversas alias familias, tandem vero ad *Austriacos* perpetua successione pervenit.

II. *Henricus* I. *Auceps* condidit Marchiam *Brandenburgensem*, *Misnensem*, *Sleswicensem*. *Otto* I. *Hermannum* Bilingum creavit *Luneburgensem* Ducem. *Magdeburgum* condidit. *Otto* III. dicitur septem *Electores* instituisse. *Boleslaum* Regem Poloniæ creavit *Henricus* IV. à *Gregorio* VII. dicto *Hildebrando* imperio privatus fuit. *Henricus* V. *investituram* Episcopalem per *baculum* & *annulum* cedit Papæ. Sub *Conrado* III. factiones *Guelforum* & *Gibellinorum* emerserunt.

III. Post *Fridericum* II. interregnum XXII. annorum fuit, usque ad electionem *Rudolphi* Habspurgici, qui familiam *Austriacam* condidit, *Romandiolam* Papæ donavit.

IV. Carolus IV. auream *Bullam* Noribergæ A. CIↃCCCLVI. condidit. Ejus filius *Wenceslaus* ignavus imperio tanquam indignus ab Electoribus amotus, creato Imp. RUPERTO Comite & Electore Palatino, cui *Sigismundus* successit Joh. *Hussi* combustor,

buſtor, & infelix contra *Turcas* ac *Bohemos* bellator. Poſt quem iterum *Auſtriaca* familia ad imperium elevata, quod inde uſque ab A. 1438. ab *Alberto* II. per decem Imperatorum continuam ſucceſſionem uſque ad *Leopoldum* qui nunc regnat, tenuerunt.

Hugo Capetus tertiam familiam Regum Franciæ condit.

I. *Tertia* familia Regum Franciæ *Capetingi* vocantur, ab *Hugone* Capeto Comite Pariſiorum ex Saxoniæ Ducum proſapia, qui *Carolingis* regno pulſis, Franciam invaſit A. Iↄ ccccLxxxvII.

II. Extincta *recta* linea Capetingorum ſucceſſerunt *Valeſii* A. cIↄ cccxxvIII. ſecundum legem *Salicam*, quæ *Edoardum* III. Regem Angliæ tanquam alienum ejuſque omnes in perpetuum ſucceſſores excludebat. Nihilominus Reges *Angliæ* titulum inanem Regum *Franciæ* aſſumſerunt, & acerrimis ac diuturnis, verum improſperis, bellis regnum Franciæ fruſtra repetierunt, quanquam ob civilia Francorum bella magnam ejus partem vaſtaſſent potius quam occupaſſent. Sub *Philippo* Valeſio *Delphinatus* regno Franciæ acceſſit hac conditione: *ut primogenitus Regis Franciæ Delphinus appellaretur*, quod ab eo tempore ad noſtram ætatem obſervatur.

III. Ultimus Valeſiorum fuit *Henric.* III. quo

quo interfecto A. cIↄIↄ LXXXIX. ſtirps *Borbonia* ſucceſſit, fruſtra ſe opponentibus *Ligiſtis* & *Lotharingis*, ac ludicrum Regem nomine *Carol.* X. legitimo hæredi & longe lateque tum juſtitiæ cauſa tum victricibus armis ſuperiori, per civilem inſaniam, Religionis vano prætextu, opponentibus.

HENRICUS Magnus *Navarram* Regno Franciæ conjungit.

Henricus IV Rex *Navarræ* & caput ſtirpis ac familiæ *Borboniorum Henrico* III. ſucceſſit & deſtructum fere civilibus bellis Francorum regnum ſua virtute, tanquam alter *Hercules*, pugnando reſtituit; *Navarram* regno in perpetuum conjunxit.

NORMANNICA.

NORMANNIA complectitur Regnum *Daniæ*, *Sueciæ* & *Norwegiæ*.

I. Ingens illud in mari *Baltico* terrarum ſpatium, variis ſparſum inſulis, priſci *Ptol. Plin.* IV. 26. uno nomine *Scandiam* & *Scandinaviam*, Jornandes *Scandziam*, cujus nominis reliquiæ hodieque in Scania vel Schonia ſuperſunt, medii ævi ſcriptores *Normanniam* appellarunt. Nationes in ea plures, ex quibus præcipue *Helleviones* Iↄ. pagorum. *Plin.* IV. 13. hodie *Hallandia* & forte

forte *Helsingia*, deinde *Gutæ* sive *Guti*, hodie *Guland*. Unde *Ablavius*, *Dexippus*, *Iornandes* & alii *Gothones* ex Scandia derivarunt. *Lupiones* in tabula Itineraria, hodie *Lappi*. Et Tacito cogniti *Fenni*, ejusdem hodieque nominis.

II. Hæc regna frequenter in *unum* Imperii corpus coaluerunt & circa A. Chr. Iↄ ccc. communi *Nortmannorum* nomine innotuerunt, cum piratica sua & classibus totum Occidentem infestarent. Unde *Ericus* in Historia Danorum: *Regnerus Lochbrok subjugavit Angliam, Scotiam, Hiberniam, Norwegiam, Sueciam, Teutoniam, Russiam, Slaviam & omnia regna Occidentis, & novem filios suos singulis regnis præfecit*, Subjugavit, id est, *infestavit, deprædatus* fuit. Circa A, Iↄ cccxl. Reges *Norwegiæ* inter se discordes, maria infestare cœperunt, *Normanni* dicti & allectis è *tribus* regnis septentrionalibus quibuscumque. *Emmius* v. Hist. Fris. Literas suas à Romanis acceperunt, quas vocant *Runicas* id est Rumicas. *Salmas*. de Hellenist.

Normanni *Hiberniæ* & *Angliæ* partem occupant.

I. *Normannorum*, qui & *Ostmanni*, excursiones piraticæ circa A. Iↄ ccc. cœperunt, unde sua lingua dicti fuerunt *Vikinger*. *Vyk* enim vel *Wyk* est *Sing*, in quibus delitescebant. Olaus *Wormius* IV. *Monum*. Da-

nic. & primus quidem *Turgesius* A. IↃ ccc xxxv. sedes in Hibernia fixit. Sed post decennium *Normanni* ab Hibernis trucidati & expulsi. Successerunt A. IↃ cccxl ix. li. lii. liii. novæ expeditiones, in quibus *Dublinum* & *Fingallam* occuparunt: donec tandem *Amlavus*, *Sitarachus* & *Ivorus* cum magnis copiis advenerunt & constructis tribus urbibus, *Dublino*, *Waterfordia* & *Limerico*, fundamenta novorum regnorum posuerunt: ita tamen, ut semper penes *unum* totius gentis Danicæ per Hiberniam imperium supremum esset, cujus majestatem cæteri reges comiter colerent. Ab eo tempore *Ostmanni* (ita enim in Hibernia vocabantur) late per Hiberniam regnarunt, donec tandem ab Anglis A. cIↃ clxxi. eorum potentia destrueretur.

II. Dani *Northumbriam* occuparunt & *East-Angliam*, & quanquam *Alvredus* Rex Anglorum eos prælio superasset, nihilominus *Gormoni* eorum Duci *Northumbriæ* regnum concessit, sed eos tota *Mercia*, Edoardus *East-Anglia*, Adelstanus *Northumbria* expulit.

Nortmanni condunt Regna *Siciliæ* & *Angliæ*.

I. Post *vagas* illas Galliæ & Britanniæ deprædationes, *Nortmanni* tandem firmas in *Frisia*, *Walachria* sive *Zelandia* & *Neu-*

stria

ſtria ſedes collocarunt, & hanc *Rollo* ſive *Robertus* Carolo *Simplici* Regi Francorum extorſit ac *Normanniam* appellavit. *Emmius* v. Hiſt. Friſ.

II. Horum *Nortmannorum* geſta in univerſum tribus illis populis, *Danis*, *Suedis* & *Norwegis* adſcribimus, quia illi *piratæ* confluges & mixtura horum fuerunt, ut nulli genti *peculiariter*, omnibus autem *promiſcue* originem ſuam debeant.

Sicilia à *Normannis* ad *Suevos*, *Andegavenſes*, *Aragonios*, *Caſtilianos* pervenit.

I. *Tancredus* Normannus, vir multotum liberorum, generoſus & pauper ex Gallia in Italiam ſub finem *Ottonis* III. & initium *Henrici* II. Imp. cum manu *Normannorum* ad ſtipendia contra Saracenos facienda venit, & à *Baſilio* II. Imp. Conſtantinopolitano iniqua prædæ diviſione circumventus, in *Apulia*, captis aliquot oppidis conſedit. Ejus filius *Drago* A. cIↃ xxxix. primus *Apuliæ* Comes creatus fuit. *Wilhelmus* Ferrobrachius *Calabriam* & *Capuam*; *Robertus* Guiſcardus à *Bettimeo* Saracenorum Principe Catanenſi in Siciliam evocatus, *Meſſanam*, *Palermum* & magnam *Siciliæ* partem occupavit eamque fratri ſuo *Rogerio* Boſſo reliquit, qui primus Siciliæ *Comes* dictus fuit.

II. Extincta *Roberti* Guiscardi progenie *Rogerius* II. Comes Siciliæ *Apuliam*, *Calabriam*, *Capuam*, ditiones fraternas Siciliæ conjunxit, ac primus titulum *Siciliæ* ac *Italiæ* Regis usurpavit. Tum capto *Innocentio* II. & honorifice dimisso, *Rogerius* ab eo *Neapoli* & aliisGręcorum regionibus donatus est; ejus tamen suasu titulo *Regis* Italiæ abstinuit; contentus *Regem* Siciliæ, *Ducem* Apuliæ & Calabriæ, *Principem* Capuæ, Neapolis, Salerni, Amalfis *Dominum* se appellare. Fuit autem duplex *Sicilia*, cis & trans *Farum*, unde utriusque Siciliæ reges se appellarunt *Guilhelmi* I. Mali meminit *Benjamin* Tudelensis in Itinerario pag. 18. *Guilielmus* II. Bonus dictus quidem ab *Adriano* IV. *Siciliæ* & *Neapolis* Rex; sed & ipse & ejus successores titulo regis *Neapolis* abstinuerunt. Car. *Sigon.* libro ultimo de regno Italiæ. *Henricus* VI. Imp. *Rogerio* III. Siciliam & Neapolim ademit, relictis ei tantum *Ducatu* Tarentino & Comitatu *Lucaniæ*, quæ tamen paullo post etiam Ducatui *Sueciæ* adjecit. *Ultimus* ex familia ducum Sueviæ *Rex* Siciliæ & Neapolis fuit *Conradinus*, quem *Carolus* Andegavensis *decollari* jussit. Ita regnum *Siciliæ* & *Neapolis* ad familiam *Andegavensem* pervenit. A. cIↃ CCLXX. Rex *Tuneti* factus est vectigalis Carolo Siciliæ Regi. Amissa per *vesperas* Siculas Anno cIↃ CC LXXXII. Sicilia, *Carolus* Regem *Neapolis* se appellavit. *Sigonius*. Ex hac familia duæ flagi-

flagitiosæ *Johanna* regnarunt, post quas *Afonsus* sapiens Rex Aragoniæ Neapolim obtinuit. Hujus posteros *Galli* & *Hispani* expulerunt, *Gallos* Hispani.

Guilhelmus Conquestor *Angliam* occupat.

I. *Guilhelmus* Nothus Dux Normanniæ victo *Haraldo* II. ultimo Rege Angliæ ex Anglo-Saxonum sanguine, regnum *Angliæ* expugnavit & VIII. Kal. Jan. A. CIↃ LXVIII. *Londini* coronatus est & lineam regum *Normannorum* fundavit, quæ ad nostra usque tempora perdurat. Ab his *Normannis* antiqua regni *Anglo-Saxonum* facies multum immutata fuit. Insignia regni à *Wilhelmo* constituta *tres* Leones jubati in parma depicti. Lingua *Normannica* in jure dicendo introducta. Unde hodie illa linguæ *Saxonicæ* & *Normannicæ* confusio. Soli *Cantii* libertatem suam & antiquas leges armis *Conquestori* extorserunt. Unde proverbium: *Cantii & omnes Christiani nunquam subacti fuerunt*. Angliam suis Normannis implevit ac *Anglo-Saxones* vel *occidit* vel in *Scotiam* ac *Daniam* fugavit. Nihil ipsi gratius quam *Anglos* occidi: Anglorum *cædem* pro *victoria* ducebat: *Normannis* suis velut novi regni munimentis, indulgentissime parcebat. Turpe eo ævo erat vocari *Anglum* vel ex ea gente *uxorem* petere. Omnia debe-

bant esse *Normannica*, *victus*, *amictus*, *sermo*, *habitus* corporis. Rasa *barba*, attonsi *capilli* κυκλῆδον (*round their haire* inquit *Spide*, unde forte hoc tempore nomen *rundhead*) ne *Angli* viderentur. Struxit *Guilhelmus* Conquestor in *Sussexia* eo loco ubi Hiraldum devicit, qui Anglis *Baltlefield*, Normannis *Sangue-lac* dicitur, *Abbatiam*, in insula *Ely* castellum *Wisbech*, castellum *Dunelmense*, arcem *Londinensem*, quæ structa est *cæmento* sanguine *pecudum* macerato. Castellum ad *Tinam* per Robertum filium, unde *Novocastri* origo fluxit; *Cambriam* Malcolmo Regi Scotiæ jure fiduciario tradidit & *cruce* lapidea in confiniis Angliæ & Scotiæ apud *Stanemoram* erecta, limites distinxit, in cujus una parte imago & insignia Regis *Angliæ*, in altera *Scotiæ* conspiciebantur, unde dicta *Crux Regum*, cujus pars hodieque superest. Duo Principes *Cambriæ* homagium ipsi præstiterunt in oppido S. Davidis. Circa *Salisburiam* ad mare usque omnia depopulatus, excisis XXXVI. Ecclesiis Cathedralibus, loca sola venationi dedicavit, quæ hodie *Nova* Foresta dicuntur.

II. *Guilhelmus* testamento *Robertum* primogenitum Ducem Normanniæ, *Wilhelmum* Rufum postgenitum Regem *Angliæ* constituit, unde magnæ bellorum inter fratres occasiones. Sed *Robortus* splendidis ac vanis à Wilhelmo promissis in Palæstinam ablegatus, etiam Ducatum *Norman-*

Normanniæ fratri vendidit, ac poſtea à fratre Henrico I. oculis privatus fuit. *Wilhelmus* Carleolam ante ducentos annos à Danis dirutam inſtauravit & coloniam militarem in ea collocavit, unde civitas illa excrevit. *Henricus* I. *Flandros* inundatione ſolo patrio in Cambriam pulſos in *Walliam* tranſtulit ac iis *Roſſiam* habitandam dedit. Filium ſuum creavit *Normanniæ* ducem, unde in poſterum primogenitus Regis Angliæ Dux *Normanniæ* dicebatur. *Henricus* II. ducta *Eleonora* filia Godofredi *Plantageneti* Ducis *Andegavenſium*, *Aquitaniæ* & *Guiennæ*, illas provincias dotali jure obtinuit; atque ex hoc *matrimonio* diuturna illa *Anglorum* & *Gallorum* bella profluxerunt. Hic *Henricus II.* in Gallia *Normanniam*, *Britanniam*, *Andegavos*, *Pictones*, *Turones*, *Lemovices*, *Vaſcones*, *Guiennam* uſque ad montes *Pyrenæos* obtinuit.

Henricus II. *Hiberniæ* Dominus fit.

A. CIↃCLXX. *Henricus* II. Hiberniam expugnavit, cauſa à *Roderico* & *Dermicio* data. Prima omnium capta fuit *Wexfordia* & in ea Anglorum colonia collocata; unde ejus incolæ hodieque lingua *Anglica*, ſed cum *Hibernica* permixta, utuntur: quæ peculiariter lingua *Wexfordenſis* vocatur.

Richardus I. Cyprum *Lusignanis* donat.

Richardus I. qui *tres* leones primus pro insigni Angliæ usurpavit & illa verba *Dieu est mon droict*, contra *Saladinum* expeditione suscepta *Isacium* Imperatorem Græcum qui Cyprum tenebat (eum Angli scriptores, nescio qua metamorphosi vocant *Cursac* Imperatorem *Griffonum*) vicit & capta *Limeszun*, eversa *Anathunte*, totam insulam subegit A. cIↄ c xcI. eamque *Guidoni* Lusignano Regi Hierosolymæ exuli dedit, ea conditione, ut ipse regni *Hierosolymitani* & *Syriæ* jura cederet *Henrico* Campaniæ Comiti. Ita *Lusignani* regno Cypri potiti. *Thuan.* XLVII. Quidam Regum Cypri titulo *Christianissimorum* appellati, quod insulam tam fortiter contra Saracenos & Turcas defenderent *Ludolph.* in descript. terræ Sanctæ, & ex eo *Ghistol.* v. Itiner. 5. & VI. 18. *Almericus* ab *Henrico* Cæs. Regis Cypri titulo ornatus est. *Nicosia* ex ruinis *Amathuntis* instaurata. *Iacobus* I. à Genuensibus captus, iis *Famagustam* cum territorio concessit & tributarius factus est. Idem *Leonetto* Rege Armeniæ mortuo, Rex *Armeniæ* & *Hierosolymorum* declaratus est. *Ludovicus* sive *Aloisius* Sabaudiæ ducis filius ducta *Carlotta* Rex Cypri factus est. Unde *Sabaudiæ* duces hodieque jus suum in regnum Cypri derivant.

vant. Eo ejecto *Jacobus II.* Nothus *Caitheio* Ægypto Sultano tributarius factus est, annuo ſeptem millium Ducatorum tributo, de quo *Ghiſtell.* P11. Itin. 13. Poſt obitum Jacobi II. *Cornelia* Regina à Senatu *Veneto* adoptata, omnem regni adminiſtrationem & tutelam Regis pueri *Jacobi III.* iis commiſit, quo defuncto, totum regnum iis donavit. Ita *Cyprus* in poteſtatem Venetorum devenit.

Angliæ Reges *Galliam* amittunt, *Walliam* acquirunt.

I. Cum *Johannes* Rex Angliæ *Arturum* Britanniæ & Andium Ducem nefarie interfeciſſet; *Philippus* Auguſtus Rex Galliæ eum *Normanniæ*, *Andium* & *Britanniæ* Ducatu ac majori *Aquitaniæ* parte exuit A. cIↄ cciv. Sed Reges Angliæ jus ſuum in illas provincias *armis* repetierunt & *Edoardus III.* totum regnum Galliæ *materna* hæreditate ſibi popoſcit ac A. cIↄ ccc xxxvi ii. *inſignia* & *titulos* regni *Galliæ* aſſumſit. Sub eodem Edoardo III. A. cIↄ ccc xxxvi. in Parlamento Londini lex lata: *ne cui aurum argentumve abſque privilegio in continentem efferre liceret.* & A. cIↄ ccc l. Equites *Garteriani* inſtituti. A. cIↄ ccc lii. coloniam Anglorum *Caletum* duxit. *Henricus* V. ope *Philippi* Boni Ducis Burgundionum *Lutetiam* Pariſiorum & pleramque Galliam expugnavit ac du-

cta *Catharina* Carol. VI. filia *Rectorem* Franciæ se appellavit A. cIↄ cccc xix. Ejus filius *Henricus* VI. A. cIↄ cccc xxxii. Lutetiæ *Angliæ* & *Franciæ* Rex coronatus est. Sed sub eo omnia, quæ in Galliis tenebant, amissa A. cIↄ cccc li. *Normannia*, A. lii. *Aquitania*. Nihil retinuerunt præter *Caletum*, quæ & ipsa A. cIↄ Iↄ lviii. amissa. Ita toto continente pulsi Angli iterum cecinerunt antiquum illud: *Et penitus toto divisos orbe Britannos*, intra quos etiam naturæ limites se contineant, interest pacis publicæ.

II. Invicem amissæ Galliæ successit *Wallia*, quam priscis extinctis regibus tandem occuparunt, ac primogenitos regum suorum pro Ducibus *Normanniæ*, Principes *Walliæ* appellarunt.

Henricus VII. Rosam *Albam* & *Rubram* conjungit.

Post obitum *Henrici* III. *Edoardus* I. Princeps *Walliæ* fratri suo majori natu *Edmundo* Lancastriæ Duci prælatus fuit; unde illæ postea cruentæ inter *Lancastrenses* & *Eboracenses* sive rosam *rubram* & *albam* factiones exortæ fuerunt. Itaque A. cIↄ cccc liv. *Richardus* dux Eboracensis Albæ *Rosæ* princeps ab Henrico VI. Lancastrensi regnum repetiit, idque filius ejus *Edoardus* IV. obtinuit. Cum vero frater ejus *Richardus* III. occisis *Edoardo* V. &

Richar-

Richardo Eboracenſi Tyrannidem invaſiſſet, *Henricus* Comes Richmondiæ caput *Lancaſtrenſis* factionis regnum invaſit & ducta *Eliſabetha* Edoardi IV. filia, utramque familiam, *Eboracenſem* & *Lancaſtrenſem* conjunxit. Idem *primus* Regum *Satellites* ad corporis cuſtodiam adhibuit. *Henricus* VIII. titulum *Defenſoris* fidei à Leone X. accepit A. cIↄIↄxxi. Idem A. xxxiv. in Parlamento Weſtmonaſterii *Supremum* Eccleſiæ Anglicanæ caput, & *Hiberniæ* Rex dictus fuit.

Monarchiam *Norwegiæ* fundavit *Haraldus* Pulchricomus.

I. Poſt Suiones *Sitonum* gentes *Tacitus* ponit, *fæminarum* Imperio ſubjectas. Regionem Plinius *Nerigon* vocat, quod eſt incolarum *Norske*, Norrige, Norge, Æthico *Noricum*, non abſurda voce. Eginhardus, Helmoldus & medii ævi ſcriptores *Nortmannos* vocant. Urbs *Bergæ*, antiquiſſima, quæ hoc anno nomen ſuum recipiendis contra piratarum Anglorum vim navibus Belgarum glorioſe comprobavit. *Mela* III. 6. *Plin.* IV. 26. Sedes Regum *Throntheim* ita dicta à *Thrunt*, conditore *Nidroſia* à præterfluente *Nidda* fluvio. Olaus *Worm*, Monum. Dan. p. 510.

II. Initio *complures* per Norwegiam *Reges*, donec cæteris pulſis aut domitis, *Haraldus* Harfagerus, id eſt, *Pulchricomus* Monarchiam A. Iↄccclxxviii. obti-

nuit, à quo series Regum usque ad *Olavum* ultimum *Margarethæ* filium descendit, de quibus nobilissimum *Snorronis* Sturlesonii chronicon Islandica lingua scriptum videri potest. Nam exteri confuse & imperite pleraque tradunt, ut ex Alberto *Crantzio* aliisque patet.

Islandi & *Gronlandi* Norwagorum coloniæ sunt.

I. Sitne *Islandia* priscorum *Thule*, lis inter Geographos est. Joh. *Major* 1. de gestis Scotorum cap. 6. dicit *Thule est Yla Hebridum*. Incultam fuisse *Islandiam* ante Norwagorum in eam adventum *Arngrimus* Jonas Islandus probat. Causa hujus transmigrationis fuit *Haraldi* Pulchricomi sive *Harfageri* Tyrannis, quam plurimi fugientes in *Islandiam* navigarunt eamque paulatim multitudine sua impleverunt circa A. Iↄ cccc. ac *Aristocratice* gubernarunt per *Reppagogos* sive *Nomophylacas*. Tandem *Islandi* in potestatem *Norwagiæ* Regum concesserunt.

II. Ex *Islandia* quidam *Ericus* Ruffus coloniam duxit in ultimam terrarum *Gronlandiam*, cujus notitia penitus periit circa A. cIↄ ccccxvi. Causam referunt in atrocem illam *pestilentiam*, quæ A. cIↄ ccc xlviii. *Septentrionem* exhausit, & glaciem ex *Trolleboltis* littora Gronlandiæ obstruentem, ut hodie, nisi paucissimis locis, inaccessa sit. If. *Pontanus* 1. discuss. Historic, 23. & in Historia Daniæ.

Norwe-

Norwegia regno Daniæ conjungitur.

Olaus ducta Margaretha Danica, regnum Norwegiæ cum Dania conjunxit.

SUIONES.

I. *Tacitus* in Germania: *Suionum hinc civitates in ipso Oceano, præter viros armaque classibus valent.* Est *apud illos & opibus honos eoque unus imperitat nullis exceptionibus, non precario jure parendi.* Adamus Bremensis: R*eges habent ex genere antiquos, quorum tamen vis pendet in populi sententia.* Helmodus & Adamus *Sueones* vocant. Jornandes *Suethans* & *Suethidos*.

II. *Duæ* jam olim præcipue *Suionum* gentes regnaque fuerunt *Gothi* & *Suedi.* sub regno *Gothia* continebatur etiam *Schoningia*, quam *Ingo* III. Sueciæ adjecit. Sub *Ragwaldo* Knaphofd *Gothi* deficientes à Suecis, Regem *Magnum* I. elegerunt: mox sub *Suerchero* Gothia Sueciæ iterum conjuncta & denuo avulsa. Cum vero distractio regni in duas partes displiceret, constitutum, ut ex *duabus* familiis *Caroli* VII. & *Erici* Sancti alternatim Reges eligerentur. Cumque *Folchungi* crebro turbas darent, ea factio sub *Magno* Ladalao penitus deleta est.

Sueci

Sueci *Finlandiam* expugnant.

I. *Fennos* primus Tacitus nominavit: regio *Finningia*. Plin. IV. 13. Maxima gens & *Hunnis* olim contermina. *Cluv.* III. 45. Videntur initio ex *Armeniæ* montibus descendisse, quia ibi *soleas* ligneas caligatas pedibus supponunt teste *Strab.* XI. quod hodie *Finnis* & *Lapponibus* peculiare. Ab iisdem *Scretofenni* Jornandi, *Scrithophinni* Procopio & Adamo Bremensi, *Scredevindones* ævo Ludovici Pii.

II. *Finlandia* peculiares hactenus Reges *Russis* obnoxios habuerat. *Ericus* X. ejus partem, *Ericus* Balbus *Tavastiam* expugnavit. Sub *Waldemaro* I. Stockholmia exstructa. *Magnus* Ladalaus arcem *Noteborg* contra Russos exstruxit & ab eo dictus lacus *Ladoga*. Petrejus in chron. Moscov. *Birgerus* II. *Careliam* domuit, *Wiburgum* condidit.

DANIA.

I. *Daniæ* certior historia demum à *Gotrico* sive *Godfrido* coætaneo *Caroli* Magni incipit apud Saxonem Grammaticum. *Ubbo* Emmius v. *Chronol.* & v. *Hist. Fris.* Hic *Gothricus* Saxones ad Albim & Frisiam subegit: sed mox *Carolus* Magnus illis imperio suo vindicatis, *Eydoram* Daniæ terminum esse jussit.

II. Hoc

II. Hoc regnum frequenter divisum fuit in *Sialandiam*, *Scaniam* & *Iutiam*. Sub Regnero Lochbrok piratæ, qui Normanni dicti, maria infestare ceperunt, ut jam ante commemoravimus.

Dani *Angliam*, *Livoniam*, *Esthoniam*, *Curetes*, *Prussiam*, *Norwegiam*, *Sueciam*, *Vandaliam*, obtinent.

I. Sub *Lodne* Kanuto *tertius* quisque servorum compluresque alii *Dania* egressi, *Prussiam*, *Semigalliam*, *Careliam* aliasque terras subegerunt & delectati ubertate earum domum redire noluerunt. *Ericus* Hist. Dan. *Frotho* VI. & *Gormi* Reges *Angliam* vicerant, id est *Angliæ* partem. *Thyra* uxor Gormonis II. *vallum* supra *Sleswicum* & *Gottorpam* inter utrumque mare exstruxit, quod *Danewirki* dicitur. *Haraldus* Blatan *Angliam* subjugavit, id est, ut Chronica Anglorum explicant, *Ethelredum* ad pacem sub *tributo* petendam adegit. Sub *Erico* VII. *Suecia* Daniæ conjuncta; mox iterum divulsæ. *Sueno*-Twiskeg *Norwegiam* & *Angliam* domuit. Mox Angli *Ethelredo* ex Normannia revocato, Danos ejecerunt. Horum Rex *Canutus* Magnus, cæso *Edmundo* Irenside, & liberis ejus in Pannoniam relegatis, integram *Angliam* regno Daniæ conjunxit A. CIↃ XVII. *Esthoniam* quoque subegit & A. CIↃ XXVII. *Norwegiam* post martyrium

S. *Olai*

S. Olai obtinuit. Hic instituit tres Episcopatus Jutiæ, *Slesvicensem*, *Ripensem* & *Archusiensem*.

II. Post obitum *Canuti* Magni, regna *Angliæ*, *Daniæ* & *Norwegiæ* inter tres ejus filios divisa. Sed *Haraldo* in Anglia mortuo, frater ejus *Hardikanutus* Angliam Daniæ conjunxit, quo mortuo *Angli* Danos in *convivio* dicto *Hogstide* trucidarunt, ac *Suenone* ejecto, *Edoardum* Confessorem Regem crearunt, sub cujus successore *Haraldo Guilhelmus* Conquestor Normanniæ dux regno potitus.

III. *Sueno* tertius Canuti Magni filius *Norwegiam* obtinuit, quo defuncto Norwegi pertæsi Danicæ dominationis, *Magnum* S. Olai filium ex sua gente Regem crearunt, qui *Daniam* quoque Canuto III. mortuo ex pacto obtinuit *Saxo* X.

IV. Post mortem *Magni* Sueno Daniam recipit, cujus successores subinde discordes regnum in *Iutiam*, *Scaniam*, *Sialandiam* diviserunt, donec *Waldemarus* I. solus eo potiretur, qui etiam *Slaviæ* obtinuit partem cum *Nordalbingia* & *Rugia*. *Thitmerskiam* Canutus VI. A. CIↃCC. subegit. *Waldemarus* II. primus usus fuit titulo Regis *Vandalorum* & Domini *Nordalbingiæ*; *Estoniam* domuit, *Revaliam* condidit. *Haraldus* Norwegiam retinuit, cujus successor *Magnus* II. Orcadibus peculiarem Regem præfecit. Post *Ingonem* Gibbosum *Waldemarus* II. Rex Daniæ victis Norwe-

Norwegis *Erlingum* iis Regem tributarium præfecit A. cIↄ cc IV. Post *Aquinum* II. Norwegia sub *Magno* IV. ad Sueciam pervenit, qui etiam *Schoningiam* expugnavit, sed ea mox iterum Danis prodita & *Haquinus* ejecto Magno Norwegiam obtinuit; idem Orcadas Henrico Comiti *Sanclaro* contulit. Ejus filius *Olaus* Margaretha Regina Daniæ ducta Norwegiam cum Danis conjunxit.

Dania, *Suecia*, *Norwegia* conjunguntur.

I. Celeberrima *Unio* trium regnorum Septentrionalium accidit sub *Margaretha*, quæ conjugio *Olavi* Norwegiam & capto *Alberto* Megapolitano *Sueciam* cum *Dania* conjunxit, fœdere *Calmarniensi* A. cIↄ ccc XCIV. quo cautum, ut *Dania* & *Suecia* alternis vicibus *primum* in creando Rege *suffragium* haberent.

II. Sed *Sueci* conquesti à Danis in electione Regis *Christophori* pacta violata *Carolum* Canuti Regem crearunt; *Dani* & *Norwegi* Christianum I. Comitem *Oldenburgicum*, qui A. cIↄ cccc LVII. fugato *Gedanum* Carolo, Sueciam recuperavit & biennio post *Slefwicum* quoque & *Holsatiam* Ducatus titulo obtinuit, de quo *Hamelman* in Chron. Oldenburg.

III. *Sueci* A. cIↄ cccc LXIX. *Carolum* Canuti ab exilio revocarunt, cui successit

Steno

Steno Sture, non Regis sed *gubernatoris* titulo. A. cIɔ cccc xcv.

IV. *Joannes* Sueciam recuperavit, mox iterum deficientibus Suecis, amisit, donec A. cIɔ Iɔ xxi i i. *Christiernus* II. Suecia denuo potiretur. Sed cum crudeliter in *Suecos* pariter ac *Danos* sæviisset, *Sueci* Gustavum, *Dani* & *Norwegi* Fridericum Holsatiæ ducem Reges crearunt, à quo tempore Septentrio *duos* iterum *Reges* habere cœpit.

Hunnica est *Ugrica*, *Turcica*, *Tartarica*.

HUNNICA.

HUNNI *Orientales* à *Turcis* pelluntur.

I. *Hunnos* duplices facit *Procopius* I. Pers. *Albos*, & *Nigros* sive *Orientales* & *Occidentales*. Albi sive *Orientales* contermini Persis supra *Oxum* & *Iaxartem*, alio nomine *Epthalitæ*, Persis *Abtelatæ*. *Abtelah* autem significat lingua Persica *aquam auream*. & fuit nomen Regis Hunnorum, à quo universa gens *Ephtalitæ* dicti, unde aliqui per imperitiam & Hordam Tartarorum *Nephtali* fecerunt. Ille *Abtelah* alio nomine *Gofs* Nawaz vocatur. *Mirkondo* Texeiræ & *Achsanvar* Eutychio Patriarchæ Alexandrino. Hi fuerunt culti legibus

bus ac regibus ſubjecti. Photius Codice LXIII. ex Procopio Texeira in Pheruz Rege XXIX.

II. Hi *Ephtaliæ*, cum *Pheruzum* Regem Perſarum viciſſent, paulo poſt, imperante *Juſtiniano Nephtalitas* à *Chagano* Turcarum, quem Menander Protector *Dyſabulum* vocat, ſuperati & ſedibus ſuis expulſi ſunt. Sic impoſterum *Turcæ* regionem Hunnorum Orientalium tenuerunt eamque *Turkeſtanam* appellarunt. *Theophanes* Byzantius apud Photium Cod. LXIV. & *Theophilus* Simocatta Cod. LXV. Unde quia *Hunnorum* ſedes occuparunt, *Turcæ*, Simocattus apud Euſtathium in περιηγ. tradit *Hunnos* à Perſis *Turcas* appellari. Et Cedrenus: Τύρκων ἔθνος γένος μὲν ἐςὶν Οὐννικὸν, idem *Cralyen* Turciæ vocat Regem *Hungariæ*; & *Zonoras* dicit: *Turcos*, qui & *Vgri*, Iſtrum accolere. Eadem frequenter apud *Nicephorum* Callixti, *Joh.* Curopalaten & *Nicetam*, occurrunt. Cæterum hi Reges Hunnorum ſive Turcarum à Mirkondo appellantur generali nomine *Hhakon* Chini, quorum meminit in *Baharon* Gur, *Belax*, *Keſere* Anuxirvan, Hormozi, *Kozrao* Parvez. Duorum tamen nomina alia refert, *Chinguis* Khani in *Keſere* Anuxirvan & *Chabacha* in Hormoz.

Hunni

Hunni *Occidentales* Rege *Attila*. Pannoniam occupant.

I. Alio nomine *Nigri* Hunni & *Nomades*. Habitarunt initio ad paludem *Maotin* ſupra portas *Caſpias*, ubi hodie *Deſtenſes* & *Precopenſes* Tartari. Eorum pars *Saberes* dicti Procopio II. Perſ. hodie *Siberi*. Admodum late nomen Hunnorum ſe extendebat, ita ut omnes *Scythas* ſupra *Tanaim* & mare *Caſpium* uſque ad Oceanum glacialem complecterentur & *Fennis* vicini eſſent, Marcellino teſte. Ita Turcæ, & Maſſagetæ ſua lingua *Kermichiones* dicti, (hodie *Czeremiſſi* appellantur) *Hunni* fuerunt, quorum deſcriptionem luculentam vide apud *Ammian.* XXXI. *Aventinus* I. Annal. dicit *Hunnos* à Boiis *Abares* cognominatos, & *Auſtriam* olim *Arabiam* ac *Hunniam* dictam.

II. Primus *Hunnorum* Rex, ſub quo in Europam migrarunt, A. CCCLXX. *Balamber* vocatur, qui *Tanai* tranſmiſſo *Gothos* & *Alanos* in *Taurica* habitantes invaſit. Ei ſucceſſit *Mundzuch*, qui & *Bendeguz* & Priſco Rhetori *Rova*, appellatur, cujus filius *Attila* & *Bleda*. Chronicon Siculum: Ἀττίλας ὁ ἐκ γένους τῶν Γηπαίδων Οὔννων, & ibidem frater ejus Βλίδας appellatur. Præcipua apud Attilam authoritate fuit *Edeco* Priſcus. Quod nomen in Tartaria deſerta receptum, ut ex Hiſtoria Tamerlanis Arabſhæ patet. filii *Attila* ob diſcordiam hoc

Impe-

Imperium Hunnicum in Europa everterunt. *Chaba* cum superstitibus Hunnis in Scythiam rediit. Residui *Skekelios* se appellarunt, quos hodie *Siculos* appellamus.

III. Regnum *Boiorum* exortum fuit post mortem Hunnorum Regis *Attilæ* A. CCCC LV. Primus Rex *Adalgerio* vocatur, cujus tempore *Suevi* sub Rege *Alarico* (quem alii *Hibuldum* vocant) ex Germania Magna in *Noricum ad Danubium* migrarunt. Uterque Regum in prælio contra *Clodoveum* Regem Francorum A. CCCC XCIII. cecidit. Inter alias pacis conditiones hæc fuit; ut *Boii* principem *Ducis* non *Regis* nomine sibi legerent. Ita *Duces* longo ordine. Primus post *Adalgerionem* Regis titulum recepit *Utilo* circa A. IↃCCXXX. sed mox à *Carolo* Martello domitus ei renunciavit. Cumque *Tassilo* rebellis factus iterum *Regem* se ferret, à Carolo Magno in monasterium *Laurishamense* detrusus fuit. Ita regnum *Bajoariæ* desiit A. IↃCCLXXXVIII. & varios Duces *indulgentia* Imperatorum habuit, donec tandem *Henrico* Leone *Saxonum* & *Bajoariorum* Duce ejecto, *Fridericus* I. Barbarossa Bajoariam *Ottoni* Witelspachio concessit, cujus posteritas hodieque Palatinatum & *Bajoariam* obtinet, totius nunc familiæ capite *Carolo* Ludovico Comite Palatino, Duce *Bavariæ* & *Electore*.

Gepidæ,

Gepidæ, Gothi, Alani, Bajoarii Hunnos pellunt.

Caufa fuit diffidium inter *Aladarium* & *Chabum* filios Attilæ. Itaque cæfo Aladario Chaba in Scythiam fugato *Gepidæ, Gothi, Alani, Bajoarii* Hunnica hactenus fervitute preffi in libertatem fe vindicarunt. *Ardaricus* Rex Gepidarum Daciam, *Gothi* Pannonias, *Alani* Myfiam, *Bajoarii* Noricum occuparunt.

Avares five *Chazari Tauricam* occupant & *Pannoniam*.

I. *Chazari* iidem cum Avaribus effe videntur, Hunnorum five Turcarum gens. *Var* & *Chuni* Turcicæ gentes jam Juftiniani II. ævo fedes in Europa pofuerunt dicti *Avares*. Photius *Codice* LXV. Eorum Reges communi titulo *Cagani* vel *Chacani* dicebantur, quales fub *Tiberio* II. *Mauritio*, *Iuftiniano* II. & aliis commemorantur. Habitarunt fupra portas *Cafpias*, ut ex Abul *Pharajo* patet. Alio nomine *Gorjam*, id eft *Georgiani*. Ita enim Abul Pharaj. *Gorjani qui iidem Cozari. Vicini iis Kaphjakii.* Quia vero Abul *Pharagius* exertim tradit, Chozaros *Babolabwabo*, id eft, porta portarum five clauftris maris Cafpii egreffos; hinc confequitur habitaffe eos fupra montes Armeniæ, & *alios* à *Georgianis*

nis esse, qui intra portas Caspias degunt. Nisi tamen dicere velimus *Georgianos* Chozarorum vel *Chozaros* Georgianorum propaginem esse. Saltem id constat vicinos fuisse populos *Gorgianos*, *Chozaros* & *Kafshakos*, ita tradente Abul Pharagio.

II. Hi *Chazari* sive *Avares* sub Chagano *Bajano* Pannonias migrante cum Longobardis in Italiam Alboino occuparunt ac regnum *Gepidarum* extinxerunt, contra quos *Carolus* Magnus bellum gessit & A. Iↄ ccc v. antiquam *Caganorum* dignitatem, id est regnum pleno jure restituit. *Annales* Caroli M à *Reubero* edeti. Atque ab his *Austria* olim *Abaria* dicta fuit. *Aventinus* IV. Et horum *Avarum* in Pannoniam adventum malè cum ultimo *Hungarorum* facto demum A. Iↄ cccxcI. confundit *Bonfinius* & alii.

III. Paulo post hoc regnum *Avarum* sive *Chaganorum* in Pannonia extinctum fuit, partim ab Imperatoribus *Germaniæ*, partim ab *Hungaris* ex Scythia erumpentibus, partim à *Bulgaris*. Sciendum est hos *Avares* à scriptoribus medii ævi plerumque cum *Hungaris* & *Hunnis* confundi, quia nimirum easdem sedes tenuerunt.

Comani à *Tartaris* destruuntur.

I. Post Chazaros Tauricam & Scythiam ad Tanaim tenuerunt *Comani* sive *Chuni*, quos Dlugossus & alii Polonorum Histo-

Historici *Polowcyos* vocant, qui non alii fuerunt quam Scythæ. *Tauricani ἀμαξόβιοι*, quod ipsum nomen inquit. Nam *Polowcy* dicuntur quasi venatores locorum, ob vagam in plaustris vitam & ita Tartaros *Astracanenses* etiamnum vocant *Russi* teste *Oleario*.

II. Prima horum *Polowczyorum* mentio fit ad A. clɔ LVIII. quo primum invadere Russiam cœperunt, ut *Dlugossus* refert. limites eorum à fluvio *Ethel* sive *Volga* ad Chorasmios extensi teste *Haithone* cap. V. Unde patet eos totam *Tartariam* desertam tenuisse.

III. Hoc regnum *Comanorum* destructum fuit à Tartaris *Zavolhensibus* idque jam factum circa A. clɔ CC XII. quo in Taurica eos, pulsis *Comanis* sive *Poluccis*, consedisse *Cromerus* testatur. sed diu reluctati *Comani*, ita ut demum A. clɔ CC XLII. Kuthen Rex Comanorum in Hungariam profugerit, quo occiso circa A. clɔ CC LX. *Assra* & A. LXXXII. *Oldamur* Duces Comanorum in Hungaria fuerunt hodieque patentes campi Cumani, ubi habitarunt, nominantur.

HUNGARI.

I. In *Hungarorum* origine tradenda confusi admodum sunt scriptores, dum hos tres populos *Hunnos*, *Avares* & *Hungaros* unam gentem faciunt, qui tamen sedibus, lingua

lingua ac temporibus immane quantum distant.

II. Diversos esse ab *Hunnis* Attilæ, *Avaribus* Chacani, *Hungaros*, Aventinus IV. Annal. ostendit. Neque consequitur, quia *Siculi* hodie Hungarica lingua corrupta utuntur, *Hunnos* & *Hungaros* eandem gentem esse, cum victi in victorum linguam & mores frequentissime degenerent. Fuit tamen jam *Eginhardo* scriptori vitæ Caroli Magni *Vngrorum*, *Vgrorum* & *Magorum* nomen notum. Ammianus *Vngorios*, Agathias *Onogoros* nominat.

III. Igitur imperante *Arnulpho* Anno Iↄ ccc xci. *Vgri* ex Russia sub Rege *Cusala* eruperunt ac Avaribus Hunnisque excisis; pulso in Moraviam *Suatoplugo*, qui late per Daciam & Pannoniam regnabat, eorum sedes occuparunt. Quæ autem priscæ horum *Ugrorum* in Russia sedes fuerint, *Sigismundus* Herberstein, *Ganguinus* & *Mechovius* prolixe ostendunt. Est enim in extremo Septentrione, ad mare glaciale, *Permia*, ei vicina *Iuhria* vel *Iuguria*, cujus incolæ hodieque eadem cum Hungaris lingua utuntur. Eorum regionem *Rubruquis* & *Planocarpus* vocant *Paschatir*, & dicunt, *lingua habitantium in Paschatir & Hungarorum est eadem: & Paschatir est ea terra ex qua Hunni postea Hungari dicti egressi sunt*. Hinc apparet gravis *Bonfinii* aliorumque error, qui fingunt secundum Hunnorum adventum in Pannoniam con-

tigisse circa A. CCXLIV. quo tempore late per Pannoniam regnaverit *Suathes* Slavorum Rex. At vero nulli tum temporis in Pannonia *Slavi*, sed *Avares* sub suis Chacanis jam ab A. Ch. IↃC. & quicquid de *Suathe* ac septem Hunnorum Ducibus traditur, id omne ad *Suatoplugum* & adventum *Vgrorum* sub Rege *Cussale* ac A. IↃCCCXCI. referendum est. Unde error fere sesquiseculi à Bonfinio ejusque sequacibus commissus fuit.

IV. *Cussali* successerunt A. IↃCCCCI. *Dursacus* & *Bugothus*, his *Toxus*, ut ex *Aventino* V. patet. Petrus *Luccari* IV. Annal. Ragus. *Toson* vocat. Toxo *Bultzko* Ratisponæ suspensus A. IↃCCCCLV. post quem *Geiza* Rex creatus, qui primus fidem Christianam suscepit, cujus filius fuit S. *Stephanus*, quem primum Regem Hungarorum, nimirum Christianum, & à Papa Regem A. CIↃ nominatum, scriptores faciunt. Sextus ab eo Rex S. *Vladislaus* I. *Dalmatiam* & *Croatiam* ex legato sororis, quæ nupserat *Selimiro* ultimo Dalmatiæ Regi, Hungariæ conjunxit. Sub *Bela* IV. Tartari A. CIↃCCXLII, totam Hungariam in solitudinem & vastitatem redegerunt. Idem *Cumanos* sive *Chunos* cum rege suo *Kuthene* metu Tartarorum ex Taurica profugos, in regnum recepit. In *Andrea III.* A. CIↃCCCI. stirps Regum Hungariæ à S. Stephano desiit & Hungaria in potestatem exterorum Regum pervenit, qualas

quales fuerunt *Bohemi, Neapolitani, Poloni*, iterum *Bohemi*, & qui hodieque regnant *Austriaci*.

Matthias *Hunniades* regnum *Hungariæ* florentissimum reddit.

Postquam Hungaria diu inter exterorum imperia jactata fuisset, tandem *Matthias* Corvinus *Hunniades* A. cIↄ cccc LVIII. Rex electus, Hungariam victricibus armis florentissimam reddidit. Eo mortuo Hungaria A. cIↄ cccc xc. ad *Vladislaum* Regem Bohemiæ pervenit, cui successit filius *Ludovicus*, quo in prælio *Mohazensi* occiso, A. cIↄ Iↄ xxvi. *Johannes* Zepusius Transilvaniæ Palatinus & Ferdinandus Austriacus Bohemiæ Rex de regno certarunt: qua occasione *Solimannus* Turcarum Imp. majorem Hungariæ partem una cum regia urbe *Buda* occupavit. Tandem quod reliquum erat Hungariæ, extra Transilvaniam domui Austriacæ cessit.

TURCÆ.

TURCÆ *Hunnos* trans Oxiana pellunt.

I. *Turcarum* nomen in Asia perantiquum fuit. *Herodotus* IV. *Tyrcas* vocat. *Plin.* VI. 7. *Mela* I. 21. *Turcas*, & sedes iis dant inter Mæotin paludem ac mare

 Caspium,

Caſpium, quod de parte eorum intelligendum. Nam ipſa gens late per *Scythiam* vaga & diffuſa à *Sinarum* terminis ad *Tanaim* omnia magnitudine nominis ſui implevit. Tradunt *Turcas* olim eandem cum *Tartaris* nationem fuiſſe, eoſdemque habuiſſe Principes uſque ad *Oguz*-Chanem, à quo Oſmanidæ originem ſuam derivant. Is filios reliquit *Kajud*-Chanem & *Gekelp*-Chanem, inter quos cum convenire non poſſet, factum ut ille *Tartarorum*, hic *Turcarum* Regem ſe appellaret.

II. De antiquiſſimis Turcarum rebus nihil nobis conſtat niſi quod *Mirkond* volumine IV. commemorat, quam narrationem hactenus Europæis incognitam, prout eam nobis ex lingua Perſica à ſe tranſlatam *Iac.* Golius humaniter communicavit, compendio hic inſerere viſum.

TURC filius maximus *Japhet*, quem Turcæ *Iapheti* filium vocant. Sedes ejus prima in regione *Selingai*. Fratres *Turc* Japhet Oglani fuerunt:

1. *Chazar* qui ad ripam *Rha* ſive *Atel* conſedit, ibique urbem cognominem ſtruxit. Unde *Chazari* & mare *Choſar* ſive *Caſpium*.

2. *Rous* (Ruſs, Ῥῶς) conditor Ruſſorum.

3. *Gaz* ad limites Bulgarorum conſedit. Idem cum *As*, id eſt conditor Alanorum; ita enim dicuntur hodieque Alani. *Joſ.* Barb. & in Suecia, Norwegia, Iſlandia As tan-

tanquam magnus Deus olim colebatur. *Gazitæ* sunt pessimi omnium Turcarum.

4. *Tzijn* quam maxime intelligens & ingeniosus, picturam, textoriam, serici conficiendi artem invenit. Hic videtur conditor Sinensium, unde *Tzijna* dicta.

5. *Saclab* supra clima septimum (in Siberia) habitavit, unde *Saclabitæ*. Hi propter frigoris vehementiam casas sibi sub terra struxere.

6. *Kemari* ad fines Bulgariæ supra *Chazaros* consedit. Ejus filii *Bulgar* & *Purtas*, à quibus *Bulgari* & *Purtazitæ* (forte aliis *Perositæ* apud Vincentium in speculo.) Vestitus illis ex pellibus Sabellinis aliisque.

Primus Rex *Turkestanæ* sive Scythiæ *Chanus* fuit *Turk* sive *Japhet* Oglan, cujus tempore vixit *Keiomarts* primus Rex Persiæ.

Reges sive *Chani* Turcarum.

1. *Turk* Japhet Oglan, qui prima fundamenta regiminis Scythici posuit & leges condidit: vixit annos 240.

2. *Almanzi* Chan, filius Turk. obiit senex.

3. *Dib-Bakouj* Chan filius. *Dib* significat honorem & dignitatem, *Bakouj* magnum. Unde mare Caspium mare *Bakouje*, id est, magnum, forte dictum.

4. *Kujuc* Chan filius senex obiit.

5. *Alenzia* Chan, qui *primus* dictus *Chacan* id est *Imperator*. Ei nati gemelli *Tatar* & *Mogol*. Inter hos duos *Alenzia*

 Chan

Chan imperium suum divisit ac *unam* partem *Orient.* & *Borealem Tartaro*; alteram *Australem* & *Occidentalem Mogolo* attribuit.

Series Regum *Tartariæ.*

Eorum septem sibi invicem successêre.

1. *Tatâr* Ghan.

2. *Ioukâ* Chan fil.

3. *Alhenzia* Chan fil.

4. *Eiseij* Chan.

5. *Ates* Chan.

6. *Ardou* Chan.

7. *Serich* ultimus hujus stirpis, sub quo intestinis dissidiis regnum confractum periit.

Series Regum *Mogolorum.*

Eorum *novem* regnarunt.

1. *Mogol* Chan. Ultimus *Iîlchan* fuit. *Mogol* Chan quatuor filios reliquit, à quibus *Tetrarchatus* Turcarum cœpit, *Karà* Chan, *Ari* Chan, *Cur* Chan & *Ouz* Chan.

2. *Kara* Chan, qui in *Kara*kàrom, inter duos montes *Erabak* & *Carcak* æstiva & hyberna habebat.

3. *Ogouz* Chan, sub quo mentio Regni *Sinarum*, quod *Ogour* Chan occupavit & administravit. Omnes etiam Tatarorum & Mogolorum gentes imperio subjecit. (*forte legendum* Oguz,*quanquam* &*Ugurli sit Turcicum.*) Subegit etiam totum *Bocharæ* tractum & *Turkestanam*. Idem Turcarum populos in *nationes* divisit nominibus impositis, nempe *IGour*, *Kaukeli*, *Kipfschâk*, *Kârlic*, *Chalazi* aliaque. *Igûr* significat

ficat adjutores vel confederatos, quod illi *Oguk* Chano auxilia in bello tulissent. *Kaukali* significat plaustrarios, quod primi plaustra invenissent. *Kâukal* enim Mogolis *currum* significat. Hi sunt *Hamaxobii* Scythæ. *Kapschak* arborem intus cavam significat, in qua natus *Kabschaki* filius Ogur, Chani adoptivus. *Charlik* significat nive contectos. *Chalazi* significat effœminatos. Oguz Chan sex filios habuit *Coun*, *Ai*, *Ieldouz*, *Tâk*, *Tengiz* & alium sine nomine, ex quibus XXIV. stirpes Turcarum prognatæ, unde *Turcomanni* orti, quod Turcis similes notat, qui *rudiores* cæteris Turcis & ab iis degeneres. *Ogouz* Chan, qui *Iran* quoque expugnaverat id est *Persiam*, successit filius.

4. *Koun* Chan regnavit 70. annos.

5. *Aichan* frater.

6. *Ieldouz* Chan frater.

7. *Mankeli* Chan filius.

8. *Tanger* Chan qui 110. annos regnavit.

9. *Iylchan*. Ejus tempore *Tour* filius *Feridoun* R. Persiæ, à quo *Mawaranahr* & *Turkestam* dependebant, & Tatarorum Rex *Sonezi* Chan Mogolis bellum intulit & *Iilchanum* cum exercitu interneciam delevit. Factum hoc mille annis post obitum Oguz Chan. Unde magnus hiatus in successione regum Turcarum deprehenditur. Ita *Mogolum* gens fere deleta, post multos annos iterum nova sobole aucta antiquas sedes

expulsis Tataris recuperavit. Regiones *Mogolum* septem vel octo mensium spatio protenduntur itinere, forte in orbem. Ab ortu *Chataia*, ab occidente *Igar*, à septentrione *Kaskar* & *Selingai*, ab austro *Tebet* fines habuere. Rex Mogolum illustris fuit post recuperatum regnum *Ieldouz* Chan, ex cujus filia *Alan* Kaina natus fuit filius *Bouskem* Salzij, unde stirps & familia *Selziucidarum* fluxit.

1. Flius *Alan* Kawa tertius, *Bourenziar*, factus Rex Mogolum, dictus fuit à reliquis Turcarum tribubus *Kaan*: nam *Mogoli* odio habent titulos, neque aliter appellari volunt suum Imperatorem quam *Chan* vel *Kaân*. Apud Texeiram *Buzengiar* vocatur, à quo genus suum nona generatione deducit *Zingis* Chan.

2. *Bouka* Chan.

3. *Dou* Tomîn Chan. Bellum cum *Chatais* gessit. Eorum Rex *Altân* Chan. Ergo hi Chatæi extra murum Sinensem. Omnes Reges *Sinensium* flavo vel croceo & aureo colore vestiuntur. *Altun* est aurum, unde à Tartaris omnes communi nomine Altun Chan id est *aurei* Reges vocantur.

4. *Kaidou* Chan.

5. *Baisanker*, ad quem genus *Tzingis* Chan & *Sahebkiram* id est *Timuri* refertur.

6. *Tunama* Chan.

7. *Kylchan* vel *Philchan* cognomine *Alenzya*

Alenzya Chan id est *Protector*. Erat tum Chataiæ Imperator *Altân* Chan.

8. *Kubla* Chan. Bellum gessit contra *Atlan* Chan Imp. Chatæorum.

9. *Pertân* Behadir.

10. *Pisonga* Behadir. Ejus filius Temouzyn postea dictus Zîngîs Chan. Ejus frater *Kasan*, id est, leo, Turcis *Arselan*. Atque ita pervenimus ad Zuigis Chanum. de quo ex eodem *Mirchond* paulo post agemus. Erat igitur circa A. ccccc. *Turkestana* sive Turcorum præpotens Imperium circa *Oxum* & *Iaxartem*, quod *Turcæ* pulsis Tartaris sive *Hunnis* ibi constituerant. Quippe magna *Turcia*, ut Paul. *Venetus* l. 43. refert, complectebatur Provincias *Cascar*, *Carcham*, *Peim*, *Cotan*, *Ciartiam* usque ad civitatem *Lop*. Commune nomen Regum Turcarum erat Chakan. *Abul* Pharaj. Idem *Abul* Pharajus de Turcis: A. cIↃxvII. *egressi Turcæ è Sina cum magna hominum multitudine, adeo ut plura illis essent quam* ccc cIↃ *tentoriorum; at audito quantæ Togano Chado copiæ essent, reversi sunt in patriam suam, sed ab eo cæsi ultra ducenta millia hominum amiserunt & vasum ex auro & argento opere Sinensi copiam nemini ante visam.*

Turcæ *Persiam* occupant.

I. *Turcæ* primo in Persiam evocati ab *Ormisda* vel *Ascaiorth* ut Haitho vocat,

 id est

id est *Izdescirdo*, per Nahawand in Chorasanam irruperunt ibique consederunt. *Haitho* xv. *Mirkond. Zentili* & *Hafi* Regum Turcarum meminit *Elmacinus* ad A. IↃCCI. Inde series deficit. Deinde *secunda* migratio Turcarum in Chorasanam facta fuit circa A. CIↃ cum *Selscukidæ* eo migrarunt & tandem A. CIↃ XXXVII. Regem crearunt *Muhammedem* Abutalibum *Togrul*becum, qui totam *Chorasanam*, *Kermon*, *Iran*, *Irac*, *Bagdad* expulsis *Boytis* occupavit ac à Califa *Caym* Biamrilla Imperator declaratus fuit.

II. *Græci* & *Latini* in his Turcarum nominibus admodum variant: meminerunt enim *Zadoki*, *Dogrissæ*, *Tangrolipicis*, *Mucaleti*, *Aspasalemi*, *Axani*, *Belchiaroki* & aliorum, qui non sunt alii quam *Selschiuk*, *Togrisha* vel *Togrulbek*, *Michael*, *Olbarselan*, *Barkiaruk*. Togrulbeko successit *Olbarselan*, Græcis *Axan*. Eundem enim esse utrumque ex captivitate Imp. Romani *Diogenis* patet, quam *Elmacinus* Olbarselano, *Zonaras* Axani adscribit. *Melic* Scha imperavit ab extremis Turcarum oris usque ad Hierosolymam & finem Jamamæ, teste Elmacino. Idem per octo sapientes Persiæ, inter quos Aben *Sina*, annum Tropicum, qui dictus Senati *Gelalia* sive *Neuruz* el Sultani, condidit. *Scal.* IV. Emend. Temp.

III. Post *Belchiarokum* qui est *Barkyaruk* regnum Turcarum in Persia concidisse *Haitho* XV. & alii tradunt. Successerunt

runt tamen Barkyaruko *Muhammed* & Abul *Casemus*, Leoni Afro *Caselus*, qui est ultimus cujus Elmacinus meminit. Post cujus mortem Turcia Persica & Syriaca in multa regna distracta fuit, singulis præfectis *Soldanorum* titulum assumentibus: ita quidem ut in sola Assyria quinque Soldani fuerint & alibi plures. *Haitho* xv. velut *Halebi*, *Damasci*, quos Elmacinus recenset. *Tyrius* iv. Belli Sacri xi. de hac divisione Imperii Turcici in varios Soldanatus ita loquitur: Soldanus Persarum *Belferchus* (corruptum hoc nomen denotat aliquem ex Turcarum Imperatoribus & ut ex nominis affinitate patet *Barkyarucum* forte) distribuit provincias & *Solimanno* ejus nepoti collata est *Nicea*, Ducato (Decac) *Damascus*, & utrique *Soldanatus* nomen & dignitatem tribuit *Assanguro* (Oksangur) qui fuit Sanguini pater, avus Noradini *Alapiam*, Acciano *Antiochiam* Hujus regni Antiochiæ etiam meminit *Elmacinus*. Chronicon Flandriæ Jacobi *Meyeri* ad A. cIↃ xcvi. copiosius de hac divisione his verbis agit; *Belchefo* Turcarum Persarumque imperator, præfecerat duces *Alphasalem* Armeniæ minori, *Ducatum* Damasco, *Cassianum* Antiochiæ, *Assangurum* Heliopoli Halapiæque, *Balam* Sororgiæ, *Balducum* Samosatensibus. *Accianus* aliis *Darsianes* vel *Cassianus* periit in expugnatione Antiochiæ ac filium reliquit Samsadolum. *Tyr.* v. 23. vii. 8.

VII. 8. Postea emerserunt plures Soldanatus. In sola *Assyria* quinque: per Syriam *Hamæ, Hamsæ, Meredini* & alibi. *Haitho* XV. *Ghistell.* VI. Itin. 16.

Condunt Regna *Rumææ*, *Damasci*, *Halebi*, *Antiochiæ* & alia.

I. Regnum Turcarum, quod *Asiam* Minorem complectebatur, *Rumæa* dictum fuit, ut ex Abul *Pharag.* aliisque multis locis patet, eo quod Græci Arabibus *Rumi* dicantur, ex quorum Asiaticis ditionibus illud conflatum fuit: *Benjamin* Tudelensis in Itinerario vocat regnum *Togarmanorum* quos *Turcas* dicunt.

II. Quando hoc regnum Turcarum in Asia Minore exortum fuerit non satis constat. Græci *Cutlumusen* sive *Cutlumum* occupata *Media*, *Ponto*, *Cappadocia*, *Lesbo*, *Samo*, *Rhodo* aliisque *Asiæ* provinciis *Occidentalis* Turciæ Sultanum factum fuisse tradunt. *Haitho* XV. *Solimannum* vocat hujus Imperii conditorem, qui & *Solimansa* dictus sit. Abul *Pharag.* & alibi hanc seriem Regum tradit: *Kotlumish* Ebn Saljuk, *Soliman*, Kelij *Arslan*, *Masud*, Kelij *Arslan*, qui obiit A. CIↃ CX CIII. Hic Kelij Arslan regnum inter filios distribuit, quorum *quatuor* fuerant *Kodboddin*, *Gayatboddin*, *Caichosraw*, *Rocnoddin* & *Masud*.

III. Quicquid hujus sit, satis constat eo tempore quo Christiani expeditionem Hiero-

Hierosolymitanam susceperunt circa A. Ch. clↄ c. *Solimannum* late per Asiam occidentalem imperasse, cujus sedes Nicæa fuit. Hoc Imperium Turquia dicebatur. Ejus provinciæ fuerunt octo: Licaonia ubi Coni sive Iconium, Cappadocia ubi Cæsarea, Sauria ubi Seleucia, Briquia (Phrygia) ubi Prus, Quisitan ubi Ephesus, Bithynia ubi Nicæa, Paphlagonia & Genech ubi Trapizonda. *Haitho* 13.

IV. *Alphasal* primum Satrapa, deinde *Sultanus* appellatus, *Ciliciam*, *Pamphyliam*, *Lyciam*, *Lycaoniam*, *Cappadociam*, *Armeniam* Majorem, *Galatiam*, *Paphlagoniam*, *Ponti Bithyniæque* urbes opulentissimas in jus ditionemque redegit ac nobilissimo, inter suos, nomine *Salamansa* vocari voluit, à nostris *Solimannus* dictus. Hæc Mejerus. *Alfasal* à Petro *Luccari* in Annalibus Ragusinis lib. 11. dicitur *Alfasar* cognomine *Suliman*. Robertus *Monachus*, qui ipso illo expeditionis Christianæ tempore vixit ac concilio Claromontano, in quo bellum sacrum decretum, interfuit, lib. 111. ita scribit de Solimanno Soldano Nicææ: *Erat autem Solimannus filius veteris Solimanni qui totam Romaniam abstulit Imperatori.* Duplicem facit Solimannum patrem & filium. *Solimannus* pater non potest alius esse quam *Cutlumuses*. Ita enim Abul Pharagius *Kelui Arslan*, *Solimannis Ebn Kutlamishi Saljukiensis filius*. Matth. *Paris in*

Vita

Vita Wilhelmi Rufi Regis Angliæ : *Niceæ* Dominus erat quidam Turcorum potentissimus, *Solimannus* nomine, quod lingua Persarum Rex interpretatur. Hujus autem antecessores ab Imperatore Romano (*Diogene*) has bello obtinuerant regiones, quas ut successori huic tradiderant Solimanno. Possidebat autem Solimannus & provincias reliquas omnes à *Tarso* Ciliciæ usque ad *Hellespontum* : ita ut in confinio *Constantinopolitanæ urbis procuratores suos haberet*.

V. De *Cutlumuse*, quia narrationes scriptorum tam Saracenorum quam Christianorum admodum confusæ & obscuræ sunt, paulo pressius agendum est. Constat eum ex familia *Seljukidarum* originem traxisse. *Leunclavius* Cedrenum secutus eum patruelem Tangrolipicis facit. *Elmacinus* meminit Solimanni filii Ptolemæi Domini Antiochiæ, ubi pro Ptolemæi legendum videtur, *Kutlumi*, facili errore unius puncti in Scriptura Arabica. Sed quia ille *Solimannus* paulo post interfectus fuit, non potest intelligi Solimannus ille Niceæ Sultanus Mirum autem *Cutlumusis* tam raram à scriptoribus Arabum mentionem fieri, cum tamen *Græci* ejus tam copiose meminerint, ut ex Cedreno patet; Tradunt illi *Cutlumusen* interfuisse prælio illi famoso ad *Rayam*, in quo periit Ibrahim frater Tangrolipicis: ipse autem fugit in Arabiam felicem cum Melecho filio.

lio. *Leunclav. Curio* III. Hist. Sarac. Fuerunt autem magnæ inter Seljukidas pro Imperio post mortem Togrulbeki contentiones: unde tandem facta fuit celebris illa *transactio* Chaliphæa Rayæ, de qua Cedrenus, sub Axane sive *Olbarselano* vel potius filio ejus *Melicsha*, in qua *Cutlumusi* assignatæ provinciæ Occidentales, *Cappadocia*, & *Media*, circa A. cIↃ LXXVIII. Ipse Cutlumuses *Niceam* non obtinuit, quia Nicephorus Botoniates qui Niceam tenebat, Cutlumusis & filiorum ejus auxiliis usus fuit teste Cedreno apud Leunclavium. Sed sub finem *Michaëlis* Ducæ Turcæ *Orientem* occuparunt. Ubi per *Orientem* non intelligitur Syria & Persia, quæ dudum in potestatem Turcarum venerant, sed *Asia* Minor quæ *Anatolia* sive *Oriens* tum à Græcis respectu Europæ vocabatur. Eas provincias capto Romano Diogene occupavit *Axan*, quem corrupte *Tyrius* l. 6. III. I. *Belphesoch* vocat.

VI. Ergo *Cutlumuses* primus fuit Soldanus Anatoliæ sive Asiæ Minoris quæ & *Rumæa* & *Turcia* Occidentalis dicitur ac obiit admodum senex successore relicto filio *Solimanno*, qui longius prolato Imperio *Niceam* & omnem Asiam Constantinopolin usque occupavit. *Tyrius* III. I. quam tamen Christiani circa A. cIↃ XCVII. recuperatam Imperatori Constantinopolitano restituerunt, ita ut *Solimannus* ejusque posteri non nisi montanas provincias

versus

versus Septentrionem, *Cappadociam*, *Pontum*, *Sebastiam* ac alia retinuerint. Expulsi enim à Christianis *Cutlumusai* in montanis Asiæ se continuerunt absque titulo & possessione Sultanatus Asiaticæ Romuliæ: *Leunclav.*

VII. Extant sub nomine *Haithonis* descriptæ res Orientalium, & quanquam miris erroribus sint fœdatæ, tamen *Leunclavius* male eum contemnit & erroris passim accusat. Tradit *Haitho* primum Regem Turcarum fuisse *Sadok*. Legendum *Selzuk*. Secundum *Dogrissa*. Hic est *Togrulbek* vel *Tangrolipix*. Hic misit *Artotum* ad expugnandam Mesopotamiam, qui etiam Soldanus Mesopotamiæ factus fuit sede posita *Meredini*. Artotus est *Artacus* Turcomannus, cujus meminit Hist. Saracen. & *Ortok* Abulpharagii *Asfasalem* est *Olbarselan*. Hist. Sarac. vel Olub *Arsalu* Abulpharagii. *Axan* Græcorum id est Rex *albus* ita dictus propter habitum album quo in prælio contra Romanum Diogenem ex desperatione usus fuit, ut ex eodem Abulpharagio haud obscurè colligitur. Hic fratris sui filium *Solimannum* misit in Cappadociam ad expugnandas Græcorum regiones. *Melicla* est *Melicsha*. Hic per fratrem Tagjuddanlam *Nisum* expugnavit Syriam. Hist. Sarac. Haitho tradit eum per Artotum Sultanum Mesopotamiæ & Solimannum Sultanum Turciæ expugnasse Antiochiam. De qua expugnatione Hist.

Hist. Sarac. *Belchiarok* est *Barkiaruk*, quem Pocok per errorem scriptoris Arabis vocat *Tarkiaruk*. Post ejus obitum dicit Haitho fratrem Belchiarok imperium occupantem, à Sultanis in partes concisum fuisse. Ipsos autem Sultanos discordes dilacerasse regnum. *Iberi* quoque & *Armeni* & *Georgiani* Turcas discordantes in Persia afflixerunt teste *Haithone* cap. xv. & consentit *Tyrius*, cujus notabilem locum vide XI. 16. In vetusto Chronico Augustæ impresso A. CIↃIↃXCII. dicitur *Balduinus* I. Rex Hierosl. in prælio vicisse & obtruncasse Regem Persarum *Cajum*. Ille *Cajus* vel est *Gayateddin* vel Abul *Casimus*, sub quo defecit imperium Selzukidarum in *Persia*. *Leunclavius* de priscis Turcarum ante Osmannidas rebus parum certa & hinc inde mutila tradit secutus *Cedrenum* & alios, quorum errores de Muchumede Imbrailis filio, ponte Araxis, prælio Tangrolipicis cum Muhumede satis manifeste ex Texeira & Elmacino redarguuntur.

VIII. *Græci* constanter hos *Turcas* vocant *Persas* & eorum Principes *Persarchas*. Quanta hujus Imperii potentia fuerit ex *Vincentio* XXX. 142. 143. 144. patet, qui tradit *Centum* civitates complexum: tributarios habuisse Soldanos *Alapiæ*, *Hamathæ*, *Damasci*, Reges *Armeniæ* Minoris & *Trapezondæ*, pluresque alios. In Sultanorum *Rumæ* sive *Iconiensium* serie, successione & nominibus, dissentiunt in-

ter

ter se Græci, Arabes & Turcæ. *Græci* ita eos enumerant: *Cutlumus*, *Solymannus*, qui amissa Nicea Cappadociam obtinuit, & in Persiam ad Barkyarucum fugit, ubi impetratis auxiliis, cum *Corbagathe* (quem alii *Corbanam*, Abul Pharagius *Kawamoddaulam* Codbukam vocant) Antiochiam obsedit & contra Christianos aliquoties pugnavit. *Leunclav.* I. Musulm. *Tyr.* IV. II. VI. 20. Ejus successores tres referunt, *Solimannum*, *Tanismanium* qui victus à Johanne Comneno, & *Aladinum* I. De *Tanismanio* ita Pizarrus VIII. Persic. *Fuit* Cutlumi *nepos, filius* Solimanni & *à quibus clam etiam* Solimannus *vocatur. vixit sub* Calo-Johanne. *Cinnamus* lib. I. Τανισμὰν ὅς Καππαδοκίας ἦρχε circa A. cIↃ c XX. à quo alius fuit Sultanus *Iconii* quem *Persam* appellat. Tanismanio succeſſit *Muhammed* Μάχυμετ *Cinnamo*, qui & ipse bellum contra Johannem Comnenum gessit, *Aladino* I. *Masut*, qui obiit circa A. cIↃ CL. ac tres filios successores reliquit diviso inter eos regno. *Sebastiam* obtinuit *Iagupasanes*, Cinnamus III. Ιαγούπασαν ὁ περσῶν φύλαρχος ἄρχων γῆς Καππαδοκίας. & postea: Καισαρείας ἦρχε Cæsaream & Amasiam *Dadunas*, uterque pulsi à *Clizastlane* qui erat Rex Iconii ac obiit A. cIↃ c XCI. relictis quatuor filiis, quorum Amasiæ *Masud*, Cæsareæ *Cappatin*, Doceæ *Rucratin*, Iconii *Caichosroes* cognomine *Gaitheddin* ejectus regno circa A. cIↃ c XCVI. Ita regnum ad

ad *Rucratinum* pervenit, cui ſucceſſerunt *Azatin*, *Iathatin*, *Allatin*, (corrupte apud Logothetam *Ἀσατίνης* pro *Ἀζατίνης*) *Aladin* corrupte *Chibabed* pro *Kaikobad*, *Gaitheddin* Vincentio, Sabellico & aliis *Goniata*, obiit cIↃCCLX. *Raconadius* ſive *Keikubad* & *Melec*, qui non diu regnavit. Poſt quem mera *Anarchia* fuit apud Turcas per aliquot annos, teſte *Georgio* Logotheta, eorum Imperio à *Tataris* deſtructo; Logotheta: Ἰαθατίνης ὑιὸς Ἀζατίνε Sultanus Turcarum à Tochariis profligatus. Eum Nicephorus Gregoras IV. V. vocat *Azatinem* & à Scythis pulſum, cum fratre *Meleco* ad Michaëlem Palæologum fugiſſe ſcribit. *Malecus* regnum recuperavit, ſed brevi per inſidias cæſus fuit. Poſt eum *Turcæ* in plurimas factiones diſtracti, nonniſi latrocinia ex montibus exercuerunt; ſed paulo poſt ſub finem Michaëlis iterum emerſerunt ac Aſia potiti ſunt. *Gregoras* V. Imperium inſtauravit. *Aladin* ultimus qui obiit A. cIↃCCXCIX. & cum eo poſt breve regnum cujuſdam *Sahebi*, imperium Turcarum in *ſeptem* regna diviſum, poſtea ad *Oſmanidas* pervenit. *Leunclavius* inter alios errores quos in Sultanorum Romuliæ Aſiaticæ ſerie committit, etiam hunc habet: quod *Aladinum* filium *Caichoſrois* ex Perſia metu Zingis Chani profugum Natoliam occupaſſe ſcribit. Error inde ortus, quod *Gelaladdin* Rex Choraſmiorum metu *Zingis* Chan in Perſiam ac

Syriam

Syriam profugus, etiam Turciam *Rumæam* invasit. Ex quo *Gelaladino* Chorasmio Leunclavius *Aladinum* fecit. Certum tamen est Turcas à Chorasmiis Persia pulsos in Natoliam fugisse ac se Aladino conjunxisse. *Haitho* xv. Male etiam Leunclavius Haithonem reprehendit, successorem Aladino Gaiatadinum facientem. Is enim revera Aladino successit.

IX. Posteri hujus *Solymanni* amissa per Asiam brevi recuperarunt & regnum diviserunt in quatuor partes *Amasiam*, *Cæsaream*, *Doceam* & *Guniam*. Successio eorum & nomina satis sunt confusa apud Græcos scriptores. In eo consentiunt, *Gaithedinum* à Tartaris profligatum regnum amisisse. Ita Georgius Logotheta: Ἰοθαζίνης υἱὸς Ἀζαζίνε Sultanus Turcarum à Tochariis profligatus. Europæis *Goniata* dicitur. *Sabell.* Ennead. ix. lib. 6. *Melanchth.* Chron. v. Nicephorus *Gregoras* iv. & v vocat *Azatinem* ultimum Sultanum Iconii, qui à Scythis regno expulsis, in exilio perierit. Sed *Vincentius* tradit eum amissa *Gunia* & *Arzerum*, Regni sedem *Sataliam* transtulisse. Ei successit frater *Melecus* qui Imperium Asiæ recuperavit & brevi post cæsus est: post eum Turcæ in plurimas factiones divulsi nonnisi latrocinia ex montibus exercuerunt: Sed paulo sub finem Michaëlis iterum emerserunt & Asia potiti sunt. Hæc *Gregoras* V. *Melecus* est, quem alii *Raconadium*

dium corrupte, Leunclavius *Keikubad* vocat, cui succeſſit *Aladinus* III. Imperii Turcici circa A. cIↄ cc LXXX. inſtaurator, poſt quem *Heptarchia* ſucceſſit. A. cIↄ cc XL. quidam *Baba* Zaccutho Vincentio *Paperoiſſole*, id eſt *Baba* Propheta Sultano Turciæ rebellis factus Armeniam occupavit. *Vincent*. XXX. 139. 140.

X. Regnum *Halebi* ſive *Syriæ* condidit familiam *Aſſanguri* Tyr. IV. XI. Elmacino *Icſancar*, Abul Pharagio *Okſenkar* Al-Borſakius, de quo ita. *Anno* cIↄ c XXI. *Sultanus urbem Mauſelam*, Meſopotamiam & Senjarum aſſignavit Emiro *Okſenkaro* Al-Borſakio. & paulo poſt: Halebum *ejuſque arcem occupavit*. Okſenkar Borſakenſis. Cognomen ejus fuit *Koſaimoddaula*. Eo occiſo A. cIↄ XCIV. Halebum occupavit *Tagjuddaula* Niſus. *Elmac*. Okſenkari filius, fuit Omadoddin *Zengi*, dictus *Atabec* id eſt regni adminiſtrator vel tutor, unde ipſa hæc familia dicta fuit *Atabecarum*. Apud Elmacinum corrupte legitur *Zika* pro *Zenki*. Hic eſt famoſus ille *Sanguinus* filius Aſſangur *Tyr*. IV. II. qui Turcarum potentiſſimus dux dicitur XIII. 27. Magnum chronicon Belgicum tradit eum fuiſſe filium *Auxungar* & Halapenſis Syriæ, ac Meſopotamiæ, excepta Antiochia ac Damaſco, Principem: Perſarum vero & Medorum Regis ſeu Soldani vaſallum. Fuit etiam Rex *Schiraz* circa A. cIↄ c XXIV. deinde regnavit in *Baal-Bigoraha*,

ut Scaliger corrupte apud Zaccuthum legit pro *Balbec* & *Roha*. Videtur successisse *Borsequino* in Mesopotamia & Musul, *Tyr.* XVI.4. *Roduwano* II. Alapiæ. *Tyr.* XIII.27. XIV.6. *Borsequin* fuit Turcarum potentissimus, *Tyr.* XI.23. XIII.16. qui videtur successisse *Balaco*, ut ex eodem Tyrio patet. *Balac* fuit præfectus *Sororgyæ* in Syria, quam urbem Comiti Edessæ *Balduino* tradidit ac mox iterum contra eum rebellare cœpit. *Tyr.* IV. 6 VII.7. Fuit Turcarum Princeps magnificus & potens, XII. 17. Satrapa potentissimus, XIII.11. qui in illa Imperii Turcici dilaceratione circa A. cIↄ cXX. *Carras* & magnam Mesopotamiæ partem obtinuit.

XI. Post obitum *Sanguini* A. cIↄ c XLIII. regnum ejus divisum fuit in *Musulam* & *Halebum* sive Assyriam & Syriam. *Musulam* obtinuit *Myrmican* Codebeddin. *Tyr.* XVI.7. XXI.8. ei successit *Hezeddin*; Zaccutho *Seipheddin*, apud *Tyrium* XXI.8. corrupte Thehebet, cui etiam A. cIↄ c LXXX. successit *Melec* Saleh in principatu Alapiensi eumque *Rebedino* fratri suo tradidit, exutus postea omni fere dominio à Salahdino. *Tyr.* XXII.19. 24. Post eum meminit Zaccuth Soldani Mussulæ *Atabeg* Zingi, cui successit *Noradin* Arselan Sha, sed hæc series Regum Musulensium apud Tyrium corrupta & mutila est, ut ex *Abul* Pharagio patet, qui Reges post obitum Zengii ita recenset: *Saifoddin* Gazi

zi frater Noradini, *Kotebeddin* Maudud, *Benjamin* in Itinerario *Zinadinum* Noradini fratrem vocat Regem Musulis. Sed ille tantum fuit præfectus, sive vicarius, ut ex Abul Pharagio patet.

XII. *Halebi* Sultanatum obtinuit Noradinus *Tyr*. XVI. 7. Mahmud *Nuridin* Melic Adel *Elmacino* qui Damascum occupavit ejecto Rege *Mejereddin*, Tyr. XVII. 26. & Ægyptum per *Syracunum* militiæ suæ principem ac *Salahdinum* occupavit. *Tyr*. XX. 12. 13. *Cinnamus* eum vocat Νουραδὶν τῆς Βεῤῥοιαίου Σατράπην. Per *Berrhoeam* intelligit *Halubum*. *Benjamino* in Itinerario Noradin Rex Togarmanorum, qui Turcæ vocantur, & postea : *Haleb* est regia Regis *Noradini*. Et quanquam vivo Noradino *Salahdinus* nonnisi pro præfecto Ægypti se gereret: ita tamen omnem ad se potentiam traxerat, ut eo mortuo non modo Ægypti Soldanum se constitueret, verum etiam universam Syriam occuparet ac Meleco *Salah* filio Noradini nihil præter Alapiam relinqueret. *Tyr*. XXI. 6. 7. 8. XXII. 19. *Abul* Pharagius. Moriens testamento hæredem scripsit *Hezedinum* Sultanum Mussulæ qui *Alapiam* fratri suo *Rebedino* hic *Salahdmo* tradidit. *Tyr*. XXII. 8. 19. 24.

Osman-

Osmannidæ Imperium *Turcarum* per *Asiam, Africam* & *Europam*, vastissimum condunt.

I. *Osmannidarum* familia originem ducit à *Suleiman* Scha Rege *Machan*, qui dum *Zingis* Chanum fugit, fluvio submersus periit. Ex ejus tribus filiis duo in regnum reversi, id beneficio Tartarorum receperunt, tertius *Otrugarel* sive *Ertogrul* ad *Aladinum* Sultanum Guniæ fugit. Hujus Ertogrulis filius fuit *Osman*, quem Aladinus III. dato gladio, vexillo, sceptro, Regem *Carmaniæ* constituit. *Zacuth* in Zingis, id est præfectum sicut ex *Iovio* XXXIII. patet, ubi iisdem ritibus *Hariadenus* Barbarossa in Bassarum Collegium recipitur.

II. Jam vero quæ illa sit *Machan* valde obscurum est, cum nulla ejus mentio alibi reperiatur in Historia Turcarum, Persarum vel Arabum. *Leunclavius* dicit Turcarum Annales prodere majores *Osmannis* longa serie apud *Machanenses* in Parthia principatu potitos. *Pocockius* in supplemento Abul Pharagii: *Nihil certi ultra* Soliman *Shahum de* Othmannidarum *origine memoriæ proditum reperimus. Illum tradunt à* Jingiz Chani *& Tatarorum impetu, relicta provincia* Mahan *è ditionibus Persarum, cui præerat, in* Asiam *minorem fugisse.* Leunclavius ipse quærens hanc provinciam Mahan vel *Balch* vel *Mecran* Indiæ esse

esse conjicit, quæ sane longissime distant. Potius existimaverim esse illam provinciam quam in *Turkestana* locant & *Mien* appellant.

III. *Osman* provincias citra *Olympum* ad Pontum, cum parte Bithyniæ, *Osmaniam* appellavit. Sedes regni fuit *Itea* sive *Sogutum* sive *Sogutzuca* Mysiæ oppidum. Expugnavit *Isnicam*, sive *Nicæam*, *Ulubadam* prope Cyzicum, *Genischeher* sive Neapolin, secundum Græcos *Natoliam*, *Ancyram* Phrygiæ, *Synopen* Galatiæ, *Sebasten* Cappadociæ & *Prusam* Bithyniæ. Struxit *Osman* Lik ad Olympum, cujus meminit Busbequius. Instituit *Ianizaros* teste Chalcondyla, & jussit omnes Imperatores *Osmannidæ* appellarentur.

IV. *Ur* Chan *Isnicam*, *Genischeheram*, *Ulubadam* & *Prusam* quæ defecerant, recuperavit, *Goinucam* sive Iconium, *Carasen*, *Balen*, *Bargaman*, *Edremytum*, & in Græcia *Zemenicum* sive Χοιρελδόνκαστρον prope Madytum & Agassevinam, *Gallipolin* occupavit: secundum Græcos, *Mysiam*, *Lydiam*, *Lycaoniam*, *Phrygiam*, *Cariam*, *Prusam*, *Niceam*, *Nicomediam*,

V. *Murat* Chan *Gazi*, perfidia Genuensium superato ad Abydum Hellesponto, A. CIↃCCCLXIII. occupavit *Adrinam* sive Adrianopolin, *Hemdam* sive Cerasum, *Cuthagiam* sive Cotyæum Phrygiæ, *Albam*, *Hierapolin*, *Matuliam*, *Cavalam*, *Direm* & alia Thraciæ & Chersonesi oppida.

M *Pheram*

Pheram & *Rhodopes* confinia: secundum Græcos *Didymotychum*, *Callipolim*, *Sirum*, oppida Thraciæ & Macedoniæ subegit. Sedem Prusa *Adrianopolin* transtulit. *Genizaros* certis legibus astrinxit ac confirmavit.

VI. *Bajazites* Hildrin sive *Λαίλαψ*, strangulato fratre *Zacupe* Zelebi, primus morem illum introduxit, *Kirathoum*, oppidum ad Hæmum, *Vidinam* sive Viminacium, *Tanabit*, *Cirros*, *Sarchaniam*, *Melatigen* sive Meletinen, *Erzingam* Armeniæ, *Silistram* & *Empolim* sive Amphipolim Macedoniæ, *Conion*, *Album* Castrum, *Nigden*, *Cæsaream* Carmaniæ, *Melatigen* sive Meletinen, *Diorrygem*, *Guxinem* Turcomanniæ, secundum Græcos *Thessaliam* & *Phociden* subegit, *Amasiam*, *Iconium*, *Sebasten* amisit.

VII. Sub hoc, *Timur* sive *Tamerlanes* Imperium Turcicum Asiaticum penitus destruxit: unde magna post captum Bajazeten inter ejus filios confusio & discordia; donec tandem *Muhammed* I. extinctis æmulis fratribus, solus Imperio potitus, Provincias Asiaticas ejectis Tartaris recuperavit & A. cIↄ cccc xxx. *Serviam*, *Walachiam* & magnam *Slavoniæ* partem subegit ac primus *Danubium* trajecit. *Macedoniam* domuit, ad *Ionium* usque mare pervenit.

VIII. *Murad* sive Amurathes II. *Smyrnensem* principem expulit, *Thessalonicam*

A. cIↄ

A. cIↃ cccc xxxviii. Venetis eripuit. *Ætoliam, Albaniam, Cariam, Phrygiam, Pisidiam, Caramaniam* subegit. A. cIↃ cccc xlv. *Isthmum* Corinthiacum occupavit. Sub hoc institutos fuisse Janizaros *Iovius* censet. Sed antiquiorem esse eorum originem & jam sub *Osmane* ac *Vrchane* cœpisse ex *Chalcondyla* patet. Ergo numerum eorum forte auxit Amurathes II.

IX. *Muhammedes* II. A. cIↃ cccc lii. *Athenas, Munychiam, Piraeum* diruit, A. liii. *Constantinopolin* & *Peram*; deinde *Spartam* A. lviii. *Corinthum, Graciam, Paphlagoniam* Ismaele A. lx. *Trapezuntem* Davide, oppressis, *Lesbum, Dorobyzam, Iaizam, Clissam, Peloponnesum, Epirum, Eubœam, Tauricam* Chersonesum, *Capha* Genuensibus, *Mancup* Gothis erepta: *Chalcidem, Scodram, Leucadiam, Ithacam, Narentum*, sive Neriton, *Cephaleniam, Zacynthum, Hydruntem* in Apulia & in universum duo imperia *Constantinopolitanum* & *Trapezuntinum*; quatuor regna, *Syriam, Peloponnesum, Armeniam, Slavoniam*, Provincias xx. urbes cc. sibi subjecit.

X. *Bajazetes* II. *Cerauniorum* montium accolas, *Epirum, Moldaviam* subegit. *Tharsum* & *Adanam* Sultano Ægypti, *Naupactum, Dyrrhachium, Modonam* & *Coronam* Venetis eripuit. Amisit A. cIↃ cccc lxxxii. *Hydruntem, Epirum, Bosnam, Leucaden, Cephaleniam, Neritum.*

XI. *Selimus* I. victo in Calderanis cam-

pis *Tabris*, *Aladuliam*, *Syriam* & *Ægyptum* A. cIɔ Iɔ xvii. ſubegit, de quo *Iovius* xiv. xvii. xviii. Solimannus cæſo *Ludovico* Rege Hungariæ A. cIɔ Iɔ xxi. *Albam* Græcam, *Strigonium*, *Belgradum*, xxii. *Rhodum*, *Quinqueccleſias*, xxvi. *Budam* in Hungaria cœpit: Perſis *Aſſyriam*, *Meſopotamiam*, *Mediam*, *Babyloniam*, eripuit: *Bagdadi*, à Chalifa, Rex *Perſiæ* declaratus eſt. A. xxxiv. regnum *Tunetanum* pulſo per Hariadenum Barbaroſſam *Muleaſſe* & omnibus mediterraneis pariter ac maritimis urbibus potitus eſt, ut *Carvenna*, *Biſcari*, P. *Iovius* xxxiii. xxxiv. Sed anno xxxv. *Tunetum*, reſtituto per Carolum V. *Muleaſſe*, iterum amiſit.

Aladuliam Turcæ ſubigunt.

I. Cum *Tamerlanes* Aſiam vaſtaret, multi in Cappadociæ & Armeniæ inacceſſos montes confugerunt, ubi natura loci tuti, pagos & oppida ſtruxerunt, ac numero & robore aucti poſt mortem Timuri, optimus quiſque regium nomen ambitioſe uſurpavit. Metropolis horum erat *Maras*. *Iovius* xvi i.

II. Nomina Principum priorum ignota ſunt. *Cheſuwarti* meminit *Ghiſtele* vi. Itin. 18. & viii. i. qui cum *Caitbeio* Sultano Ægypti bellum geſſit. Ei ſucceſſit *Aladulus*, à quo ipſa regio *Aladulia* dicta, quam Selimus I. Turc. Imp. A. cIɔ Iɔ xvi. ſubegit & in provinciæ formam redegit. *Iovius*.

Anado-

Anadoli, corrupte *Aledeule* Rex urbis *Maras* à Selimo eversus. P. *Luccari* in Annal. Ragusin. lib. IV.

III. In Continuatione *Belli* sacri l. VI. cap. 8. ita hujus regni Aladuliæ fines describuntur. *Aladulus* Cappadociæ *montes illos quem* Taurum vocant, *prope* Eufratem *incolit, ac regni sui fines terminat cum* Sultano *quidem Alepum versus, cum* Sophi *vero prope minorem Armeniam, cum* Turca *autem urbe quadam quam* Orsam *nominant*; Amasiæ *Sanjacatui atque* Iconio *opposita. Et valles sane aliquot fructiferas, verum plures* silvestres *&* saxosas *possidet.*

Christiani regna *Georgiæ*, *Abcassiæ* & *Armeniæ* condunt.

I. Cum post obitum *Barkay Ruc* magna inter Soldanos Turcicos discordia esset, *Christiani* intra montes Iberiæ & Armeniæ munitionibus locorum freti se contra vim eorum defenderunt ac tria regna condiderunt, *Georgiæ*, *Abcassiæ*, & *Armeniæ*, Haitho xv. Termini eorum sunt ad Orientem, mons *Alboris* (legendum *Alburs*, id est Caucasus) & *Alania*, ad Occidentem *Turcia*. Haitho cap. x. *Thuan.* LXVII.

II. Regnum *Abcassiæ* potentissimum fuit, quod nec *Saraceni* nec *Turcæ* aut *Tartari* subigere potuerunt. *Haitho* cap. x. & xv. inquit: *Regnum* Abcasiæ & *provin-*

cia Armeniæ Haloën *nunquam subactæ sunt à Saracenis & fuerunt refugium omnium Christianorum.*

III. Regnum Georgiæ *Iberorum* metropolis tempore *Iustini* II. *Tiphilis* erat, eorum dux *Gorgon* sive Gurgenes. *Photius* Codice LXIV. unde sine dubio *Gurgestan* nomen accepit. Circa A. CIϽ CC XLVIII. duo Reges *Gorjestana* memorantur ab Abul Pharagio; *David* magnus & *parvus*. Circa A. CIϽ CCC. uni Regi subjectum fuit, in quo tenebricosa illa provincia (veterum Cimmeria) *Hamsem*, quam se vidisse refert *Haitho* cap. X. Tempore *Tammasi* Regis Persiæ sex erant regna totidemque Reges Georgianorum, *Atunchalensis*, *Bassachiacensis*, *Zagenensis*, *Testicensis*, *Brussianus* & alius in Iberiæ partibus, de quibus *Thuanus* LXVII. & *Minadous*. Nomina eorum erant *Manichar* Alexander, *Leventolius*, *David*, *Simon*, *Jusuf*, *Sahamal*, cui successit *Emangulichan*, & regnavit in monte Brue, *Bassachinaus*.

ARMENIÆ.

I. Fines regno *Armeniæ* amplissimi fuerunt inter *Persiam* & *Turciam*. Complectebatur partem *Mediæ*, in qua *Taurisium*, & *Ciliciam*, in qua *Tarsus* sita. *Haitho* XIV.

II. Regni *Armeniæ* prima fundamenta posuit quidam *Melibus* Armenus, qui A. IϽ CCCC XV. *Maraashum* profectus omnia late vastavit. *Abul* Pharaj. *Cinnamus* primum

mum Armeniæ principem vocat *Τορόσην*. *Benjamino* Tudelensi in Itinerario *Thoros* eumque regnasse dicit à *Coruco* ad urbem *Doceam* & *Turcomanniam* usque. *Tyrio* Thoros xx. 27. 28. cui successit *Thomas*, huic *Melier*. Torusio *Cinnamus* alium quoque principem Armeniorum conjungit *Τιγράνην*. Et postea: *Τερέζης ὃς Ἀρμενίων ἐδυνάστευσε*. Et *Τορέτζου συμμετρησαμένου τὸ ζῆν Μελίας ὃς ἀδελφὸς ἦν αὐτῷ χώραν παρειλαβεῖ*. Idem ad A. circiter cIↄ c XL. *Λεβούνης ἀνὴρ Ἀρμένιος* *Isauriam* occupavit. Hunc Latini vocant *Livenum*. Abul *Pharagius*. A. cIↄ cXII. mortuus est *Basilius* Armenus Portarum regionis Filii Leonis Dominus: qui *Cug-Basil* id est *Basilius Latro* audiit, quod furto quasi arces non paucas in confiniis occupasset, quas in hodiernum usque diem possident Armeni.

III. Primus Regis Armeniæ titulo usus fuit *Hatem*, ut eum vocat *Abul* Pharajus, ab Europæis *Haitho* appellatur. *Vincentius* XXXI. 29. tradit *Leonem* A. 1242. primum Regem creatum à *Papa* & *Ottone* IV. Imp.

IV. Hoc regnum *Armeniæ* complectebatur *Ciliciam*. Sedes Regum erat *Sis* vel *Tarsus* urbs; *Ayas* priscorum *Issus*. Hateno successit filius *Leo*. A. cIↄ c XCVI. coronatus fuit Rex Armeniæ *Leonettus* I. cui A. cIↄ cc XXV. successit *Haitho*, qui annis XLV. regnavit, cui *Haolon* Tartarus multas regiones donavit. *Haitho* 28. Post hunc *Li-*

vonus five *Leonettus* fub tutela *Caitonis* ufque ad A. cIↃ CCC VII. dein fub tutela *Chioyfia*. Obiit A. cIↃ CCC XXXVI. fine prole eique *titulo* tenus fucceffit *Iacobus* I. Rex Cypri. Venit tamen circa A. cIↃ CCC. XC. *Leo* quidam Rex Armeniæ in Europam rogaturus auxilia Principum Chriftianorum. *Continuatio* Tyrii.

V. Cæterum hinc fraus quædam detegenda, quæ *Æneæ* Sylvio poftea *Pio* II. turpiter impofuit *Epiftola* CCC LXXVII. & LXXVIII. Ubi memoratur *Georgius* Rex Perfarum Chriftianus. Si intelligas *Georgium* ducem *Rufforum*, res clara erit. Is enim eo tempore vixit, *Affembec* vocatur filius *Carailuci*. Id recte & cum Leunclavii traditione confonat. *Afmailberch* filius *Difpendiarii*. Corrupte. Scribendum: *Ifmailbeg* filius *Ifpendiarii* ut ex Leunclavii Genealogiis patet. *Ifphendiar* fuit princeps *Omerogliorum*. Ejus nepos & ultimus ex familia Omuria *Ifmailbeg*. Has Epiftolas Æneæ *Sylvio* obtrufas fcribit *Baronius*. Petrus *Luccari* in Annalibus Ragufinis fcribit, *circa* A. cIↃ CCCC LXIV. *fedus pepigerunt contra Turcam* Bendiam *Rex* Mengreliæ, Georgius *Rex* Iberiæ, Murat Vaurbech de Diarbek *Rex* Armeniæ *Minoris*, Hurem Difmail Spende Chiarli *Princeps* Synopes. Quæ adhuc corruptiora nominum monftra funt. *Bendian* quidem fuit Rex Mengreliæ circa A. 1448. tefte JofephoBarbaro & ejufdem nominis idem vel alius A. 1473.

Latini condunt regnum *Hierosolymæ*.

I. *Latini* vocantur *Occidentales* Christiani, qui authoritatem Papæ Romani agnoſcunt, ab Orientalibus *Franci* vocantur. Ita Exercitum *Godefredi* Bulionæi Elmacinus *Francos* vocat.

II. De expeditione Latinorum in terram Sanctam videatur *Wilhelmus* Tyrius. Capta fuit *Hieroſolyma* A. cIↄ xcix. Rex creatus *Godofridus* Bulionæus, Dux Lotharingiæ. Complectebatur hoc regnum ſub ſe Ducatum *Antiochenum* & *Tiberiadis*, Comitatum *Edeſſæ*. Balduinus *Antipatrida*, *Cæſaream*, *Ptolemaidem*, *Tripolin*, *Berytum*, *Apamæam*, *Laodiceam*, *Carras* & *Pharum* Ægypti cepit. Balduinus III. *Tyrum* & *Raphaneam* in Caſiotide. Balduinus IV. à *Sanguino* & *Noradino* Edeſſa ſpoliatus fuit. Ultimus Rex Hieroſolymæ fuit *Guido* Luſignanus, quo regnante *Saladinus* Hieroſolymam expugnavit. Ipſe Guido *Cypri* regnum à Richardo Rege Angliæ accepit. Chriſtiani *Ptolemaidem*, *Tyrum* aliaſque urbes receperunt ac *Tyri* ſedem regiam collocavit *Johannes* Brenna, cujus filia *Jola* ducti *Fredericus* II. Hieroſolyma recepta ibi coronatus eſt: ſed mox omnia iterum amiſſa, præſertim cum Soldanus Ægypti Ptolemaida ſive Acconem expugnaſſet.

Drusi montem *Libanum* occupant.

I. *Drusi* ex reliquiis Francorum originem trahere perhibentur. Sed ex *Benjamine* Tudelensi patet nationem fuisse peculiarem circa *Sidonem* quæ *Dogzyn*, (lege *Drogzyn*) vocabatur, paganam & atheam, nullius religionis, in altis montibus & rupium antris habitantem ad montem usque *Hermon*, quibus neque Rex neque princeps ullus imperarit. Atque hinc patet *Druscos* jam ante destructum Francorum in Palæstina regnum fuisse; nec credibile *Francos* tam subito in tantam barbariem & brutalem impietatem corruptos fuisse. Mera ergo est *fabula*, quod *de Drusis* vel *Truscis*, ex Francorum, qui Palæstinam occuparunt, reliquiis originem trahentibus, vel *jactant* ipsi vel *creditur* ab aliis.

II. Circa A. cIↃ IↃ LXXX. principes eorum fuerunt quinque *Ibneman*, *Serafadin*, *Mahemed Ibn* Mansur, *Ibn Frec*, *Ali* Ibn Cars; quos omnes *Turcæ* A. LXXXV. subegerunt, *Minadous*, *Rauwolf*.

TAR-

TARTARICA.

TARTARI antiquissimi *Sinarum* hostes fuerunt.

I. *Tartarorum* nomen, quod Europæis, Anno demum cIↃcc. innotescere cœpit: apud Sinenses & Persas antiquissimum est, quemadmodum supra in Turcarum rebus ex *Mirchondi* Tomo IV. ostendimus. Quos enim antiqui Geographi *Scythas* extra Imaum montem appellarunt, eos *Sinenses* & *Persæ* vocant *Tataros*, vel *Tata*.

II. In Annalibus *Sinensium* jam ante *Yvum*, qui primus familiæ *Hiaa* Imperator habetur, id est ante diluvium Noachicum *Tatarorum* mentio, quod pro fabuloso habendum. Certior eorum notitia in tempora *Xy* & familiam *Cinæm* incidit, à qua *murus* ille ingens excludendis à Sina Tartaris constructus fuit. Unde patet jam tum formidabilem eorum Sinis potentiam fuisse. Vocantur autem ab Historicis Sinensibus *Tata*, ob defectum literæ R. ipsi se *Tartar*, Europæi *Tartaros* geminata canina appellant.

III. *Duplex* autem illa Sinensibus nota Tartaria est: Una *Orientalis*, Europæis hactenus incognita, & non nisi nupero bello quod A. cIↃIↃcxvi. cœpit & cum destructione Sinæ ac familiæ *Taiminga* A. cIↃIↃcxliv. finitum est, innotuit: altera *Occidentalis* sive *Tanyu*, quam *Zingis* Chan & *Timur* possederunt.

Occidentalis Tartariæ Imperium instauravit ZINGIZ Chan.

I. *Occidentalis* Tartaria complectitur omnes illas regiones quas Persæ & Saraceni uno nomine *Mawaranahhram*, id est *Transoxianam* vocant. Sinenses dicunt incipere à regno *Cascar* & complecti regna *Samahan* id est Samarcandæ & *Tanyn* sive *Tangu*, quæ videtur esse *Tangut* Pauli Veneti.

II. Quanquam vero jam antiquissimis temporibus *Occidentalium* horum Tartarorum in suis Historiis meminerint *Sinenses*, & *Persæ*, qui tamen certam Regum successionem non tradunt (excepta illa quam supra ex *Mirkond* exposuimus) hinc nihil de illorum rebus ordine tradi potest, nisi quod sparsim in Annalibus illorum reperitur.

III. *Sinenses* duorum tantum nomen exprimunt, *Huhansieni* qui sub Imperatore *Iveno*, ante Christum circiter annis XL. in Tartaria *Tangu* regnavit; & alterius qui sub Hiaovuo, paulo antiquior fuit *Hieutu*, cujus filius condidisse videtur familiam *Kin*, ex qua postea ortus *Zingis* Chan.

IV. Et Sinenses quidem non contenti Tartaros ingenti muro exclusisse, animum insuper ad domandam *Tartariam* occidentalem sub Imperatore *Hiaovuo* adjecerunt, cujus belli is fuit exitus, ut *Tartari* atro-

cissimis præliis superati, majestatem *Sinicam* imposterum agnoscerent. Ac tum temporis *Sinæ*, regnum *Kara* Kathai condiderunt. Sed non diu in fide perstiterunt Tartari, ideo frequentia inter ipsos & Sinas bella fuerunt, donec tandem familia *Zingis* Chanica A. cIↄ cc LXXVII. totam Sinam expugnaret ac sibi subjiceret.

V. Et tum temporis Imperium *Sinense* appellari cœpit *Cataia*, præcipue *Boreales* sex provinciæ & regia urbs Peking *Cambalu*. Sinis enim *Lu* dicuntur Tartari, *Pa* sive *Pe* est septentrio. *Cam* est Magnus. Unde cum Tartari Imperatoriam suam sedem transtulissent in urbem *Peking*, ea *Cambalu* id est Magni *Tartarorum* Imperatoris sedes *Borealis* appellata fuit, *Abulfeda* urbem vocat Chan*Balek* eamque collocat gr. long. 144. latitud. 35, 25. ac ita describit, *de magnitudine hujus urbis quæ feruntur, fidem superant. Metropolis est Sermone mercatorum celebris; incolæ è* Chataia *originem ducunt. Sita est in ultimo Oriente, in regionibus* Chataiæ. Ex latitudine quam ei attribuit, incertum est *Peking* an *Nanking* designet: illa enim gr. 40. hæc 32. sita est. Sed ipse *Abul* Feda in prologo testatur, *regionis* Sinarum *quamvis magna & civitatibus refertissima sit, ad se tamen levem ipsius notitiam pervenisse eamque mendaciis refertam.* Ubi observandum ipsum per *Sinam* non aliam regionem intelligere quàm *Chatajam*.

VI. Ma-

ut Scaliger corrupte apud Zaccuthum legit pro *Balbec* & *Roha*. Videtur successisse *Borsequino* in Mesopotamia & Musul, *Tyr.* XVI. 4. *Roduwano* II. Alapiæ. *Tyr.* XIII. 27. XIV. 6. *Borsequin* fuit Turcarum potentissimus, *Tyr.* XI. 23. XIII. 16. qui videtur successisse *Balaco*, ut ex eodem Tyrio patet. *Balac* fuit præfectus *Sororgyæ* in Syria, quam urbem Comiti Edessæ *Balduino* tradidit ac mox iterum contra eum rebellare cœpit. *Tyr.* IV. 6 VII. 7. Fuit Turcarum Princeps magnificus & potens, XII. 17. Satrapa potentissimus, XIII. 11. qui in illa Imperii Turcici dilaceratione circa A. cIↃ CXX. *Carras* & magnam Mesopotamiæ partem obtinuit.

XI. Post obitum *Sanguini* A. cIↃ C XLIII. regnum ejus divisum fuit in *Musulam* & *Halebum* sive Assyriam & Syriam. *Musulam* obtinuit *Myrmican* Codebeddin. *Tyr.* XVI. 7. XXI. 8. ei successit *Hezeddin*; Zaccutho *Seipheddin*, apud *Tyrium* XXI. 8. corrupte Thehebet, cui etiam A. cIↃ C LXXX. successit *Melec* Saleh in principatu Alapiensi eumque *Rebedino* fratri suo tradidit, exutus postea omni fere dominio à Salahdino. *Tyr.* XXII. 19. 24. Post eum meminit Zaccuth Soldani Mussulæ *Atabeg* Zingi, cui successit *Noradin* Arselan Sha, sed hæc series Regum Musulensium apud Tyrium corrupta & mutila est, ut ex *Abul* Pharagio patet, qui Reges post obitum Zengii ita recenset: *Saifoddin* Ga-

zi

zi frater Noradini, *Kotebeddin* Maudud, *Benjamin* in Itinerario *Zinadinum* Noradini fratrem vocat Regem Musulis. Sed ille tantum fuit præfectus, sive vicarius, ut ex Abul Pharagio patet.

XII. *Halebi* Sultanatum obtinuit Noradinus *Tyr*. XVI. 7. Mahmud *Nuridin* Melic Adel *Elmacino* qui Damascum occupavit ejecto Rege *Mejereddin*, Tyr. XVII. 26. & Ægyptum per *Syracunum* militiæ suæ principem ac *Salahdinum* occupavit. *Tyr*. XX. 12. 13. *Cinnamus* eum vocat Νουραδὶν τὸν Βερροιαίου Σατράπην. Per *Berrhoeam* intelligit *Halubum*. *Benjamino* in Itinerario Noradin Rex Togarmanorum, qui Turcæ vocantur, & postea: *Haleb* est regia Regis *Noradini*. Et quanquam vivo Noradino *Salahdinus* nonnisi pro præfecto Ægypti se gereret: ita tamen omnem ad se potentiam traxerat, ut eo mortuo non modo Ægypti Soldanum se constitueret, verum etiam universam Syriam occuparet ac Meleco *Salah* filio Noradini nihil præter Alapiam relinqueret. *Tyr*. XXI. 6. 7. 8. XXII. 19. *Abul* Pharagius. Moriens testamento hæredem scripsit *Hezedinum* Sultanum Mussulæ qui *Alapiam* fratri suo *Rebedino* hic *Salahdino* tradidit. *Tyr*. XXII. 8. 19. 24.

Osman-

Osmannidæ Imperium *Turcarum* per *Asiam, Africam* & *Europam*, vastissimum condunt.

I. *Osmannidarum* familia originem ducit à *Suleiman* Scha Rege *Machan*, qui dum *Zingis* Chanum fugit, fluvio submersus periit. Ex ejus tribus filiis duo in regnum reversi, id beneficio Tartarorum receperunt, tertius *Otrugarel* sive *Ertogrul* ad *Aladinum* Sultanum Guniæ fugit. Hujus Ertogrulis filius fuit *Osman*, quem Aladinus III. dato gladio, vexillo, sceptro, Regem *Carmaniæ* constituit. Zacuth in Zingis, id est præfectum sicut ex *Iovio* XXXIII. patet, ubi iisdem ritibus *Hariadenus* Barbarossa in Bassarum Collegium recipitur.

II. Jam vero quæ illa sit *Machan* valde obscurum est, cum nulla ejus mentio alibi reperiatur in Historia Turcarum, Persarum vel Arabum. *Leunclavius* dicit Turcarum Annales prodere majores *Osmannis* longa serie apud *Machanenses* in Parthia principatu potitos. *Pocockius* in supplemento Abul Pharagii: *Nihil certi ultra* Soliman *Shahum de* Othmannidarum *origine memoriæ proditum reperimus. Illum tradunt à* Jingiz Chani *& Tatarorum impetu, relicta provincia* Mahan *è ditionibus Persarum, cui præerat, in* Asiam *minorem fugisse.* Leunclavius ipse quærens hanc provinciam Mahan vel *Balch* vel *Mecran* Indiæ esse

esse conjicit, quæ sane longissime distant. Potius existimaverim esse illam provinciam quam in *Turkestana* locant & *Mien* appellant.

III. *Osman* provincias citra *Olympum* ad Pontum, cum parte Bithyniæ, *Osmaniam* appellavit. Sedes regni fuit *Itea* sive *Sogutum* sive *Sogutzuca* Mysiæ oppidum. Expugnavit *Isnicam*, sive *Nicæam*, *Ulubadam* prope Cyzicum, *Genischeher* sive Neapolin, secundum Græcos *Natoliam*, *Ancyram* Phrygiæ, *Synopen* Galatiæ, *Sebasten* Cappadociæ & *Prusam* Bithyniæ. Struxit *Osman* Lik ad Olympum, cujus meminit Busbequius. Instituit *Ianizaros* teste Chalcondyla, & jussit omnes Imperatores *Osmannidæ* appellarentur.

IV. *Ur* Chan *Isnicam*, *Genischeheram*, *Ulubadam* & *Prusam* quæ defecerant, recuperavit, *Goinucam* sive Iconium, *Carasen*, *Balen*, *Bargaman*, *Edremytum*, & in Græcia *Zemenicum* sive Χοιρελδόκαστρον prope Madytum & Agasslevinam, *Gallipolin* occupavit: secundum Græcos, *Mysiam*, *Lydiam*, *Lycaoniam*, *Phrygiam*, *Cariam*, *Prusam*, *Niceam*, *Nicomediam*,

V. *Murat* Chan *Gazi*, perfidia Genuensium superato ad Abydum Hellesponto, A. cIↃ ccc LXIII. occupavit *Adrinam* sive Adrianopolin, *Hemdam* sive Cerasum, *Cuthagiam* sive Cotyæum Phrygiæ, *Albam*, *Hierapolin*, *Matuliam*, *Cavalam*, *Direm* & alia Thraciæ & Chersonesi oppida.

Pheram & *Rhodopes* confinia : ſecundum Græcos *Didymotychum*, *Callipolim*, *Sirum*, oppida Thraciæ & Macedoniæ ſubegit. Sedem Pruſa *Adrianopolin* tranſtulit. *Genizaros* certis legibus aſtrinxit ac confirmavit.

VI. *Bajazites* Hildrin ſive Λαίλαψ, ſtrangulato fratre *Zacupe* Zelebi, primus morem illum introduxit, *Kirathoum*, oppidum ad Hæmum, *Vidinam* ſive Viminacium, *Tanabit*, *Cirros*, *Sarchaniam*, *Melatigen* ſive Meletinen, *Erzingam* Armeniæ, *Siliſtram* & *Empolim* ſive Amphipolim Macedoniæ, *Conion*, *Album* Caſtrum, *Nigden*, *Cæſaream* Carmaniæ, *Melatigen* ſive Meletinen, *Diorrygem*, *Guxinem* Turcomanniæ, ſecundum Græcos *Theſſaliam* & *Phociden* ſubegit, *Amaſiam*, *Iconium*, *Sebaſten* amiſit.

VII. Sub hoc, *Timur* ſive *Tamerlanes* Imperium Turcicum Aſiaticum penitus deſtruxit : unde magna poſt captum Bajazeten inter ejus filios confuſio & diſcordia; donec tandem *Muhammed* I. extinctis æmulis fratribus, ſolus Imperio potitus, Provincias Aſiaticas ejectis Tartaris recuperavit & A. CIↃ CCCC XXX. *Serviam*, *Walachiam* & magnam *Slavoniæ* partem ſubegit ac primus *Danubium* trajecit, *Macedoniam* domuit, ad *Ionium* uſque mare pervenit.

VIII. *Murad* ſive Amurathes II. *Smyrnenſem* principem expulit, *Theſſalonicam*

A. CIↃ

A. cIↄ cccc xxxviii. Venetis eripuit. *Ætoliam*, *Albaniam*, *Cariam*, *Phrygiam*, *Pisidiam*, *Caramaniam* subegit. A. cIↄ cccc xlv. *Isthmum* Corinthiacum occupavit. Sub hoc institutos fuisse Janizaros *Iovius* censet. Sed antiquiorem esse eorum originem & jam sub *Osmane* ac *Vrchane* cœpisse ex *Chalcondyla* patet. Ergo numerum eorum forte auxit Amurathes II.

IX. *Muhammedes* II. A. cIↄ cccc lii. *Athenas*, *Munychiam*, *Piraeum* diruit, A. liii. *Constantinopolin* & *Peram*; deinde *Spartam* A. lviii. *Corinthum*, *Graciam*, *Paphlagoniam* Ismaele A. lx. *Trapezuntem* Davide, oppressis, *Lesbum*, *Dorobyzam*, *Iaizam*, *Clissam*, *Peloponnesum*, *Epirum*, *Eubœam*, *Tauricam* Chersonesum, *Capha* Genuensibus, *Mancup* Gothis erepta: *Chalcidem*, *Scodram*, *Leucadiam*, *Ithacam*, *Narentum* sive Neriton, *Cephaleniam*, *Zacynthum*, *Hydruntem* in Apulia & in universum duo imperia *Constantinopolitanum* & *Trapezuntinum*; quatuor regna, *Syriam*, *Peloponnesum*, *Armeniam*, *Slavoniam*, Provincias xx. urbes cc. sibi subjecit.

X. *Bajazetes* II. *Cerauniorum* montium accolas, *Epirum*, *Moldaviam* subegit, *Tharsum* & *Adanam* Sultano Ægypti, *Naupactum*, *Dyrrhachium*, *Modonam* & *Coronam* Venetis eripuit. Amisit A. cIↄ cccc lxxxii. *Hydruntem*, *Epirum*, *Bosnam*, *Leucaden*, *Cephaleniam*, *Neritum*.

XI. *Selimus* I. victo in Calderanis cam-

pis *Tabris*, *Aladuliam*, *Syriam* & *Ægyptum* A. cIↃ IↃ XVII. ſubegit, de quo *Iovius* XIV. XVII. XVIII. Solimannus cæſo *Ludovico* Rege Hungariæ A. cIↃ IↃ XXI. *Albam* Græcam, *Strigonium*, *Belgradum*, XXII. *Rhodum*, *Quinqueccleſias*; XXVI. *Budam* in Hungaria cœpit: Perſis *Aſſyriam*, *Meſopotamiam*, *Mediam*, *Babyloniam*, eripuit: *Bagdadi*, à Chalifa, Rex *Perſiæ* declaratus eſt. A. XXXIV. regnum *Tunetanum* pulſo per Hariadenum Barbaroſſam *Muleaſſe* & omnibus mediterraneis pariter ac maritimis urbibus potitus eſt, ut *Carvenna*, *Biſchri*, P. *Iovius* XXXIII. XXXIV. Sed anno XXXV. *Tunetum*, reſtituto per Carolum V. *Muleaſſe*, iterum amiſit.

Aladuliam Turcæ ſubigunt.

I. Cum *Tamerlanes* Aſiam vaſtaret, multi in Cappadociæ & Armeniæ inacceſſos montes confugerunt, ubi natura loci tuti, pagos & oppida ſtruxerunt, ac numero & robore aucti poſt mortem Timuri, optimus quiſque regium nomen ambitioſe uſurpavit. Metropolis horum erat *Maras*. *Iovius* XVII.

II. Nomina Principum priorum ignota ſunt. *Cheſuwarti* meminit *Ghiſtele* VI. Itin. 18. & VIII. I. qui cum *Caitbeio* Sultano Ægypti bellum geſſit. Ei ſucceſſit *Aladulus*, à quo ipſa regio *Aladulia* dicta, quam Selimus I. Turc. Imp. A. cIↃ IↃ XVI. ſubegit & in provinciæ formam redegit. *Iovius*.

Anado-

Anadoli, corrupte *Aledeule* Rex urbis *Maras* à Selimo eversus. P. *Luccari* in Annal. Ragusin. lib. IV.

III. In Continuatione *Belli* sacri l. VI. cap. 8. ita hujus regni Aladuliæ fines describuntur. *Aladulus* Cappadociæ *montes illos quem* Taurum vocant, *prope* Eufratem *incolit, ac regni sui fines terminat cum* Sultano *quidem Alepum versus, cum* Sophi *vero prope minorem Armeniam, cum* Turca *autem urbe quadam quam* Orfam *nominant*, Amasiæ *Sanjacatui atque* Iconio *opposita. Et valles sane aliquot fructiferas, verum plures* silvestres *&* saxosas *possidet.*

Christiani regna *Georgiæ*, *Abcassiæ* & *Armeniæ* condunt.

I. Cum post obitum *Barkay Ruc* magna inter Soldanos Turcicos discordia esset, *Christiani* intra montes Iberiæ & Armeniæ munitionibus locorum freti se contra vim eorum defenderunt ac tria regna condiderunt, *Georgiæ*, *Abcassiæ*, & *Armeniæ*, Haitho XV. Termini eorum sunt ad Orientem, mons *Alboris* (legendum *Alburs*, id est Caucasus) & *Alania*, ad Occidentem *Turcia*. Haitho cap. x. *Thuan.* LXVII.

II. Regnum *Abcassiæ* potentissimum fuit, quod nec *Saraceni* nec *Turcæ* aut *Tartari* subigere potuerunt. *Haitho* cap. x. & XV. inquit: *Regnum* Abcasiæ & *provin-*

cia *Armeniæ* Haloën *nunquam subacta sunt à Saracenis & fuerunt refugium omnium Christianorum.*

III. Regnum Georgiæ *Iberorum* metropolis tempore *Iustini* II. *Tiphilis* erat, eorum dux *Gorgon* sive Gurgenes. *Photius* Codice LXIV. unde sine dubio *Gurgestan* nomen accepit. Circa A. cIɔ cc XLVIII. duo Reges *Gorjestanæ* memorantur ab Abul Pharagio; *David* magnus & *parvus*. Circa A. cIɔ ccc. uni Regi subjectum fuit, in quo tenebricosa illa provincia (veterum Cimmeria) *Hamsem*, quam se vidisse refert *Haitho* cap. X. Tempore *Tammasi* Regis Persiæ sex erant regna totidemque Reges Georgianorum, *Aitunchalensis*, *Bassachiacensis*, *Zagenensis*, *Testicensis*, *Brussianus* & alius in Iberiæ partibus, de quibus *Thuanus* LXVII. & *Minadous*. Nomina eorum erant *Manichar* Alexander, *Leventolius*, *David*, *Simon*, *Jusuf*, *Sahamal*, cui successit *Emangulichan*, & regnavit in monte Brue, *Bassachinaus*.

ARMENIÆ.

I. Fines regno *Armeniæ* amplissimi fuerunt inter *Persiam* & *Turciam*. Complectebatur partem *Mediæ*, in qua *Taurisium*, & *Ciliciam*, in qua *Tarsus* sita. *Haitho* XIV.

II. Regni *Armeniæ* prima fundamenta posuit quidam *Melibus* Armenus, qui A. Iɔ cccc XV. *Maraashum* profectus omnia late vastavit. *Abul* Pharaj. *Cinnamus* primum

mum Armeniæ principem vocat *Τορὸσίω*. *Benjamino* Tudelensi in Itinerario *Thoros* eumque regnasse dicit à *Coruco* ad urbem *Doceam* & *Turcomanniam* usque. *Tyrio* Thoros xx. 27. 28. cui successit *Thomas*, huic *Melier*. Torusio *Cinnamus* alium quoque principem Armeniorum conjungit *Τιγρεάνω*. Et postea: *Τιγρέζης ὃς Ἀρμενίων ἐδυνάστευσε.* Et *Τορέτζη συμμεμετρηκότα μὲν τὸ ζῆν Μελίας ὃς ἀδελφὸς ἦν αὐτῷ χώραν παρειλήφει.* Idem ad A. circiter cIↃ c XL. *Λιβούνης ἀνὴρ Ἀρμένιος* *Isauriam* occupavit. Hunc Latini vocant *Livenum*. Abul *Pharagius*. A. cIↃ CXII. mortuus est *Basilius* Armenus Portarum regionis Filii Leonis Dominus: qui *Cug-Basil* id est *Basilius Latro* audiit, quod furto quasi arces non paucas in confiniis occupasset, quas in hodiernum usque diem possident Armeni.

III. Primus Regis Armeniæ titulo usus fuit *Hatem*, ut eum vocat *Abul*Pharajus, ab Europæis *Haitho* appellatur. *Vincentius* XXXI. 29. tradit *Leonem* A. 1242. primum Regem creatum à *Papa* & *Ottone* IV. Imp.

IV. Hoc regnum *Armeniæ* complectebatur *Ciliciam*. Sedes Regum erat *Sis* vel *Tarsus* urbs; *Ayas* priscorum *Issus*. Hateno successit filius *Leo*. A. cIↃ c XCVI. coronatus fuit Rex Armeniæ *Leonettus* I. cui A. cIↃ CC XXV. successit *Haitho*, qui annis XLV. regnavit, cui *Haolon* Tartarus multas regiones donavit. *Haitho* 28. Post hunc *Li-*

vonus five *Leonettus* fub tutela *Caitonis* ufque ad A. cIↃ ccc VII. deiń fub tutela *Chioyfiæ*. Obiit A. cIↃ ccc XXXVI. fine prole eique *titulo* tenus fucceffit *Iacobus* I. Rex Cypri. Venit tamen circa A. cIↃ ccc. xc. *Leo* quidam Rex Armeniæ in Europam rogaturus auxilia Principum Chriftianorum. *Continuatio* Tyrii.

V. Cæterum hinc fraus quædam detegenda, quæ *Æneæ* Sylvio poftea *Pio* II. turpiter impofuit *Epiftola* ccc LXXVII. & LXXVIII. Ubi memoratur *Georgius* Rex Perfarum Chriftianus. Si intelligas *Georgium* ducem *Rufforum*, rès clara erit. Is enim eo tempore vixit, *Affembec* vocatur filius *Carailuci*. Id rectè & cum Leunclavii traditione confonat. *Afmailberch* filius *Difpendiarii*. Corrupte. Scribendum: *Ifmailbeg* filius *Ifpendiarii* ut ex Leunclavii Genealogiis patet. *Ifphendiar* fuit princeps *Omerogliorum*. Ejus nepos & ultimus ex familia Omuria *Ifmailbeg*. Has Epiftolas Æneæ *Sylvio* obtrufas fcribit *Baronius*. Petrus *Luccari* in Annalibus Ragufinis fcribit, *circa* A. cIↃ cccc LXIV. *fedus pepigerunt contra Turcam* Bendiam *Rex* Mengreliæ, Georgius *Rex* Iberiæ, Murat Vaurbech de Diarbek *Rex* Armeniæ *Minoris*, Hurem Difmail Spende Chiarli *Princeps* Synopes. Quæ adhuc corruptiora nominum monftra funt. *Bendian* quidem fuit Rex Mengreliæ circa A. 1448. tefte JofephoBarbaro & ejufdem nominis idem vel alius A. 1473.

Latini

Latini condunt regnum *Hierosolymæ.*

I. *Latini* vocantur *Occidentales* Christiani, qui authoritatem Papæ Romani agnoſcunt, ab Orientalibus *Franci* vocantur. Ita Exercitum *Godefredi* Bulionæi Elmacinus *Francos* vocat.

II. De expeditione Latinorum in terram Sanctam videatur *Wilhelmus* Tyrius. Capta fuit *Hieroſolyma* A. cIↃ xcix. Rex creatus *Godofridus* Bulionæus, Dux Lotharingiæ. Complectebatur hoc regnum ſub ſe Ducatum *Antiochenum* & *Tiberiadis*, Comitatum *Edeſſæ*. Balduinus *Antipatrida*, *Cæſaream*, *Ptolemaidem*, *Tripolin*, *Berytum*, *Apamæam*, *Laodiceam*, *Carras* & *Pharum* Ægypti cepit. Balduinus III. *Tyrum* & *Raphaneam* in Caſiotide. Balduinus IV. à *Sanguino* & *Noradino* Edeſſa ſpoliatus fuit. Ultimus Rex Hieroſolymæ fuit *Guido* Luſignanus, quo regnante *Saladinus* Hieroſolymam expugnavit. Ipſe Guido *Cypri* regnum à Richardo Rege Angliæ accepit. Chriſtiani *Ptolemaidem*, *Tyrum* aliaſque urbes receperunt ac *Tyri* ſedem regiam collocavit *Johannes* Brenna, cujus filia *Jola* ducti *Fredericus* II. Hieroſolyma recepta ibi coronatus eſt: ſed mox omnia iterum amiſſa, præſertim cum Soldanus Ægypti Ptolemaida ſive Acconem expugnaſſet.

Drusi montem *Libanum* occupant.

I. *Drusi* ex reliquiis Francorum originem trahere perhibentur. Sed ex *Benjamine* Tudelensi patet nationem fuisse peculiarem circa *Sidonem* quæ *Dogzyn*, (lege *Drogzyn*) vocabatur, paganam & atheam, nullius religionis, in altis montibus & rupium antris habitantem ad montem usque *Hermon*, quibus neque Rex neque princeps ullus imperarit. Atque hinc patet *Druscos* jam ante destructum Francorum in Palæstina regnum fuisse; nec credibile *Francos* tam subito in tantam barbariem & brutalem impietatem corruptos fuisse. Mera ergo est *fabula*, quod *de Drusis* vel *Truscis*, ex Francorum, qui Palæstinam occuparunt, reliquiis originem trahentibus, vel *jactant* ipsi vel *creditur* ab aliis.

II. Circa A. cIↃ IↃ LXXX. principes eorum fuerunt quinque *Ibneman*, *Serafadin*, *Mahemed Ibn* Mansur, *Ibn Frec*, *Ali* Ibn Cars; quos omnes *Turcæ* A. LXXXV. subegerunt, *Minadous*, *Rauwolf*.

TAR-

TARTARICA.

TARTARI antiquiſſimi *Sinarum* hoſtes fuerunt.

I. *Tartarorum* nomen, quod Europæis, Anno demum cIↃ cc. innoteſcere cœpit: apud Sinenſes & Perſas antiquiſſimum eſt, quemadmodum ſupra in Turcarum rebus ex *Mirchondi* Tomo IV. oſtendimus. Quos enim antiqui Geographi *Scythas* extra Imaum montem appellarunt, eos Sinenſes & *Perſæ* vocant *Tataros*, vel *Tata*.

II. In Annalibus *Sinenſium* jam ante *Yvum*, qui primus familiæ *Hiaa* Imperator habetur, id eſt ante diluvium Noachicum *Tatarorum* mentio, quod pro fabuloſo habendum. Certior eorum notitia in tempora *Xy* & familiam *Cinam* incidit, à qua *murus* ille ingens excludendis à Sina Tartaris conſtructus fuit. Unde patet jam tum formidabilem eorum Sinis potentiam fuiſſe. Vocantur autem ab Hiſtoricis Sinenſibus *Tata*, ob defectum literæ R. ipſi ſe *Tartar*, Europæi *Tartaros* geminata canina appellant.

III. *Duplex* autem illa Sinenſibus nota Tartaria eſt: Una *Orientalis*, Europæis hactenus incognita, & non niſi nupero bello quod A. cIↃ IↃ c XVI. cœpit & cum deſtructione Sinæ ac familiæ *Taiminga* A. cIↃ IↃ c XLIV. finitum eſt, innotuit: altera *Occidentalis* ſive *Tanyu*, quam *Zingis* Chan & *Timur* poſſederunt.

Occidentalis Tartariæ Imperium instauravit Zingiz Chan.

I. *Occidentalis* Tartaria complectitur omnes illas regiones quas Persæ & Saraceni uno nomine *Mawaranahhram*, id est *Transoxianam* vocant. Sinenses dicunt incipere à regno *Cascar* & complecti regna *Samahan* id est Samarcandæ & *Tanyn* sive *Tangu*, quæ videtur esse *Tangut* Pauli Veneti.

II. Quanquam vero jam antiquissimis temporibus *Occidentalium* horum Tartarorum in suis Historiis meminerint *Sinenses*, & *Persæ*, qui tamen certam Regum successionem non tradunt (excepta illa quam supra ex *Mirkond* exposuimus) hinc nihil de illorum rebus ordine tradi potest, nisi quod sparsim in Annalibus illorum reperitur.

III. *Sinenses* duorum tantum nomen exprimunt, *Hubansieni* qui sub Imperatore *Iveno*, ante Christum circiter annis XL. in Tartaria *Tangu* regnavit; & alterius qui sub Hiaovuo, paulo antiquior fuit *Hieutu*, cujus filius condidisse videtur familiam *Kin*, ex qua postea ortus *Zingis* Chan.

IV. Et Sinenses quidem non contenti Tartaros ingenti muro exclusisse, animum insuper ad domandam *Tartariam* occidentalem sub Imperatore *Hiaovuo* adjecerunt, cujus belli is fuit exitus, ut *Tartari* atro-

cissimis

cissimis prœliis superati, majestatem *Sinicam* imposterum agnoscerent. Ac tum temporis *Sinæ*, regnum *Kara* Kathai condiderunt. Sed non diu in fide perstiterunt Tartari, ideo frequentia inter ipsos & Sinas bella fuerunt, donec tandem familia *Zingis* Chanica A. cIɔ cc LXXVII. totam Sinam expugnaret ac sibi subjiceret.

V. Et tum temporis Imperium *Sinense* appellari cœpit *Cataia*, præcipue *Boreales* sex provinciæ & regia urbs Peking *Cambalu*. Sinis enim *Lu* dicuntur Tartari, *Pa* sive *Pe* est septentrio. *Cam* est Magnus. Unde cum Tartari Imperatoriam suam sedem transtulissent in urbem *Peking*, ea *Cambalu* id est Magni *Tartarorum* Imperatoris sedes *Borealis* appellata fuit, *Abulfeda* urbem vocat Chan*Balek* eamque collocat gr. long. 144. latitud. 35, 25. ac ita describit, *de magnitudine hujus urbis quæ feruntur, fidem superant. Metropolis est Sermone mercatorum celebris; incolæ è* Chataia *originem ducunt. Sita est in ultimo Oriente, in regionibus* Chataiæ. Ex latitudine quam ei attribuit, incertum est *Peking* an *Nanking* designet: illa enim gr. 40. hæc 32. sita est. Sed ipse *Abul* Feda in prologo testatur, *regionis* Sinarum *quamvis magna & civitatibus refertissima sit, ad se tamen levem ipsius notitiam pervenisse eamque mendaciis refertam.* Ubi observandum ipsum per *Sinam* non aliam regionem intelligere quàm *Chatajam.*

VI. Ma-

VI. Magnus igitur *Cham* ab Anno cIↄ cc LXXVIII. usque ad A. cIↄ ccc LXVIII. non fuit alius quam Imperator *Tartarorum* in Sinis regnans: eo expulſo, Imperator *Sinarum* ab exteris dictus & habitus fuit Magnus *Cham*, ejus regia *Cambalu*, ejus Imperium *Cataia*. Nomina autem *Cataia* & *Cambalu* Europæi à Saracenis, & à M. *Paulo* Veneto, qui expugnationi Sinarum interfuit, acceperunt. Atque hæc etiam cauſa, cur *Cataia* & *Mangi* & *Sina* pro diverſis regionibus habitæ fuerint ab Europæis. *Cataia* erant ſex provinciæ Boreales, quas Tartari tenebant. *Mangi* erant auſtrales, adhuc in poteſtate Sinenſium, quarum metropolis *Quinſai* vel *Nanking*. Tartari enim Sinenſes contemtim vocant *Mangiu*, id eſt *Barbaros*. Cumque huic expugnationi Sinarum multi Europæi intereſſent, reduces *tormenta* bellica, *Typographiam* & *magnetis* uſum, à Sinis acceptas artes, in occidente propagarunt.

VII. *Perſarum* vero Annales, quicquid Græci ſcriptores Scythis tribuerunt, hoc illi *Tartaris* adſcribunt. Tradunt igitur circa A. Ch. cccc regnaſſe in *Tartaria* præpotentes Reges quos communi nomine vocant *Hhakon* Chiny, proprio *Zingis* & *Chabacha*. Plures ab *Mirkhondo* non commemorantur, & altum inde uſque ab Anno Iↄ c. de *Tartaris* ſilentium eſt ad tempora *Zingis* Chan, eorum autem loco *Turcarum* mentio fit: unde colligitur

ſigitur hoc regnum *Tartaricum* à *Turcis* deſtructum, in eorum nomen ac poteſtatem conceſſiſſe: *Chagani* autem impoſterum in Taurica commemorantur *Chazaris* & *Avaribus* præfuiſſe, eo procul dubio à Turcis fugati & expulſi.

Imperium *Neſtorianorum* in Scythia *Tartari* deſtruunt.

I. In *Scythia* circa *Cathayum* regnarunt ante multa ſecula Imperatores *Neſtorianorum*, dicti communi nomine *Vngchan Iuhanna*, ab Europæis *Presbyteri* Johannes. De quibus ita *Abul* Pharajus: *Eo tempore circa* A. cIↄ cc. Turcarum Orientalium *tribubus imperavit* Ungchan, *qui* Rex Johannes *appellatus eſt è tribu, qua* Cerrit *appellatur, erantque populus qui Chriſtianam religionem profitebatur.* Ex *Abul* Pharajo ſua, quæ de hoc magnorum Tartarorum Imperio tradit *Zaccuth* Salmanticenſis in *Iuchaſin*, hauſit, ut *Pocockius* monet. Idem alibi: Zingiſchan, *occiſo* Ungchan *illi qui* Rex *Juhanna* ſeu *Johannes* dictus eſt, è tribu *Carrit*, quæ Chriſtianam profitebatur religionem, ad Imperium evectus eſt circa A. Ch. cIↄ cc II.

II. *Martinius* in Atlante Sinenſi tradit hoc regnum *Preti* Joan, fuiſſe illam regionem quam Sinæ vocant *Sifan* & quæ complectebatur regnum *Caſcar* & *Tebet*, in quo poſteriori late regnavit ille *Neſto-*

riano-

rianorum Imperator Presbyter *Johannes* Europæis dictus, de quo quid *Zaccuth* Judæus Salmanticensis in libro *Iuchasin* tradat, apud Scaligerum videri potest.

III. Nomen igitur hujus regni fuit si *Zaccutho* credimus, Magna *Tartaria*. *Abul Pharajus* vocat Turciam Orientalem. Quia Turcæ & Tatari interdum promiscui pro una gente sumuntur. Provinciæ, *Tenduc*, *Argon*, *Tangut*, *Tebet*, *Mogul*, *Ung* Venet. I. 64. *Kitha* Zaccuth in Nazar, & aliæ plurimæ. Unde patet à muro Sinensi usque ad Indiam & Jaxartem extensum fuisse. Sedes Imperii fuit in Ardebalig id est regione *Balch*. *Zaccuth*. Nazar. Titulus *Chan* Zacc. vel *Cham*. Venet. I. 51. 52. 53.

IV. Initium hujus Imperii non constat. Jam circa A. cIↃxvII. *Zaccuth* in *Kadar* meminit Regis *Tagan*. Ejusdem meminit *Abul*-Pharaj. Inde series deficit usque ad A. cIↃcc. quo *Zaccuth* commemorat *Johannem* Unadchan Magnorum *Tartarorum* Regem Christianum. Venetus vocat *Uncam* l. 51. 52. 53. *Abul Pharajus Ungchan*, qui Rex *Johannes* appellatus est, è tribu quæ Cerrit vocatur, erantque populus quæ religionem Christianam profitebatur. *Vincentius* Spec. xxix. 69. & *Michovius* I. de Sarmat. 2. Davidem. Europæis communi nomine Presbyter *Iohannes* à Persica voce *Prestegan* quod Apostolicum significat ut *Scaliger* VII. de Emendat. Temp.

Temp. vult. Hinc quæstio nata, quomodo Paulus Venetus potuerit Imperium Presbyteri *Johannis* in Asia ponere, cum alii ut *Cadamustus* cap. 60. *Vartoman* II. 15. in Africa ponant. Munsterus sane Venetum ab errore non posse defendi existimavit. Scaliger fugam Presbyteri *Johannis* ex Asia & India in Africam finxit. Sed Venetus expresse testatur illam de titulo Presbyteri *Johannis* non suam esse, sed vulgi opinionem I. 51. 64. II. 30. De quo plura in *Abassenis*.

V. Hi Reges Tartarorum etiam Chatæi dicti fuerunt ut ex *Abul Pharajo* patet. Ita enim inquit: A. cIↃcLXXI. Chatæi fluvio *Iihune* trajecto Chowaresmiam petierunt & capto duce Chowaresmiorum eum Chatæi secum in regionem transfluvialem abduxere. *Zingis* Chan in potestatem suam redegit regiones *Kara* Chataiæ. *Fuit autem regionum Igur* (quæ Turcarum numerosa gens sunt) *Princeps Imperio Regis Chataorum subditus*. Ex quibus apparet regnum Karacataiæ amplum & usque ad Jaxartem protensum fuisse. In divisione Zinchischanica dicit Pharaijus, *Utacin intra terminos Chataia substitit*. Chataiam autem distinguit à regionibus Chowarezmia & Allgur aliisque. Laudat *Zingis* Chan pretiosas vestes Regum *Chataorum*: unde patet *Chatajam* illam fuisse Sinensis Imperii partem vel Coloniam. Quinimo partem *Sina* fuisse *Chatajam* evidentissime

me patet ex eodem *Abul Pharajio* ubi inquit: Hoc tempore Chatæorum quidam Rex in Mogulenses rebellavit. *Mungaca* Kaan igitur *Sinæ* regiones ingressus est.

VI. Tandem hoc Imperium à Mogolibus destructum fuit. Quippe Uncam à *Zingis* Chan victus, Tenduc & alia regna aliquandiu sub tributi conditione tenuit, ac moris erat ut omnes Reges ex familia *Zingis* Chanica uxores sumerent. *Venetus* I. 64. *Mandevil.* Itiner. cap. 93. 94. 95. 96. qui tamen potentiam hujus regni nimium extollit. *Abul Pharajus* tradit *Vng* Chanum à *Zingis* Chano fuisse occisum, uxoresque ejus, & liberos in captivitatem abductos; & Conjugem Zingis Chani, fuisse filiam Ung Chani. Et tamen ex eodem patet non omnem *Chatajam* à *Zingis* Chano subactam fuisse; quippe *Ogotai* successor Zingis statuit regionesChajatæ subjugare & *Altun*Chanum victum, ad vivicomburium spontaneum, instar Sardanapali, adegit. *Altun* Chan ab *Hoktai* successore *Zingis* cæsus & regnis *Kitha* ac *Kutin* exutus est. Zaccuth in *Hoktai*. Inde quid cum hoc regno factum & quando plene deletum fuerit non constat. *Vincentius* XXIX. 87. & XXXI. 10. dicit Indiam Magnam sive Imperium Presbyteri *Johannis* non potuisse à Tartaris subigi. *Mandevil* ita de eo scribit quasi suo tempore adhuc excelsissime floruisset. Sed fabulosus ille fidem nullam meretur.

VII. An

VII. An hodieque aliqua extra Sinam *Cataya* sit ignoratur. Tradit quidem *Mendoza* in descriptione Chinæ parte tertia cap. XII. Regem *Catayæ* circa A. Ch. cIↃ IↃ LXX. vocatum fuisse *Emmanuelem*. Sed qualis illa vel *Cataya* sit vel Rex *Emmanuel* quis conjicere potest. Figmenta sunt illa forsan peregrinantium Monachorum, & in gratiam *Lusitanorum*, ut ex nomine patet, conficta.

VIII. Cæterum ut exactius constet quænam illa veterum pariter & recentiorum tam decantata & famosa *Cathæa* vel *Chataia* sit, repetendum est illud quod supra in Alexandro & postea in Sinensi Historia demonstravimus, *Cathæam* ab Alexandro debellatam, esse illam ipsam provinciam quam Sinenses hodie *Suchuen* vocant. Argumenta talia ad hoc demonstrandum tum à situ, à proventu salis, & metallorum, cultu ac sapientia populi, Regum nominibus allata sunt, ut nemo refragari possit. Est igitur *Cathæa* veterum & *Chataia* recentiorum provincia *Suchuen*, quæ extra murum ac terminos *Sinæ* sita, cultu tamen & moribus quam proxime ad Sinenses accedit. Nam quamvis Sinarum Imperatoris Majestatem agnoscant, cætera tamen sub propriis Regibus liberi vivunt *Chatai* sive *Suchuenses*. Et hæc est illa Chatæa in qua regnavit ille Presbyter *Johannes* sive *Ungchan* & per quam *Zingis* Chan viam sibi ac aditum in

ipsam

ipſam Sinam aperuit. Quippe Tartari non per Septentrionem & murum, ſed ab auſtro, viis patentibus ac per *Chataam* in Sinam penetrarunt, ut ex Paulo *Veneto* patet. Hic verò prætermittere non poſſum turpes errores Dlugoſſi Tomo I. libro VI. Hiſt. Polon. ad A. Ch. clↃ c LXXXVII. qui referens Tartarorum originem dicit eos prope civitatem *Coroczoram* habitaſſe, tributarios Regi *Buham* (*Ungchan*) qui *Johannes* Presbyter appelletur, proprium Regem *Tinchis* (*Zinchis*) elegiſſe.

ZINGIZ Chan condit Imperium *Mogolorum*.

I. *Mogoli* erant horda Tartarorum ſub Imperio *Johannis* Uncam, qui proprios in *Cathaia* & *Kotan* habebant Principes, deſcendentes à *Buzaniar*, ex cujus poſteritate nonus fuit *Sukuh Badur*, id eſt *Bellicoſus*. *Mirk*. Cumque *Johannes* Uncam creſcentem *Mogolorum* potentiam ſuſpectam haberet, ad imminuendas eorum vires per diverſas ac longe diſſitas provincias diſtrahere eos volebat. Sed *Mogoli* divelli nolentes in Provinciam *Carocoram* Septentrionem verſus ac compeſtria *Bargu* migrarunt *Uncamo* tributum negantes. *Venetus* I. 51. 61. Poſt aliquot annos cum *Temucin* filius *Sukuh Baduris* proditionis apud Imperatorem *Uncam* falſo argueretur, inſidiatoribus vitæ ſuæ oppreſſis, ad populares

lares suos confugit, *Zacc.* in *Natzar* ac simulata divina vocatione Rex A. CIↃ C. LXXXVII. (*Mirkond* dicit & CIↃ C LXVI.) à *Mogolis* creatus & victo in Tenduccanis campis *Uncam*, mutato nomine *Zingis* Chan id est Rex Regum vocatus fuit. *Vincent.* XXXI. 8. *Venet.* I. 52. Sed de origine Imperii *Mogulensis* operæ pretium est audire Gregorium *Abul Pharajium* qui accuratissime omnia exponit. Inde omnibus intra montem Belgian provinciis occupatis, constitutiones tulit Imperiales quæ *Iazak Zingis* Chan appellantur. *Haitho* capite 17. Subegit autem omnes Hordas Tartarorum & regna *Ketao Kotan*, *Helan*, *Tangut*, aliasque provincias, quæ *Naimen*, *Metrit*, *Merkat*, *Sarnuyur*, *Caranit*, *Hudirat*, corruptis sine dubio nominibus à Vincentio appellantur XXXI. 8. 9. Anno CIↃ CCXIX. *Tartaria* cum innumerabili exercitu egressus in regiones *Mawaranahher* irrupit ac *Chorasmios* in *Karason* & *Kilan*, sive ut Vincentius loquitur XXIX. 88. in *Georgiam* id est *Tzirtzan* quæ & *Kilan*, expulit, inde Persia ingenti cæde exhausta, in ipsam Indiam fugavit. Atque ita ingens illud Imperium Tartaricum à *Zingis* Chan & obscura hactenus Mogolum gente conditum fuit. Leges quibus novum hoc imperium superstruxit hæ fuerunt; *Solum Deum cœli colendum & Chamo in omnibus obediendum*; Ut Magnus *Chamus* Tartarorum nigerrimo & detrito panno

panno imponeretur; ut pennæ bubonis tanquam felicitatis insignia gestarentur; ut numerus novenarius sacer esset & omnia dona quæ Imperatori offerrentur, novensilia essent. *Haitho* cap. 19. Ut singulis annis XXVIII. Augusti qui ex Imperatoria familia essent & populus *Horiah* lac equinum biberent omnesque Imperatores in monte *Alchai* (quem ab *Haithone Belgian* vocari Ortelius putat) sepelirentur. *Venet.* I. 53. 54. 66. Multa ab *Haithone* & *Vincentio* aliisque fabulose & corrupte de nominibus provinciarum & hordis Tartarorum traduntur, qualia ex multis sunt: mare *Caspium* Tartaris viam aperuisse, *Haitho* 17. Sedem *Zingis* Chan fuisse *Capham*, Zaccuth, *Mogolos* Georgorum regibus tributarios fuisse. *Curio* III. Hist. Sarac. *Thuan.* LXVII. *Zingis* Chan A. cIↃ CC VI. Sinis quoque, quorum regio *Catai* dicitur, bellum intulit quod usque ad A. cIↃ CC LXXVIII. continuatum ab ejus successoribus fuit, donec tota *Sina* à *Tartaris* expugnaretur, ut alibi dictum. Obiit *Zingis* Chan in regione *Tancut*.

ZINGIZ Chan victo *Ungchan*, ad Imperium pervenit.

I. Tempore *Pisonga* Behadir & initio *Temuzyn* sive *Zingis*, populi *Mogolum* & *Tatár* non parebant uni principi, sed vel singulæ vel binæ tribus peculiares duces habe-

habebant. Unde Zingis multa contra eos bella gessit, donec se recepit ad castra *Oung* Chani *Chataorum* Imperatoris.

II. Hic *Ung* Chan inter *Turkestana* Chanos potentissimus tum erat: ei Zingis rebellem tribum *Mecrit* (meminit ejus Vincentius) subjecit. Tribus quoque *Totar, Tabziout, Kankarât, Naimân, Zielair* & aliæ rebellabant, quos omnes *Vng* Chano subjecit *Zingis* Chan. *Vng* Chan erat ex tribu *Karrit* vel *Keraiet*. *Vng* Chan occisus fuit A. H. 592. & eodem anno *Zingis* Chan imperium *Vng* Chani occupavit anno ætatis suæ 49. Debellavit inde *Tajoc* Chan Principem *Naimanorum* & tribus *Dezjan* (cui successit *Boeiruk* Chan frater) *Tatar, Kabkin, Salziou, Mecrit*, aliasque. *Korultai* dicuntur Comitia Tartarorum. Et tum *Temucin* appellatus fuit *Zingis* Chan, quod idem ac *Rex* Regum. *Kara* Chataia erat regio *nigrorum* Tartarorum, quorum tum Rex *Curchan* qui *Turkestana* imperabat.

III. *Kara* Chatæis Rex suus *Cour* Chan, id est Regum Rex vel Chan Chanorum dicitur, suntque illi *Kara* Chatæi ex celebriori & spectabili gente Orientis, oriundi scilicet ex ipso *Chataia* regno & in partibus *Imel* Turcis permixti regnum condiderunt. Erat eo tempore in urbe *Belasgoun* (Balachgjam) quam Mogoli *Balyg* (Balch) vocant, id est oppidum pulchrum, *Chan* quidam ex posteritate Efrasiab: hic

ut se

ut se contra tribus Turcicas *Karlak*, *Kipfsiak* & *Kiakeli* tutaretur, urbem *Belasgoun* seque submisit Regi Kara Chatæorum *Courchan*, & ab eo nomine Turcomannorum sublato, nomine Chani *Eiluc* nuncupatus fuit. Inde ditiones *Cashgar* & *Chuten* occupavit, populos domuit *Pysibalig*, *Fargiz*, *Mawaranahhr*, *Fergana*, *Sinziar* A. H. 536. Turkestanæ, Chowarezm quorum Sha dicebatur *Atsiz* : ei successit filius *Tekiss*, huic *Muhamed*. Mortuo *Cour* Chan successit *Cujang* & ipse *Cour* Chan dictus qui 81. annos regno potitus fuit, coætaneus Zingis Chano. *Cujang* Cour Chano successit *Kousiluc* Chan qui *Cashgarum* expugnavit & *Chuten* sibi subjecit.

IV. *Choworasmiorum* regnum iis erat tributarium, cujus Reges fuerunt *Atsiz*, *Tekis* & *Muhammed* coætaneus Zingis Chano, qui *Kour* Chano Karo Chataio tributum negavit & hic est ille *Muhammed* Chaworezm Sha, quem regno exuit Zingis Chan & in Indiam fugavit, unde *Chorasmii* sub *Gelaleddin* in *Persiam* & *Syriam* profugerunt ac ibi penitus deleti fuerunt.

V. *Altan* Chan in Imperio Chatæorum successit *Ung* Chano. Ex Emirchond patet hunc *Altan* Chan fuisse Imper. Sinensium vel Sinæ borealis. *Zingis* Chan eo victo *Chanbalyk* versus contendit, quæ regia sedes regum *Chataia*, & eo tempore, inquit *Mirkond*, quicunque in

Chan

Chanbalyk regio solio considerent *Altan* Chan dicebantur (forte à Tartaris) & quia iidem postea *Daiming* Chan (*Taiminga* familia Regum Sinæ) dicti. *Altan* Chan veneno se peremit Chanbalyk amissa. Filios *Zingis* Chan quatuor habuit: *Tschouschi* Chan, aliis *Iogi*, Præfectus venationi. *Zijagatai* Præfectus justitiæ. *Octaj* Præfectus reipublicæ. *Toulij* Præfectus exercitibus.

Divisio Imperii *Zingis* Chanici.

Fratri suo concessit regnum *Chataj*. Filio suo *Zijnozij* quicquid est à limitibus *Chowarism* usque *Sephin*. *Tzagataj* à regione *Igour* ad *Samarcand* & *Bocharam*. *Octaj* imperium & sedem regiam. Tractus quosdam filio *Toulij*.

Imperium *Tartaricum* sub se complectebatur Regna *Chataiæ*, *Persiæ*, *Descht*, *Kafschak*, *Chowaresmiæ*, *Iguræ*.

I. *Zingis* Chan regna sua inter quatuor filios ita distribuit ut unus Imperium obtineret; cæteri Regum titulo ei subessent. *Mirk. Zacc. Haitho* 74. *Venet.* 1. 2. *Abul* Pharajius ita hanc divisionem Imperii Tatarici describit: unicuique filiorum provincias, in quibus sedem figerent, assignavit. *Utacin* frater *Zingis* intra terminos *Chataiæ* substitit: *Tushi* intra terminos *Kabalig* & *Chowaresmiæ*, usque ad

N extre-

extremos *Sakſini* & *Bulgariæ* fines. *Iogatai* intra terminos regionum *Allgur* prope *Almalig* uſque ad *Samarcandam* & *Bocharam*. *Ogotai* intra terminos *Anmil* (*Yamil* & *Kutak* (*Kunak*) cui vicina in iſtis partibus loca, tenuit etiam *Tuli*, quod imperii ipſorum medium eſt inſtar centri reſpectu circuli. Tradit quomodo *Zingis* Chan moribundus ſucceſſorem omnium regnorum ſuorum conſtituerit filium ſuum *Ogtai*, cujus electio comprobata fuit in *Alkuriltai*, id eſt, Concilio Magno omnium filiorum, cognatorum & principum *Zingis* Chani. Iſque impoſterum mos fuit ut ſemper ſucceſſor Imperii Tatarici crearetur in illo magno procerum conventu qui *Alkirultai* vocabatur.

II. Imperium & regna *Mogol*, *Ketao*, *Kotan*, *Helan*, *Tangut*, ſive terminos *Anmil* & *Kutac*, ut *Abul* Pharajius loquitur, obtinuit *Oktai*, Haithoni *Hoccata*, qui etiam cæſo *Altun* Chan Rege Tartarorum Chriſtianorum ſive *Chataiæ*, ejus provincias occupavit, *Pharaj*. Zacc. & pulſis Turcis totam Perſiam, præter *Bagdad* uſque ad Antiochiam & ultra, *Vincent*. XXXI. 34. ac magnam Indiæ partem expugnavit. *Mirk*. Falſo autem tradit *Iovius* XXXII. *Thuan*. LXVII. tum demum Perſiam novo nomine *Azamiam*, Perſas *Azamios* dictos: nam nomen illud jam ante multa ſecula *Saracenis* receptum, qui Iracam diſtinxerunt in *Irac* el *Arab* & *Irac* el *Aghemi* ſive Barbaricam.

ricam. Nec minus errat *Haitho* qui *Hoccotam* tres filios *Jochi*, *Bathi*, *Cagadai* cum totidem exercitibus versus omnes mundi plagas emisisse vult: nam *Jochi* quem *Mirkond Tussi* vocat, & *Zagathai* non filii sed fratres *Hoccotæ* fuerunt, & illa divisio vivo adhuc *Zingis* Chan facta, ut ex *Abul* Pharajio patet. *Ogatai* devicta *Cathaia* exstruxit urbem Chan *Balik*, quæ eadem est urbs *Karakuram*.

III. *Garyuk*han Texeira *Cayuc*kaan Pharaj. Haithoni *Gino*, Vincentio *Cuine*, Turciam Occidentalem capta *Arzirum* & profligato *Giateddino* subegit A. cIↄ cc xliv. Haithonem quoque Armeniæ Regem tributarium fecit *Vincent*. xxx. 141. 145. 147. 150. xxxi. 28. 29.

IV. *Mangu Khan* multas provincias subegit & federe cum *Haithone* Rege Armenio inito Christianus factus est. *Haitho* 19. 23. 24. Sedes *Almalech*. *Haitho* 23. Divisit *Muncaca* kaan imperium suum in regiones *Chataiæ* Occidentales sive Persiam, & Orientales à ripa Jihuni ad terminos Chataiæ. *Abul* Pharaj. Ei successit *Kublai* sive *Cobila* in Imperio Tartarico, Indico & Sinico, *Vlahkukhan* in Persia & Syria.

Tartari *Sinam* expugnant.

I. Quanquam bellum *Sinense* jam sub *Zingis* Chan inchoatum & à successoribus jus *Oktai*, *Gayu*, *Mangu* continuatum fuerit,

rit, non potuit tamen tam vaſtum Imperium, niſi poſt annos LXXVIII. totum expugnari, id quod factum à *Kublay*khan quem Haitho *Cobilam*, Venetus *Cublai*, Mendoza *Vzou* vocat, in cujus etiam aula & exercitu vixit, & ex quo ſummam hujus famoſæ tanti regni expugnationis paucis perſtringemus.

II. Igitur *Cublai* A. cIↃ CC LXVIII. regnum Mangi, id eſt, auſtrales Sinarum provincias, fugato Rege *Facfur*, inde regna *Ciambum*, *Mien*, provincias *Funotiam*, *Cauli*, *Barſcol*, *Sinchintingui* expugnavit & in ipſam inſulam *Zipangri* quæ *Iapan*, *Bengalam* ac *Iavam* expeditiones ſuſcepit. Provinciæ hujus Imperii erant XXXIV. diviſæ in duodecim magnas præfecturas, ex quibus erant *Tangut* ſub qua *Camul*, *Tebet* ſub qua octo regna, *Caraiam* ſub qua ſeptem regna, *Mangi* ſub qua novem regna & civitas *Quinſay*, *Mien*, *Peim*, *Bargu*, *Cathai* ac plura alia quæ referre non eſt opus, quod procul dubio multa nomina corrupta apud Venetum reperiantur. Claſſem Cublai habebat XV. cIↃ navium ad oſtium fluvii *Caromoron* qui indubie eſt filius *Maris* vel flumen *Croceum*. Sedes æſtate in urbe *Ciandu* quam *Haitho* 19. & 47. *Ioons* vocat, alio tempore alibi. Idem ſtruxit famoſam illam urbem *Cambalu*, in qua impoſterum Imperatores regiam ſuam habuerunt. *Mirk.* Non quod novam plane condiderit, fuit enim ea urbs ab antiquis temporibus inſignis

gnis & regalis,sed quod eam in alteram fluminis ripam transtulit. *Venetus* II. 10.

III. *Cublai* in Sinarum Imperio ac Tartarorum A. cIↃ cc x cvIII. successit filius *Temur* Haithoni 47. Esentemur *Veneto* II. 39. cui adhuc Reges Persiæ, Cumaniæ, Turquestanæ parebant. *Haitho* 47. Post quem qui successerint & qualis Tartarorum in Sina status fuerit, tum constabit postquam *Martinius* alteram Annalium Sinicorum Decadem publicaverit. Extat Catalogus Regum sive Magnorum *Chamum Cataiæ* apud *Henningem* ex *Schiltpergero* natione *Bavaro*,qui sub *Tamerlane* militavit, ubi primus vocatur *Scudichbochen* Cham, octavus *Tamerlanis* ævo *Zegra* xv. Nogais xvI. *Bebeid* Cham, cujus etiam meminit *Herberstein* in Moscovia sua.

IV. Sub hoc imperio Tartarorum Christiani frequentes in Sinam venerunt, partim militatum, ut *P. Venetus*, partim quod Tartari multi Christianam religionem profiterentur. Unde *Josephus* Indus in Navigat. sua & *Vartoman.* vI. 14. testantur circa. A. cIↃ cccc. Catajenses Christianos mercaturam in Calecut exercuisse: inde in Narsingam concessisse. Cadamustus I. Navig. 56. hos *Tartaros* ex *Rossia* putavit fuisse.

Homvu Tartaros *Sina* expellit.

Cum *Tartari* per xc. annos *Sinam* imperio tenuissent, A. cIↃ ccc LXVIII. eos iterum expulit quidam *Homvu*.

Ulahku Khan *Persiam* & *Syriam* obtinet.

I. Cum *Cublai* Imperium Tartaricum obtinuisset & in Sinico bello totus occuparetur. *Vlakhu* Khan, Veneto *Allau*, Haithoni *Haolon*, *Azamiam* sive Persiam, *Iracam*, *Diarbecram*, *Turciam* Occidentalem occupavit & capta *Bagdalo* ultimum *Califam* in mediis thesauris fame necavit: inde *Halebum*, *Damas*, totam *Syriam* & *Palæstinam* subegit: *Assassinos* in Syria delevit & A. cIↃ cc LXV. arcem eorum *Tigadum* obsedit, quæ demum post annos XXVII. capta. *Haitho* 24. *Venetus* intra triennium dicit. Sed *Melecmees* Soldanus Ægypti fugatis in Armeniam Tartaris Syriam recuperavit. *Haitho* 30. 52. Elmacinus. *Vlabkukhan* Mahummedismo abolito, *Haitho* 27. regnum inter tres filios divisit: *Hyassemet* dedit *Aron*, id est, *Armeniam* & *Aderbeizam*: *Taudano Diarbecram* & *Rabiam*: *Habkay*, qui Haithoni *Abaga Azamiam, Hierak, Mazandarum, Karason, Syriam* & *Turciam*, quem *Cublai* in regno confirmavit, *Haitho* 31. Ei successit frater *Hamed*,

Hamed, qui & *Nicudar Oglan* Mirkondo id est, *Nicolaus*, & *Tangodor* Haithoni 37. qui à fide Christiana defecit ac Mahummedismum restituit. Idem solus fratre *Hyassemet* confosso, *Argono* capto, totum Imperium obtinuit. Circa hæc tempora Turcæ Occidentales jugum Tartaricum exuerunt. *Ganiatu* Haithoni *Regaitho*. *Baytho* templa Christianorum restituit, Muhammedismum prohibuit. *Haitho* 40. *Gazun* Haithoni *Casanus* Damascum & totam Syriam *Melec*nasari Sultano Ægypti eripuit iterumque amisit. *Haitho* 44. dicit sedem ejus aliquandiu fuisse *Nineven*, quod de Musul intelligendum. *Aliaptu* Mahamed, Haithoni *Carbanda* sive *Carbaganda* Sultaniam A. cIↄ ccc vi. condidit: *Kilan, Rescht, Damas* cepit, cum eo religio Christiana penitus apud Tartaros concidit. Ultimus Regum Tartarorum qui Persiam tenuerunt fuit *Abusaid* Bahederkhon, cujus sedes æstate *Sultania* fuit, hieme *Bagdad*, quo A. cIↄ ccc xxxvii. mortuo imperium Tartaricum in Persia destructum fuit, singulis Provinciarum præfectis *Reges* se appellantibus; eaque confusio usque ad Timurum duravit. Regna tum ex ruinis Tartarici Imperii nata sunt varia, quorum hæc commemorantur ab *Arabsiade* in Historia Timuri, *Fars, Kilan, Rei, Mazanderam, Com, Choworasmiorum, Bagdad, Kurdorun, Sebsowar, Herat*. Sed inter hos omnes potentissimus

& celeberrimus fuit Sha *Schatza* Rex Iracæ, quem Europæi vocant *Gempsas* eumque circa A. cIↃ CCC L. Persiam ad Bactrianos & Arachosios usque tenuisse volunt. P. *Iovius* XI II. *Pizarrus* VIII. Persic. tradit Gempsam Soldanum Tartaros Persia circa A. cIↃ CCCL. ejecisse. Hujus A. cIↃ CCC LXXII. defuncti regnum divisum fuit in quatuor minora regna, *Schiraz*, *Isfahan*, *Iezd* & *Kirman*: quæ quidem divisiones Timuro facilem de tota Persia victoriam conciliarunt. Regnum *Bagdadense* occupavit Scheig *Oweis*, cui A. cIↃ CCC XLVII. successit *Hussein*: huic A. cIↃ CCC LXXVII. *Hussein* filius, quem A. cIↃ CCC LXXXVII. Imperio dejecit frater *Achmed*, regno pulsus *Timuro*.

II. In *Zirzan* regnavit circa A. cIↃ CCC LXXII. Sultan *Isckak* occisus à Timuro, post quem regnum occupavit *Kuderen* illudque totos decem annos contra Timurum defendit. Fuit etiam regnum *Balachsian*, in quo duo fratres se Timuro subjecerunt. Rex *Herat* fuit *Hussein* cui successit *Gayateddin*, interfectus à Timuro. Rex *Balch* sive Mawaralnachhr fuit *Hussein*, alius ab Hussein Rege Ariæ, & idem cum eo quem Texeira vocat *Soyorga*, quod duplici argumento probari potest. Nam uterque fuit Rex *Semircandæ*, & uterque obiit circa A. cIↃ CCC LXX. successore *Timuro*. *Arabsha* dicit hos fuisse præfectos & mancipia *Timuri*; sed ita ut se tamen ei opponerent.

III. In

III. In *Sebſowar* Huſſein alius abſolutum tenuit Imperium, cui ſucceſſit *Ahmed* à *Timuro* ſubactus circa A. cIↄ ccc LXXII. *Mogolum*. Rex fuit *Gammardin* Chan, cæſus in prælio circa A. cIↄ ccc LXX. cujus filiam *Timur* duxit.

IV. In *Mazanderan* regnavit *Shawali* occiſus à rege Reyæ circa A. cIↄ ccc LXXIV. *Shawalio* ſucceſſit in *Mazanderan Abubeker* qui diu reſtitit *Timuro*. Rex *Reyæ* erat *Muhammed Schukar Commi* Ibrahim. Alius regni innominati *Arshwend* occiſus à *Timuro* circa A. cIↄ ccc LXXIV. *Curdorum* Rex *Ali* qui toto Timuri imperio regnavit & ei fortiſſime reſtitit. *Turcomannorum*, *Ummas*, qui regnavit circa *Karthagan* Armeniæ & Timurum magnis damnis affecit.

Deſcht in regna *Crimenſe* & *Zavolhenſe* diviſa.

I. Natu maximus filiorum Zingis Chan *Tuxy*, Texeiræ, *Tushi* Vincentio XXXI. 10. *Thoſſut*, Michovio 1. Sarm. 8. *Iocu*, Haithoni 20. *Iochi*; corrupte dictus, à patre cum exercitu verſus Occidentem & Septentrionem miſſus omnem illum tractum qui Tartaria *deſerta* dicitur occupavit. *Venetus* III. 47. ubi hos Tartaros dicit Idololatras eſſe, quod de *Kalmuchis*, *Czeremiſſis* aliiſque verſus *Siberiam* & ad Oceanum glacialem habitantibus hodie-

 que

que verum eſt. Hoc regnum Perſæ vocant *Deſcht* quod deſertum ſignificat, & *Kafchak*. Inter ejus filios, quorum novem vel ſeptem recenſet Pharajus, celeberrimus ſuit *Batu* ſive *Badu*, Haythonis *Baydo*, Vincentio XXXI. 13. *Baty* filius *Thoſſut*, Mechovio I. Sarm. 8. *Zain* filius *Iocu*.

II. Hunc *Badu* Magnus Tartarorum Cham *Hoktai* novo cum exercitu in illas regiones miſit, qui victis *Gothis* ſive *Cumanis*, Bulgariam, Ruſſiam, Vlodimeriam, Pereſlaw, Reſan, Suſdal, Roſtow, Kiow, Gazariam, Guerciam, Ziquiam, Alaniam, Biſerminos, Morduam, Peroſitas, Samogedos & omnes uſque ad mare glaciale populos domuit, *Vincent*. XXX. 149. XXXI. 15. 23. Poloniam, Sileſiam, Auſtriam, Moraviam, Boſniam, Serviam, Bulgariam vaſtavit. *Zaccuth*. & ampliſſimum imperium à finibus *Schagataia* uſque ad *Poloniæ* terminos condidit, quod uno nomine *Cumaniam* vocat *Haitho* cap. 5. Ab eo tempore omnes Ruſſorum Principes à Tartaris petebantur, Sigiſm. ab *Herberſtein* in Hiſt. Moſcoviæ. *Michov*. I. de Sarm. 2. 3. Ad hos Tartaros *Innocentius* IV. A. CIↃCC XLVI. Legatos miſit, ex quorum relatione Europæis de ſtatu Tartariæ certiora innotuerunt. *Michov*. I. 5. *Sabell*. Ennead. IX. 6. *Vincentius* in Speculo. *Rubruquis*.

III. De hac expeditione *Batui* operæ pretium eſt audire Abul Pharajium. Ita igitur ille: *Batuo* filio Tushi dedit Ogotai Kaan

Kaan regiones Septentrionales, nempe regiones *Slavorum*, *Allaniam*, *Russiam* & *Bolgariam*, qui castris ad ripam fluvii *Ateli* positis in partes illas incursiones faciens ad hominum ducenta & septuaginta millia occidit, quod constitit ex occisorum *auribus*, quas Kaani decreto morem gerentes præciderant. Dederat enim ille in mandatis: ut *cuilibet ab illis interfecto aurem dextram præciderent*. Batu autem quæ ad Slavos spectarent peractis, ad partes Constantinopolis invadendas se accinxit: quod cum auditione accepissent, *Francorum* Reges, illi unanimiter congregati *Mogulensibus* in Bulgariæ finibus occurrerunt, ubi frequentium quæ commiserunt præliorum exitus fuit, ut *victi Mogulenses terga darent*: adeo ut ab his incursionibus reversi, haud iterum ad hunc usque diem Græcorum Francorumque regiones aggressi fuerint. Hæc ille.

IV. Non fuit autem *Batu* filius *Tushi* Chan in hoc bello interfectus, quod scriptores Europæi tradunt. Sed ad magnam ætatem pervenit ac in Septentrione regnavit adhuc circa A. Ch. cIↄ cc L. ut ex Abul *Pharaijo* patet. Quapropter errant Annales *Russorum* apud Herbersteinium dum obitum Batis referunt ad A.M.6746. qui incidit in A. Ch. cIↄ cc xxxvII. *Hungari*, & ipse *Haitho* cap. xxI. in fluvio submersum volunt, sed *Pizarrus* vIII. Rerum Persicarum inquit: Batto in *Hungaria*

vorticosi gurgitis rapiditate absorptus interiisse traditur nonnullis, *tametsi hoc plerique alii penitus negent*. Ergo vel alius hujus nominis errori occasionem præbuit vel ipsi scriptores se deceperunt. *Henninges* distinguit inter *Bathy* quem vult in Hungaria periisse A. cIɔ cc xxxvi. & inter *Baydonem* vel Battum quem vult periisse A. cIɔ cc xliii. sed & hoc falsum est ut ex Abul Pharagio ostensum. Chronica Hungarorum distinguunt inter *Petam* Regem vel Ducem potius Tartarorum, qui Poloniam & Silesiam vastavit & inter *Bathonem* Magnum Regem Tartarorum, qui Hungariam invasit.

V. De *Successoribus* Batui diversa commemorant. *Haitho* in genere dicit cap. xxi. successisse ei filios; verum eos non nominat. Idem cap. xxx. & *Venetus* I. I. meminerunt cujusdam *Barka* Magni Regis Tartarorum circa Armeniam. Hic fueritne filius an frater Batui dubitatur. Abul-Pharagius inter *fratres* Batui recenset *Barcah*. At *Henninges* dicit *Barcat* vel *Barchi* fratrem fuisse *Hochtay* vel *Tochai* Regis Cumaniæ & ab *Haolone* victum. Phil. *Melanchton* v. Chron. *Barkam* filium *Bathis* fuisse putat. Meminit etiam *Barka* Arabscha in Timuro & tradit ab eo totam regionem *Descht* sive *Kafshag*, Barkam fuisse dictam. Proximus igitur post Batuum Rex Cumaniæ cujus mentio extat, fuit *Hochtai* quem adhuc circa A. cIɔ ccc. superstiti-

perstitem ex *Haithone* cap. XXXI. XLVII. colligitur. *Batuo* successerunt filii qui non nominantur. His *Hochtay*. Huic *Azbek* & cæteri quos ex Russorum Annalibus ordine ponit Herbersteinius. *Asbek* idem est quod Alanorum princeps. Hoc nos docet Josephus Barbarus in Itinerario suo: *Alani lingua patria & vernacula dicti sunt As*. Ac fortasse hinc *Usbekorum* quoque nomen fluxit, quippe quod *Dominos supremos* significat, ut ex præceptore meo in lingua Chorasmica & Tartarica *Shahin* Kandæo intellexi, & ipsius Asiæ. Tertius à *Batu* apud Herbersteinium est *Zanabek*. Paulus *Morosinus* XIII. Hist. Venetæ dicit A. cIↄ CCC XLI. *Zamerbeium* Regem Tartarorum cepisse urbem *Tanam*. Hic ergo *Zamerbei* est *Zanabek* Herbersteinii, ut ex temporum collatione patet. *Tachamish* quem Arabsha vocat *Tuktemish*, Annales Russorum *Tachtam*, Turcarum *Techmic*, ille est quem Tamerlanes, Russis Tamer *Assak* id est claudus, vel Temir *Kutlu* id est felix, per Ducem suum *Eidaku* superavit ac sibi Tartariam desertam subjecit. Hunc *Eidaku* Mechovius IV. Hist. Pol. 41. & Cromerus vocant *Ediga*, contra quem *Vitoldus* Magnus dux Lithuaniæ ad Tanaim pugnavit, Alex. Guagninus *Ædigam*. Idem *Vitoldus* A. cIↄ CCC XCVIII. *Hordam* Tartarorum in *Lithuaniam* traduxit & ad *Vilnam* locavit. Hi sunt illi Tartari Tuktemischi qui fugerunt metu Tamerlanis

in Ruſ-

in Russiam. Nam ipsi *Tartari Vilaenses* dicunt se domo pulsos esse, teste Cromero.

VI. Hoc regnum Europæi *Cumaniam* vocarunt, quo nomine totum illud terrarum spatium, quod Tartariam desertam appellamus, Arabes *Descht* & *Kafshag*, complectuntur. Extensum fuit usque ad fines Persarum ac perpetui *Persarum* hostes erant Reges *Cumaniæ*. Unde *Bendecar* Sultanus Ægypti fedus contra *Abagam* Regem Persiæ & Syriæ cum Rege *Gumaniæ* inivit. *Haitho* XXIII, XXXII. XLVII. Sedes Imperatoria fuit urbs *Sacrai*. Haitho cap. V.

Crimenses *Tauricam* occuparunt.

I. Quando primum Tartari in *Taurica* regnare cœperint incertum est. *Cromerus* dicit Tartaros jam circa A. cIↄ cc XII. ad Tanaim & Mæotin, in Taurica pulsis *Cumanis* sive *Poluccis* consedisse. Idque verum esse ex eo patet quod *Demetrius* II. Dux Moscoviæ, victo *Mamai* Imperatore Tartarorum *Capham* expugnavit. *Phil.* Honorius in Thesauro Politico dicit Tartaros A. cIↄ cc L. vi ingressos Tauricam Chersonesum. *Michalo* Lithuanus dicit: Tauricanos *Græcos* à Lithuanis bello pressos, qui *Corsun* exciderint, Tartaros *Zavolhenses* contra eos evocasse, qui Duce *Vlano* jam circa A. cIↄ ccc L. in ea regnare cœperunt. Hunc *Vlanum* fratrem fuisse *Tach-*

Tachtamisi qui cum *Vitoldo* Duce Lithuano contra *Timurum* pugnavit. Sed neque hoc temporum ratio patitur; *Tachtamish* enim demum A. cIↄ ccc LXXXI. Imperio *Zävolhensi* potitus fuit. *Herberstein* vult Tauricanos à *Zavolhensibus* ortos, qui seditione domestica pulsi in Tauricam secesserint. Maxime probabile est in fatali illa Tartariæ destructione, quæ sub *Tuktemisho* contigit, profugos ex tanta clade in Tauricam se recepisse ibique novum regnum condidisse. Nomen hujus *Hordæ* variat. Michovio *Vlani* dicuntur à primo Rege & conditore *Vlan*, aliis vocantur *Crimenses* à regia *Krym* & *Precopenses* à *Prezkop* fossa, cujus jam *Herodotus* IV. meminit.

II *Vlan* primus Imperator Mechovio, *Temirkutla* qui Tamerlanes, Michaloni, *Lochtonus*, qui forte Hochtay Haithoni in Rep. Tartariæ, *Mingaresius* Jovio XIII. Melanchth. V. Chron. Quocunque nomine fuerit: dicitur cum LXXX. Tartarorum millibus inter *Tanaim* & *Borysthenem* consedisse.

III. Circa A. cIↄ ccc XLVIIII. Imperator Tartarorum ad *Tanaim* fuit *Vlumuhamed* Chan: ad fluvium *Edel* sive *Volgam* tum dominabatur *Chezimamed* qui *Vlumahamedum* regno exuit, ut Josephus *Barbarus* in Itinerario suo tradit.

IV. Id certum est familiam *Kirei* ibi imperio potitam, ex qua primus regnavit

Azcik-

Aczkirei qui *Szidachmetum* regno pepulit. Hunc Szidahmetum *Tuktemiſhi* filium fuiſſe vult Mechovius & eundem eſſe putat qui poſtea captus à *Lithuanis* circa A. cIↃ IↃ. fuit. Qui gravis error eſt, nam integro ſeculo differunt. *Tuktemiſh* periit circa annum cIↃ cccc. *Tzidachmet* filius ejus regno pulſus ab *Acskirei*. Quomodo ergo idem capi à Lithuanis potuit circa A. cIↃ IↃ. id eſt integro ſeculo poſt? Ego puto *Tuktamiſſum* nullum habuiſſe filium, quia tacet Arabshiades *Laonicus* Chalcondylas III. agens de expeditione Timuri contra Tartaros quos Scythas vocat, tradit *duo* regna Scytharum fuiſſe. *Unum* ad *Tanaim* & mare *Caſpium*, cujus Rex fuerit Τουδίτος. *Alterum* per Europam ad *Boſphorum* Thracium uſque cujus Rex fuerit Ἀτζικιρέης: Hos tenere *Tauricam* & Pontum *Euxinum* ac *Gottos* & *Capham* Genuenſium coloniam ſubegiſſe. Τουδίτον vocat μέγαν βασιλέα Σκυθῶν, cui tributarii ſint Sarmatæ. Manifeſtum eſt eum loqui de Tartaris *Zavolhenſibus* & *Crimenſibus*. Quia igitur Τουδίτον tradit bellum geſſiſſe contra Timurum, hinc manifeſtum eſt non alium eum eſſe quam *Tuktamiſchum*. Sed quod tradit de Ἀτζικιρέῃ, id de ſui temporis Rege intelligit. Non enim coætanei fuerunt Tuctemish & Atzkircius qui demum circa A. cIↃ cccc L. & ævo Chalcondylæ regnavit. *Michalo* dicit Duces Lituaniæ domitis Tartaris principes dediſſe.

dediſſe. Ultimum ex Lituania miſſum fuiſſe *Atzkirei*, à quo ſtirps *Kireorum* & omnes Imperatores *Kirei* dicti. *Azkirei* regnavit ab A. cIↃ CCCC LII. ad LXIX. cui ſucceſſit filius *Aider*, huic *Machmet*, huic *Mendligirei*. Quos inter celebris fuit *Mengli*-Kirei circa A. cIↃ CCCC XC. Michovio & Michaloni *Mendliger* qui gravia contra Baſilium Ruſſorum Imper. bella geſſit. Sub *Mechmete* Selimus Turc. Imper. *Crimeam* ſubegit, à quo tempore Chani Tartarorum à Turcis eliguntur. *Deulet* regnum quod hactenus electivum fuerat ope Turcarum hæreditarium fecit. *Sadit* Chytræo, *Sachib*gierius Jovio XIII. *Sachinbeceius* Thuano LXVII. victis Tartaris *Nogaienſibus* XVII. turres ad Præcopiæ foſſam excitavit.

Zavolhenſes in *Chazan*, *Nagai*, *Jurgentz*, *Aſtracan*, *Toomam*, *Tzerkaßiam*, *Dageſtan* dividuntur.

I. Poſt horribilem illam regni *Deſcht* ſive Tartariæ deſertæ deſtructionem à *Timuro* factam, *Zavolhenſes* Tartari, qui iidem cum *Tranſvolganis* teſte *Cromero*, nunquam priſtinas vires recuperarunt: ſed magis magiſque defectione ſociorum & diſſidiis debilitati fuerunt. Regnaverunt tamen poſt apud eos Temir *Aſſac* Czar qui idem cum Temir *Cutlu* vel *Lenk*, qui

qui urbem *Cumumedtzar* delevit. *Mechov.* 1. 8. circa A. cIↄ cccc v. *Temir* Zeledin qui à Lithuanis & Polonis contra cruciferos evocatus in Prussia occubuit. post eum *Keremberd Iachtamish*, *Ieremferden*, *Szadachmat*, cujus tempore circa A. cIↄ ccccL. in Precopensi Tartaria regnabat Ezigirei, *Mamak* & circa A. cIↄ Iↄ. *Sziachmet* vel *Szahachmet*, aliis *Ammet* qui *Permiam*, *Veatiam*, *Jughuriam* tenuit. & à Polonis captus in carcere obiit circa A. cIↄ Iↄ v. successorem habuit fratrem *Albuger* Czar. *Michov.* 1. 8. post quem nulla amplius mentio Imperatorum *Zavolhensium*, quorum potentia à *Russis* penitus destructa fuit. Aliqui tamen tradunt quod ei successerit frater *Kozak*.

II. *Cazanense* regnum nomen accepit à fluvio & castro *Cazanka*. Origo ex Zavolhensibus sed obscura; ipsum tamen regnum late patens: nam *Mordwam*, *Czeremissos Nagorni* & *Logowi Cassinou* ad fluvium Mosquam. *Viatkam* & *Siberiam* complectebatur. *Petreius* Chron. Mosc. Regum priorum nomina ignota sunt. *Michov.* 1. 17. Alii recensent hos Reges: *Chalealek*, *Abrahemin*, *Alega*, *Abdelatif* circa A. cIↄ Iↄ Machmet Enim ab A. cIↄ Iↄ IV. ad XVIII. *Scheale* usque ad A. XXI. *Sapgirei* filius Meneligeri Regis Precopensis. Tandem *Basilius* M. Dux Russorum hoc regnum sibi tributarium fecit & Cazanensibus Regem dedit *Scheale*. Ab

eo ad

eo ad *Mendligerum* Regem Crimensium defecerunt, qui iis Regem dedit fratrem suum *Sapkirei.* Anno clɔ Iɔ L I I. *Johannes* Basilidis hoc regnum denuo subegit & in provinciæ formam redegit.

III. *Nohajensis* sive *Nagajensis* Horda circa A. clɔ cccc XL. exorta est hac occasione. Interfecerat Imp. *Zavolhensis* virum strenuum *Occass*, cujus xxx. filii secessione facta à *Zavolhensibus* juxta castrum *Sarai* consederunt & brevi tempore concursu plurium in maximam & numerosissimam *Hordam* excreverunt. Dividuntur in *tres* hordas minores, quarum singulæ suos Principes ex posteris *Occass* habent: *Cassunensem* inter fluvium Chama & Jaick, *Schichmamajensem* in Siberia, *Schidachensem* inter Volgam & Jaiok usque ad mare Caspium. *Michov.* I. 17. Tandem tutelæ Joh. *Basilidis*; sed absque tributo se submiserunt. *Petreius.*

IV. *Jurgenci* Tartari à fluvio *Iayk* orientalem versus habitant, quibus *Barak* Soldan, Magni Chami *Kitaiæ* frater imperavit. A Soltan *Barak* ad *Bebeid* Chan, qui est Magnus Chan, de Chataia sunt decem diætæ, ut tradit *Sigismundus* ab Herbersteyn.

V. *Astrâcanensis* dicta est à primo urbis & regni conditore *Astracan* qui & *Citracam.* Huic nomen fuit *Terkan* & quia *Mecchan* adiverat, dictus est *Haschi* & *Seid*, quod virum sanctum denotat, unde nomina

mina *Astracan* & *Citracan* emerserunt. Circa A. cIↃ CCCC LXXIII. *Astracan* sive *Citracan* ad tres fratres spectabat, inter quos præcipuus *Casimacan*. Contarenus in Itiner.

VI. *Toomenses* Tartari ad fluvium *Oby* consederunt, structa urbe *Tooma*, quæ aliis *Tumen*. Eis vicina horda *Schibanskensis*. Hoc regnum Russi detexerunt A. cIↃ IↃ C III. quo tempore quidam *Altinus* regnabat.

VII. *Tzerkassi* ad mare Caspium inter desertum Astracanense & Dagestanam habitant, nunc Russis subjecti. *Laonicus* Chalcondylas III. *Τζαρκασίους* vocat. Hodie Russis parent.

VIII. *Dagestani* à montibus inter quos habitant, vocantur. Sedes eorum supra *Derbent*, ad mare Caspium. A Persis vocantur *Lesgi*, quod antiquum nomen esse videtur, cujus meminit *Plutarchus* in Pompejo ubi inquit: *λῆγες accoluisse mare Hyrcanum supra Albanos*.

IX. Dividuntur in complures Regulos, *Osmin, Boinak*, quorum caput ac quasi Monarcha vocatur *Schemchal*, vulgo *Schafkal* qui jactu pomi eligitur. Nam in Electione omnes Mirzæ in circulum coeunt; ex iis quem jactu pomi inaurati sacerdos tangit, fit *Schemchal* id est *Lumen*. *Hic* nomen potius Imperii quam vim obtinet. Talis Schemchal A. cIↃ IↃ C XXXIX. fuit Sultan Mahmud, qui successerat patri ejusdem

nomi-

nominis. Olearius in Itiner. Persiæ.

X. Cæterum ex Itinerario *Benjamini* Tudelensis patet; eos qui nunc Tatari Dagestani vocantur, olim & adhuc circa A. cIↄ c. dictos fuisse *Alanos* & regionem eorum *Alaniam*. Ita enim eam describit: *Alania montibus cingitur, nec ullum exitum habet nisi ad portas ferreas quas Alexander fixit, ubi populus degit qui Alan dicitur, præterea cœtus Siceriæ (legendum Siberiæ) totiusque Turciæ usque ad Asnæ montes*. Hæc Benjaminus, unde manifestum fit, *Alanos* esse illos qui nunc Tatari *Dagestani* vocantur. Quanquam antiqua *Alania* latissime per Scythiam porrecta, plures insuper populos complectatur. Prisci enim *Alani* erant *Gothi* qui ad Tanaim late habitabant vel vagabantur. Dicti proprio nomine *As* ut ex Josephi Barbari Itinerario patet. Hinc ipsius Asiæ nomen fluxit. Ex hac Alania in *Scandinaviam* colonia Gothorum Duce *Odino* vel *Wooden* ducta, *Suecis*, *Gothis*, *Norwagis* & *Danis* originem dedit, ut ex eorum priscis monumentis patet. Ubi etiam inter Deos suos numerant, Omnipotentem *As*, qui idem cum *Odino* vel *Marte*. Huc respexit Poëta cum vocat *invictos æterni Martis Alanos*. In varia igitur nomina transiit gens Alanorum. Vocati enim *Alani*, *Albani*, *Gothi*, *Comani*, *Tartari*, *Circassi*, *Mamalucci* & si quæ præterea occurrunt.

TIMUR Imperium Tartaricum instaurat.

I. *Schagatai* II. filiorum Zingis Chan Veneto I. 39. *Cigatai*, Haithoni 22. *Gohagadai*, vivo patre, *Mawaranahhr*, *Igur*, *Chowarasmiam*, gubernavit: eo mortuo à fratre *Hoktai* cum exercitu in Indiam missus, omni exercitu perdito, ex liberalitate fratris Jochi *Samarchandam*, *Bocharam* & alias regiones accepit, quæ imposterum *Sagathaia* dictæ sunt. *Haitho* 22. Hic *Christianus* factus templum *Ioh.* Baptistæ in *Samarcand* strui permisit. *Venet.* 1. 39. Ei successit filius, cui quoque *Carcham* & *Cotan* subjectæ: Sed nomen ejus non exprimitur. *Venet.* I. 39. 40. 41. nisi tamen sit ille quem Mirkond in Habkay vocat *Barak*, Venetus l. 1. & Haitho 22. *Barach* qui A. cIↃccLII. in Zagathai regnavit, quem *Phil.* Melanchth. v. Chron. per errorem filium *Batti* fuisse dicit: hic enim fuit *Barka* quem à *Barach* manifeste distinguit Venetus I. 1.

II. Inde series Regum *Schagatai* interrupta est usque ad *Soyorgot Meshkhan* quem *Arabsha* vocat *Hussein*, cui A. cIↃccc LXX. defuncto TIMUR successit in regno *Schagataj*.

III. Fuit autem TIMUR ex Imperatoria *Zingis* Chanica familia, ut *Mirkond* ostendit, non vero inops latro, ut Turcæ & in

& in eorum gratiam *Arabshiades* fingunt; ſed *Wazir* ſive ſupremus Exercituum Dux Regis *Soyorgat Meshkhan*, cui etiam tanquam ſanguine proximus ſucceſſit in regno Schagatai. Europæi eum *Tamberlanem*, Moſcovitæ *Temircutlu* vocant; & cum alio ejuſdem nominis Imperatore *Zavolhenſi* confundunt, ut ex *P. Iovio* & *Michovio* 1. de Sarmatia 8. patet.

IV. Hic TIMUR primus poſt *Zingis* Chanem univerſam *Tartariam*, *Perſiam*, *Indiam*, *Turciam* domuit & vaſtiſſimum iterum Imperii Tartarici corpus inſtauravit.

V. Ei in Imperio ſucceſſit *Sharok*, aliis *Saruchus* qui urbem *Scharokiam* in Nawaranahhr ſtruxit, & *Iran* ac *Turan* obtinuit, id eſt, *Tartariam* ac *Perſiam* cum regionibus verſus occidentem: fratri ſuo *Mirunſcha* regnum Perſiæ conceſſit, & varii undique motus ac defectiones præfectorum ſub ipſo & ſucceſſoribus ejus acciderunt, ita ut Imperium in regna *Mawaranahhr*, *Chorasan*, *Aderbeitzna* aliaque dilaceratum fuerit. *Mogolos* quoque qui Tartariam Sinæ vicinam obtinent, poſt Timurum defecerunt, quorum Rex *Schajoon* à *Mirkond* in *Scharock* commemoratur.

Perſiam

Persiam occupant *Caracojonlu, Accojonlu* & *Sefiani.*

I. Persiam post obitum *Timuri* obtinuit filius ejus *Mirunsha:* quo interfecto emerserunt factiones Turcomannorum, quæ dicebantur *Caracojonlu*, id est, nigrarum ovium & *Accojonlu*, id est albarum ovium, quas Laonicus Chalcondyles vocat *Mauro*probatas & *Aspro*probatas. Josephus Barbarus in Itinerario Persico tradit: Armeniam sive Turcomanniam vocari *Karacojonlu*, Persiam & Zagathayam *Accojonlu*, quemadmodum in Europa rosa *alba*, & rosa *rubra*, *Guelfi* & *Gibellini*. Karacojonlu etiam dicitur Tartaria *Destensis* & complectitur Armeniam Majorem cum vicinis ad mare Caspium regionibus. *Leunclavius.* Herberstein in Moscovia: *Ut Persæ propter rubra capitis tegumenta vocantur* Kisilbasssæ, id est, *rubra capita: ita Moscovitæ propter alba tegumenta*, albi Kussi *appellantur*. Ita Pontus Euxinus Turcis *Caradeniz*, id est nigrum mare à subitis tempestatibus & aquis lutosis, mediterraneum *Acdeniz*, id est, album mare, quod securius & pellucidius sit, vocatur. *Caracojonlu* caput fuit *Karalssuf*, cui successerunt filii *Scander* & *Io oncha*, Græcis *Malaonchres*, Curioni 11. Hist. Sarac. *Geunsa*, quem Melanchthon falso ex posteris *Gemsæ* fuisse vult. Et hi non totam quidem Persiam tenuerunt; sed ejus partes *Aderbeitzan* & *Kirman.*

man. Laonicus Chalcondylas III. *Samachiam* vocat regiam τῆς Καρακλικίας.

II. Familiam *Caracojonlu* regno Persiæ spoliavit familia *Accojonlu*, cujus caput fuit *Ozun* Acenbek, quem Græci vocant *Chasanum* Longum, Europæi *Usun* Cassanum, qui Persia potitus fuit A. cIↃ CCCC. LXIX. cujus posteritas regnavit usque ad A. cIↃ IↃ IV. Laonicus III. dicit Chasanem Longum *Scenderis* qui Arzinganam tenebat, nepotem ex familia *Carailucis* regnum Armeniæ adeptum.

III. Cæterum operæ pretium est ex Chalcondyla successores Temiris recensere. *Sachruchus* successit Temiri, *Pajangures* successit Sachrucho. Huic filius *Tzokies* qui Semarchandam eripuit Paimpuro & regiam ἐν τῇ Ταβρέζῃ urbe Assyriorum collocavit. Ejus filia nupta fuit *Caralsupho*, cui filius Τζανισᾶς qui *Pagdatim* Babylonis rexit & *Assyriam*, *Tabrezen*, *Arzinganim* ac *Armeniam* subegit. Paimpures filius Abdulatriphis, nepos Timuri, Rex Samarchandæ bellum cum Tzokie gessit. Quartus filiorum Timuri *Vlies* (Οὐλίης) Rex Caddusiorum & Hircanorum. Ejus filius *Carailuces*, cujus regia *Samachia*. *Scender* fuit Dominus Artzinganis, cujus nepos *Chasanes ὁ μακρὸς* (Usun Chasan) ex familia Carailucis, regnum Armeniæ adeptus. Hæc *Laonicus*, quæ non omnino cum Texeira conveniunt.

IV. Extincta familia Accojonlu *Sefiani*

Persiam obtinuerunt; A. cIↃ IↃ IV. Primus ex Sefianis Rex Persiæ fuit Sha *Ismael* Sefi, ex cujus posteritate hodie regnat Sha *Abas* II. In hac Sefianorum familia *factiones* Acojon & Caracojonbegum coaluerunt. *Thuan.* LXVII. Instituerunt etiam novam Religionis Muhammedicæ sectam secundum traditiones *Alis*, cujus signum tiara δωδεκάλοφος *rubra*, unde ejus sectatores Azamii *Cuselbas* hoc est rubra capita dicuntur. Jov. XXXIII.

V. Cæterum *Kilanai* frequenter rebelles facti proprios sibi Reges crearunt. Qualis sub Ismaele Sophi fuit *Achmed*, cujus nepos *Cairus* sive *Arnet* Chan sub Tammaso & Chodabenda Kilani regnum invasit, quo tempore etiam alii regna invaserunt, *Caudahara* Rustan Laræ *Ebraim*, Jesd *Miran*, Ariæ *Abas*. Minadous. Sub Sha *Sefi*, Sha *Karib* Rex Kilani, cujus exitum Olearius describit in Itiner. Persico.

Mawaralnahhran occupant *Usbeki*.

I. Posteri Tamerlanis regnarunt in *Mawaralnahhra Chorason*, *Turkestana*, *Schagatai* & *India*, qui cum inter se discordarent, *Shabek* Chan ex posteris *Zingis* Chan cum gente hactenus ignota *Usbekorum* erumpens, Babure in Indiam pulso, regnum *Usbek* condidit A. cIↃ IↃ. quod regiones *Mawaralnahhar*, *Samarcand*, *Bochara*, *Burgavia* aliasque plures complectitur. Bene-

Benedictus *Goes* in Itinerario.

II. Unde nomen *Usbek* profluxerit paulo ante dictum. *Us* lingua Chorasmica significat *ipse*, Bek *Dominus*. Unde nomen *Vsbek* quod ipsi tanquam liberi à Turcarum & Tartarorum imperio ex sua gente sibi Principes præfecerint, prout alias prolixius ostendimus. *Schibeg* Chan primus hujus regni conditor filius fuit Abul *Chairuz*begi teste Pococko in supplemento Abul Pharagii. Hinc probabile, sicut ab *Ottomanno* Imperium Ottomannicum: à *Sophi* Sophianum dicitur, ita ab illo *Vsbego* regiones ad Oxum *Vsbegiam* dictas. Fuit alias nomen *Chusbech* in illis Orientalibus regionibus receptum. Ita Tomanbei ultimus Ægypti Sultanus proprio nomine *Chusbech* dictus fuit; teste *Luccari* I.v. Annal. Raguſ.

Tamerlanis posteri obtinent *Indiam*.

I. *Babur* ex posteris Tamerlanis, Mawaralnahhra à *Scabek Vsbeko* pulsus omnibusque rebus ita exutus, ut aliquandiu hortulanum egerit, specie Calenderis sive Monachi in Indiam ad Regem *Scanderum* venit, ibique victo *Abram* Rege Delly A. cIↃIↃxxvi. amplissimum Imperium quod *Mogolum* dicitur condidit. Ejus successor *Homayum* iterum imperio spoliatus fuit, à quodam qui vocabatur *Fereid* Chan

& aliis nominibus *Tzeer* Chan, *Seer* Sha, qui *Bengalam*, *Patanam*, *Decan*, *Cuncam*, *Delli* & totam Indostanam occupavit; dictus propterea *Shaholam* id est *Rex Mundi*, de quo majorem historiam, quam Tamerlanis sit, scribi posse *Garcias* ab Horto II. Arom. 28. & ex eo *Linschoten* cap. 27. tradunt.

II. Post mortem hujus *Shaholam* sive *Tzeer* Sha, aliquot ei Reges successerunt, donec tandem *Homayun* circa A. cIↃ IↃ LII. Indiam recuperavit, cui successit *Achar*, qui sedem *Agram* transtulit & Imperium Mogolicum in XXXVII. provincias distribuit. Ejus posteri hodieque in India regnant. Filius *Choram* dictus *Tziahankir*, circa A. cIↃ IↃ CLX. obiit relictis tribus filiis qui se & Imperium mutuis cladibus confecerunt; donec, ut referunt, imperium ad unum rediret. De quo ex Indicis relationibus certiora imposterum habebimus.

Ex Tartaria *Orientali* Barbaræ nationes in *Quiviram* & alias Borealis *Americæ* regiones pervenerunt.

I. Id quod *Martinio* admodum probabile videtur. Detecta enim nuper *ingentia* Terrarum supra Sinam & Japoniam spatia fuerunt, versus *Orientem* & *Septentrionem*,

trionem nullo adhuc cognito fine procurrentia versus Americæ eam plagam quæ *Quivira* & *California* aliisque nominibus innotuit. Et quanquam non constet contigua Asia sit Americæ, an freto quod *Anian* vocant, abscissa, nihil tamen impedire potuit quo minus transmigrationes gentium ibi fierent. Nam si freta intercedunt; tantus ibi aëris hiberni rigor, ut omnes aquæ in durissimam glaciem concrescant. Accedit quod *Quivirenses* Americani moribus & vivendi ritu quam proxime ad feros illos Tartaros accedant, semper cum pecoribus suis vagi ac instabiles.

II. *Quivira* ab Anglis ductu Francisci Draconis A. cIↄ Iↄ LXXX. primum detecta Europæ fuit: Eam in *Elisabethæ* gratiam Novam *Albionem* appellavit. Ab eo tempore parum navigantibus explorata fuit: cum præter barbariem nihil ibi visu vel desiderio dignum occurreret. De quo in historia Americana prolixius.

Tartari *Orientales* expugnant Imperium *Sinicum.*

I. Factum hoc A. cIↄ Iↄ C XLIV. Tartaria hæc Orientalis Europæis plane ignota supra *Sinam* ad mare Japonicum usque ad Oceanum glacialem & versus Americæ Quiviram se extendit. Divisa in regiones *Niuche*, *Niulhan*, *Yupi*, *Iesso* aliasque plane

adhuc ipsis Japonensibus & Sinensibus incognitas. *Sinæ* tradunt supra *Leaotung* terras Septentrionem versus & Orientem excurrere ad sex stadiorum millia: unde patet quam vastus ille terrarum tractus sit & quam prope Tartaria Americam contingat, à quo exiguo tantum freto Anian dividi volunt, quamquam nihil adhuc certi de illo freto exploratum sit.

II. Hos Tartaros *Niuche* & *Niulhan* Imperator Sinarum *Hunguus*, qui Tartaros Occidentales A. cIɔ ccclxviii. Sina expulit, ita debilitavit ut eos sibi obnoxios & tributarios redderet. Tandem in septem *Hordas* sive dynastias excreverunt & A. cIɔ Iɔ c. in unum Regnum quod *Niuche* vocant, coaluerunt. A quo tempore potentia eorum iterum ita crevit ut toti Sinæ formidabiles evaderent.

III. Bellum *Sinensibus* muro superato inferre primum cœperunt A. cIɔ Iɔ cxvi. captis urbibus *Tuxun* & *Leaoyang* & ab eo tempore Tartarus se Imperatorem Sinarum appellavit. Nomina Regum quæ nobis innotuerunt hæc sunt: A. cIɔ Iɔ c xv. THIELMINGUS. cIɔ Iɔ c xxvii. THIENZUNGUS. cIɔ Iɔ c xxxvi. ZUNGTEIUS. cIɔ Iɔ c xliv. XUNCHI, qui capta *Peking* familiam imperatoriam *Taicingam* condidit.

IV. Incredibile autem dictu quam cito quantisque cum copiis Sinam Tartari Orientales expugnarint. *Septem* enim annorum

norum ſpatio plus *terrarum* occuparunt quam exercitus integer in longum & latum perambulare poſſit; *duodecim* nimirum Imperii Sinarum provincias ac *Leaotung* ingentes terrarum tractus. Exciti etiam ab ipſis ſpe prædæ fuerunt omnes Orientalium pariter atque Occidentalium Tartarorum Hordæ, imprimis remotiſſimi *Iupæ* qui ad mare Orientale ſuper Japoniæ inſulas jacent & in terris *Ieſſo* habitant. Dicuntur autem *Yupi* à loricis ex pellibus piſcium factis, quibus in bello utuntur. Quinimo ab ipſa *Volga* & Moſcoviæ finibus advenerunt iis auxiliatores quos *Alga* Tartaros vocabant.

V. Sinis devictis *Tartari* ſub capitis pœna edixerunt, ut more Tartarico *capillos* raderent & *veſtes* Tartaricas induerent. Sunt enim omnes Scythæ raſi, ut ſupra ex Clearcho commemoratum. Sed totam hanc hujus Tartarici belli originem & Sinæ expugnationem peculiari volumine poſteritati trademus.

SLAVONICA.

SLAVONICA eſt *Venedica, Sarmatica, Illyrica.*

Ampliſſima *Slavorum* gens commode in *Venedos*, *Sarmatas*, *Illyrios* dividitur.

VENEDICA est *Bohemica*, *Moravica*, *Sorabica*.

Venedi, Germanis *Wenden*, qui vulgo etiam *Vandali* appellantur, tribus nationibus distinguuntur, *Bohemis*, *Moravis* & *Sorabis*.

BOHEMICA.

I. *Primi* Bohemorum *Duces* à *Zecho* ad *Borivoyum* I. & A. Iↄ ccc xc. *fabulosi* atque *incerti* sunt, tum nulla annorum serie, nisi apud *Hagecium*, sed sublesta fide, distincti. A *Borivoyo* jam & annorum distinctio & certior Historia incipit. In annis & ordine secuti sumus probatissimum Chronicon *Cosmæ* Pragensis, qui circa A. cIↄ c. scripsit ac floruit & accuratissime, non *annos* modo, verum etiam *dies* annotavit. Ut frustra *Helvicus* conqueratur, *ante annum* cIↄ cc. Duces & Reges Bohemorum *carere epochis annorumque numero*. Nimirum non inspexerat is Cosmam Pragensem. Post *Sobieslaum*, in quo Cosmas desinit, iterum in annis & successione Principum tenebræ, usque ad *Premislaum* Ottogarum (ita enim scribendum, non ut vulgo *Ottocarum*, ex Dubravio patet) Æneæ *Sylvii* & *Albicii* series mutilæ & corruptæ sunt. Nos *Dubravium* sequimur, in quo tamen *anni* vel *omissi* vel negligenter annotati. Itaque

& ille

& ille defectus ex diligenti temporum collatione emendandus fuit.

II. Primus Rex Bohemiæ ab Henrico IV. Imp. *Vratiſlaus* A. clↄ LXXXVI. in Comitiis Moguntinis creatus ac *Luſatia* donatus fuit. Secutum interregnum annorum LXV. uſque ad *Vladiſlaum* II. quem Fredericus I. denuo Regem appellavit. Eo mortuo iterum interregnum uſque ad *Primiſlaum* cognomine *Ottogarum*, à quo Bohemia perpetua ſerie Reges habuit.

III. Commune nomen Regnum à *Premiſlao* Ottogaro fuit *Ottogarorum* & ita omnes ordine vocantur ut ex *Dubravio* patet, uſque ad *Wenceſlaum* qui Anno clↄ CCCVI. obiit. Et tum *Polonia* iterum à *Bohemia* ſejuncta, ac ipſa Bohemia inter æmulos *Henricum* Carinthium, *Rudolphum* & *Fridericum* Auſtrios diſtracta, donec tandem *Johannes* Lucelburgicus, dejecto Henrico Bohemia potiretur. *Dubrav.* XIX.

Ottogarus regnum Bohemiæ à mari *Baltico* ad *Adriaticum* promovet.

I. *Primiſlaus* III. *Ottogarus*, poſt obitum *Friderici* Ducis Auſtriæ, ſorore ejus *Margaretha* ducta, *Auſtriam*, *Styriam*, *Tirolim*, ab *Ulrico* ultimo Duce *Carinthiorum*, emtione *Carinthiam*, *Carniolam*, *Marchiam* Vinidorum, *Slavoniam* & portum *Naonis*, conſecutus eſt. *Veronenſes*, *Feltrenſes*, *Tarviſini*, multi ex *Forojulij* ſe ei ſubmiſerunt.

O 5 Hun-

Hungaris *Styriam* ademit. In *Prussia* superatis *Tartaris* urbem *Kunigshergen* & *Brumo* Episcopus Olmuzensis *Brumonis* montem, vulgo *Braunsberg* extruxit. Æneas *Sylvius* Hist. Boh. cap. XXVII. sed non diuturna fuit ea fortuna.

II. Quippe *Rudolphus* I. Imp. *Austriam*, *Karinthiam*, *Carniolam*, *Marchiam* Winidorum, *Slavoniam*, *Stiriam*, portum *Naonis* regno Bohemiæ ademit & familiæ suæ tradidit A. cIↃ CC LXXVIII.

Bohemia, *Polonia*, *Hungaria*, conjunguntur.

Wenceslaus II. Rex Bohemiæ cum Ducatus *Oppeliæ*, *Cracoviæ*, *Sandomiriæ* teneret, ducta *Richsa*, Poloniæ Rex factus est. Post ejus obitum *Wenceslaus* III. Bohemiam & Moraviam, *Vladislaus* Poloniam retinuit. Post obitum *Casimiri* Magni, Regnum Poloniæ ad *Ludovicum* Regem Hungariæ devenit, inde Hungaria ad *Sigismundum* Regem Bohemiæ, ab hoc ad *Albertum* Archiducem Austriæ & *Vladislaum* III. Poloniæ Regem devenit: quo ad *Varnam* cæso, *Vladislaus* V. posthumus, quem Comineus *Lancellot* vocat, Bohemiam & Hungariam tenuit. Post cujus obitum A. cIↃ CCCC LVII. Bohemiam *Georgius Podiebracius*, Hungariam *Matthias Corvinus*, post hos utrumque regnum *Vladislaus*: sub quo *Georgius* Siculus regnum

regnum per tumultum invasit. & *Ludovicus* ejus filius rexerunt. *Ludovico* ad *Mohatzum* cæso *Ferdinandus* Archidux Austriæ, Bohemiæ & Hungariæ Rex factus, contra quem Hungari ope Solimanni *Johannem* Zepusium elegerunt, quo defuncto Austriaci Germaniæ Imperatores regnum Bohemiæ & Hungariæ soli obtinuerunt.

MORAVIA.

I. *Moraviæ* regnum exortum est circa A. IↃ C LXXX. eodem tempore quo Bulgaricum. *Bulgari* occuparunt Mysiam. *Slavi* Pannoniam & Moraviam. De hujus regni fortuna *Dubravius* IV. Hist. Bohemicæ. Regum omnium successio & nomina non extant. Hæc autem hinc inde apud scriptores reperiuntur. Circa A. IↃ CC. *Marothus* pater *Suathis*. Ita eum vocat *Bonfinius* Dec. I. IX. Circa A. IↃ CCC. XX. *Moemarus* Dux Slavorum: post eum *Privina*, unde *Brinna* Moraviæ urbs dicta. *Aventinus* IV. *Privinæ* successit *Ratislaus* A. IↃ CCC XLVII. Hunc Godfridus *Viterbiensis* vocat *Rastil*, Annales Fuldenses *Rasticen*. Lambertus *Schafnaburgensis*; *Ratzid* Rex *Morahensium* subactus à *Ludovico* Rege Germaniæ A. IↃ CCC LXIV. Quippe hic *Ratislaus* rebellis Imp. Lothario factus se Regem *Moraviæ* appellavit, sed à Carolomanno Lotharii filio victus regio nomine posito, Francorum majestatem coluit:

mox iterum rebellis Francos diu afflixit. Sed omnium famosissimus Rex *Moravorum* fuit ille, quem variis nominibus *Suatebogium, Suathen, Suatoplucum, Zuentibaldum* appellant, qui σύγχρονος fuit Imp. *Arnulpho* & ab eo eversus. In Annalibus Saxonicis *Witechnidi* dicitur *Contupulchus* Rex Marorum. Contra eum in Francia captivum electus fuit *Slagamarus*, sed non diu regnavit. Dimissus ex carcere *Suatopluk* regnum recepit ac A. Iↄ ccc xciv. obiit, cui successerunt filii *Suatebogius* & *Moewarus*, discordes inter se ambo interfecti in prælio à *Cusala* Rege Ugrorum A. Iↄ cccc i. atque ita magna regni *Moraviæ* pars *Hungaris* cessit *Aventino* teste.

II. Atque hinc patet quam male *Bonfinius* & *Dubravius* tradant *Suathen* ab Hungaris jam A. Iↄ cc xliv. magna Pannoniæ parte exutum, regni sedem in Moraviam transtulisse. Factum id enim integro demum sesquiseculo post. Quod vero tradunt *Suatobogium* sive *Suatoplukum*, amisso regno, monasterium ingressum ac ibi pœnitentiam diu inter ignotos egisse, à Monachis conficta sunt. *Aventinus* mœrore inter paucos dies obiisse scribit. Similes fabulæ de *Roderico* Rege West-Gottorum, *Richardo* II. Rege Angliæ aliisque circumferuntur.

SORA-

SORABICA.

Tertia *Venedorum* ſive *Wendorum* natio late per Germaniam magnam diſperſa, regiones quæ hodie *Pomerania*, *Meklenburgum*, *Marchia*, *Luſatia*, *Miſnia*, *Anhaldum* dicuntur, occuparunt, in complures diviſæ familias & ſtirpes, de quibus omnibus *Helmoldus* in Chronico Slavorum.

SARMATICA.

Sarmatica eſt *Rußica*, *Polonica*, *Lituanica*.

Sarmatarum natio per Aſiæ & Europæ Campos ubi ad *Tanaim* & *Boryſthenem* junguntur, longiſſime ſparſa, in tres magnas gentes, *Ruſſos* ſive *Moſcos*, *Polonos* & *Lituanos* diſtincta fuit.

RUSSICA.

RUSSIA in duodecim *Ducatus* dividitur.

De Origine *Ruſſorum* diverſa tradunt ſcriptores. Petrus *Luccari* in Annal. Raguſinis *Ruſſum* fratrem *Lechii* & *Czechii* coloniam Slavorum in Roxolaniam duxiſſe ſcribit à quibus *Ruſſi* originem traxerint. Ipſi *Ruſſi* referunt regionem ſuam olim *Roſſeiam* dictam: gentem in multos parvos Principatus diviſam ac *Waregis* tri-

tributariam fuiſſe. *Varegos* Petrejus in Chronico Muſcovitico putat *Suecos*, *Finnos*, *Livonos*, *Pruzzos* fuiſſe; quia *Ruſſi* omnes maris Baltici accolas *Waregos*, & mare illud *Waretskimore* vocant. Antiquiſſima Principum Ruſſiæ familia appellatur *Beala*, teſte *Fletchero* Elizabethæ Reginæ Angliæ apud Ruſſos legato, qui tamen multa falſa retulit.

II. *Ruſſi* ita factionibus ſciſſi, à *Varegis* tres ſibi Principes mitti petierunt, qui fuerunt *Sineus*, *Truborus*, *Ruricus*, qui *Bielozeranum*, *Pleskovienſem* & *Novogardienſem* Ducatum condiderunt. Duobus abſque liberis mortuis, *Ruricus* totam Ruſſiam ſolus obtinuit, cujus ſucceſſor *Igorus* Conſtantinopolin uſque penetravit. Uxor ejus *Olga* fuit quæ *Pitzingos*, qui ſunt *Pazinacæ*, delevit, Conſtantinopoli baptizata *Helena* dicta fuit. Huic ſucceſſit filius *Suentoſlaus*, Zonaræ *Splendoſtablus*, poſt quem *Vlodimirus*, in baptiſmo *Baſilius* dictus, totius Ruſſiæ *Autocrator* ſive *Monarcha*, Religionem *Græcam* introduxit A. Iↄ cccc LXXXIX. *Elmacin.* & urbem *Wolodimir* ad *Volgam* & *Occam* ſtruxit eamque regni caput eſſe voluit.

III. Inter hujus XII. filios *Ruſſia* in duodecim Ducatus diviſa fuit, *Novogardiæ*, *Polotzko*, *Roſtaviæ*, *Murom*, *Smolensko*, *Pleſcow*, *Twer*, *Kiow*, *Wolodimer*, alioſque. Hos inter ſemper aliquis *Monarchiam* in cæteros *jure* vel *vi* obtinuit; impri-

imprimis vero *Susdalienses* qui Wolodimeriam obtinebant, *Tzaros* se appellabant eorumque Majestatem reliqui Duces comiter colebant.

IV. Sub *Georgio* II. A. C. cIↃ cc.xxiv. *Tartari* Duce *Batto* Russiam sibi subjecerunt. Servitutis *Tartaricæ* hæ fuerunt conditiones: *Ut Magnus* Dux *consensu* Chani *eligeretur*. Legatos *Tartaricos* ante urbem, *pedes*, capite *nudo*, manu urnam *lacte* plenam gerens exciperet, & si inter *bibendum* gutta in terram caderet, eam abliguriret. *Petreius*. Ab eo tempore *Russi* Magnos *Duces* à *Tartaris* petebant, qui fere ex *Susdalensi* domo dabantur. Et hac Russorum *servitute* Tartarica durante *Poloni* circa A. cIↃ ccc. capta *Kiovia* Russiam *Nigram*, quæ hodie *Ukraina* dicitur, sibi subjecerunt. Reliqua *Russia* ad distinctionem hujus *alba* dicta fuit. *Georgius* sedem Magni Ducatus Wolodimeria *Moscoviam* transtulit, quæ initio *pagus* ad fluvium *Mosco* erat, sed sub Magnis Ducibus ita excrevit, ut totum *Imperium* inde nomen apud exteros acceperit & ipsa gens pro Russis *Moscovitæ* dicantur. *Volodimeria* Moscuæ vicinia exhausta tandem penitus collapsa & in solitudinem redacta est.

Lithuania fit *Magnus* Ducatus.

Lithuanorum nomen demum circa A. cIↃ cc. innotuit: gens illa diu fuit *obscura* & *Russis* Kioviensibus subjecta, quibus

subera

subera & *calceos* tributi loco pendebant. Tandem excusso *Russorum* jugo, pluribus adunatis Provinciis, magnum *Ducatum* constituerunt. De cujus quidem Origine & quomodo regno Poloniæ adunatus fuerit, in Polonicis pluribus agemus.

Tzari Russorum, *Tartaris* pulsis, *Imperium* latissime extendunt.

I. Quanquam *Demetrius II.* Magnus Dux Moscoviæ Imperatori Tartarorum *Mamai* tributum negaverit, eoque victo *Caphi* togam, qua Magni Duces exinde in coronatione induebantur, attulerit, mox tamen à *Tachtamish* qui Ahmedi *Arabscha*, scriptori vitæ Tamerlanis *Tuktemisch* dicitur, iterum subjugatus fuit. Eaque *servitus* Tartarica usque ad A. cIↃ IↃ. duravit, quo tempore *Johannes* jugum Tartarorum ædibus eorum in arce Moscoviensi *Kremelina* destructis excussit ac cæteris Ducibus in ordinem redactis *Weliki* knes id est *Magnum* Ducem se appellavit, struxit arcem *Ivanogrod* juxta *Nervam* Russicam. Ejus filius *Basilius* fuit qui *Smolensko* ac *Severiam* Polonis eripuit, *Plescoviensem* ac cæteros agnatorum Ducatus sibi subjecit, assumpto *Tzaris*, id est, *Imperatoris* sive Regis titulo. Et quanquam à *Mendlikireo* Moscuæ obsessus tributum ei promiserit, mox tamen iterum defecit ac Imperium versus *Septentrionem* per

per *Petzoram*, *Papinam*, *Samojediam*, *Vogulitziam*, *Ugroiam*, *Grustinam*, *Obdoram*, *Condoram*, *Calamiam*, *Premskiam*, aliasque provincias usque ad glacialem Oceanum, Novam *Zemlam* & fluvium *Oby* quam latissime extendit. Atque hic primus instituit morem: ut *omnes* omnium quibus *Tzari* imperant *populorum* ac *provinciarum* tituli ordine ponantur.

II. *Johannes* Basilides A. cIɔ Iɔ LII. *Casan*, A. LIV. *Astracan*, duo regna Tartarica, ad *Volgam* expugnavit: ac Imperium Russorum usque ad mare *Caspium* & Tartariam *Dagestanam*, Circassis in potestatem redactis, propagavit. Idem *Livoniæ* titulum assumsit, ejusque *Regem* Magnum Ducem *Holsatiæ* constituit. Insignia Imperii voluit more *Romanorum* esse *Aquilam* bicipitem, cum hactenus armato *Equite* usi fuissent.

III. *Theodorus* ad fluvium *Oby* colonias duxit & *vallum* ex desectis arboribus contra *Crimensium* Tartarorum irruptiones à *Volga* ad *Borysthenem* sive *Dniper* struxit.

IV. *Boris* ultra *Obyn* in deditionem accepit *Tingoesios*, & *regiones* usque ad *murum* Sinensem versus Orientem exploravit. Post quem Russia à *Pseudo*-Demetriis & *Polonis* ac *Suecis* misere vastata ac lacerata fuit, donec tandem A. cIɔ Iɔ CXII. *Michael* Fedorowitz Magnus Dux eligeretur, cujus filius *Alexius* Michaelowitz hodie Russis imperat.

POLO-

POLONICA.

Polonia initio *Duces*, deinde *Reges* habuit.

I. Polonorum gentem condidisse dicitur *Lechus* frater *Zechi* & *Russi* Anno Iↄ L. *Lechi* posteritas per CL. annos Ducatum tenuit. Sedes *Gnezna* à Lecho condita. Extincta *Lechi* progenie XII. *Palatini* Poloniam gubernarunt: deinde δωδεκαρχίᾳ abrogata solus *Cracus* rerum potitus, qui *Cracoviam* circa A. Iↄcc. condidit. Post eum iterum XII. *Palatini*, quibus abrogatis, solus *Premislaus* Lescus Ducatum obtinuit.

II. *Primus* Poloniæ *Rex* fuit *Boleslaus* Chrobri A. cIↄ I. ab *Ottone* III. creatus, qui *Pomeraniam, Cassubiam, Russiam*, subegit. Sub *Mieslao* Pollicitator *Maslaus* illam Poloniæ partem, quæ ab ipso *Masovia* dicitur, invasit, *Thuan.* LVI. Cum vero *Bodeslaus* II. Audax *Stanislaum* Episcopum Cracoviensem occidisset, à *Gregorio* VII. excommunicatus & regno privatus est. Ejus *successores* per CCXV. annos regio titulo abstinuerunt, usque ad A. cIↄ CC XCII. quo *Premislaus* II. Posthumus regium nomen recepit & ad successores transmisit.

III. Ultimus ex *Piastais* fuit *Casimirus* III. Magnus, quo defuncto A. cIↄ CCC LXX. Poloni *exteros* Reges habuerunt; primo quidem

quidem *Ludovicum* Regem Hungariæ, deinde *Iagellonem* Magnum Ducem Lituaniæ, qui *Hedwigen* Ludovici filiam duxit. Extincti *Iagellonidæ* in Sigismundo Augusto A. cIↃ IↃ LXXI.

Silesia à *Polonis* ad *Bohemos* deficit.

Extincta apud Polonos *Piasti* familia A. cIↃ CCC LXX. *Henricus* Dux Glogoviensis totam *Silesiam* ad defectionem à Polonis ad *Bohemos* eorumque Regem *Johannem* Luzelburgicum impulit.

LITHUANICA.

I. *Lithuanorum* originem ab *Alanis* & *Italis* deducunt eorum annales, qua fide incertum. Primus eorum Princeps circa A. CCCLXVI. commemoratur *Littalanus*, qui in Prussia ad *Vistulam* consederit. Ei successisse *Weidewutum*, qui inter XII. filios *Prussiam* distribuerit, quorum minor natu *Littalanus* Junior seu *Lituo* Alanos Prussia in eam regionem quæ nunc *Lithuania* dicitur, eduxerit. Post multa secula advenisse *Italos* exules duce *Palæmone* & aliis. Quæ tanquam dubia & fabulosa omittimus. *Duglossus* Tomo I. Hist. Pol. lib. VI. tradit, *Lithuanorum* nomen demum Anno cIↃ CC V. quod in eum diem ignotum fuerit emersisse, cum hactenus *Servi* Russorum existentes, annis pluribus perizomata &

ta & ſubera pependiſſent. Igitur circa A. cIↄ cc. vel paulo ante *Kiernus*, à quo condita *Kiernovia* oppidum *Lithuaniæ*, alius quidam *Gimbutus* Samogitiæ Duces erant; poſt quos abrupta ſucceſſio uſque ad A. cIↄ cc LXXV. à quo certa jam ſeries Ducum Lithuaniæ deſcendit. A. cIↄ cc LXXXIII. *Vitenes* Samogita novam Dynaſtiam condidit & *Lithuanos* tributo perizomatum & ſuberum, quæ quotannis Duci *Kioviæ* ſolvebant, liberavit. Ejus ſucceſſor *Gediminus*, Ruſſiam, capta *Kiövia* & titulum *Magni* Ducis obtinuit, *Vilnam* condidit. Hic ſeptem reliquit filios, qui omnes in Annalibus Pruſſorum, *Reges* vel *Duces* Lithuanorum vocantur, quorum celebriores ſunt *Montividius*, *Olgerdus*, *Keyſtutus*, *Coryatus*.

II. Tandem *Iagello*, ducta Hedwige, A. cIↄ ccc LXXXVI. fide Chriſtiana ſuſcepta, *Lithuaniam*, quæ *Samogitiam*, *Severiam*, *Kioviam*, *Volyniam*, partem *Podoliæ*, *Podlachiam*, *Smolenſciam*, *Poloczam* complectebatur, æterno fœdere cum regno Poloniæ conjunxit. Succeſſerunt tamen in *Lithuania* Magni Duces *Skirgailo*, huic *Vitoldus* qui A. cIↄ ccc XCVI. *Tartaris* prope *Vilnam* ſedes aſſignavit. Hi ſunt illi *Tartari* quos *Tamerlanes*, victo *Tuktemiſchi*, profugere à Volga coëgit. Poſt *Caſimirum* ſoli Reges Poloniæ Magnum Ducatum obtinuerunt.

III. *Pruſſia* circa A. cccc. Regem ha-

buiſſe traditur *Weidewutum*, inter cujus XII. filios fuit diviſa in totidem provincias. Sed quia priſci eorum annales à Teutonicis equitibus aboliri, ideo nulla certa memoria rerum Pruſſiacarum extat, niſi quantum ab eo tempore quo Teutonici in Pruſſia conſederunt, accidit. Inſigne Ordinis erat Crux nigra in veſte alba. De ejus origine vide *Funccium* libro X. Chronologiæ ad A. CIↃ CXCI. A. CIↃ CCCC LXVI. *Pruſſia* in *Caſimiri* Regis Poloniæ *clientelam* & *fidem* ſe tradidit ac diviſa tum fuit in *Regiam* & *Cruciferorum*, ſive Magiſtri *Teutonici*, quam A. CIↃ IↃ XXV. *Albertus* Marchio Brandenburgenſis in Ducatum convertit & jure feudi Poloniæ ſubjecit, qui ſtatus Pruſſiæ Ducalis duravit uſque ad A. CIↃ IↃ C LXIII. quo anno *Fridericus* Wilhelmus Elector Brandeburgicus *Pruſſiam* ab omni Poloniæ ſubjectione, pro ſe ac linea maſcula, *immunem* ac *exemtam* fecit.

IV. *Livonia* A. CIↃ IↃ LXI. ad *Polonos* conceſſit ac abolito ordine *Enſiferorum* Gothardus *Ketler* ultimus Magiſter Dux *Curlandiæ* & *Semigalliæ* creatus fuit. Reliqua Livoniæ pars, *Eſthonia*, in poteſtatem Suecorum conceſſit, & hodie tota, præter *Curlandiam* ac *Semigalliam*, ditionis Suedicæ eſt.

Ruſſia,

Russia, Lithuania, Prussia, Livonia, Poloniæ accedunt.

I. *Russia* duplex : *Alba* sive Orientalis & *Nigra* sive Occidentalis. *Alba* illa est quam proprie *Moscoviam* appellamus. *Nigra* ad Borysthenem sita, caput *Kioviam* habet, quam *Boleslaus* Chrobri circa A. cIↃ. subegit.

II. *Lithuaniæ* Magnus Ducatus per conjugium *Iagellonis* Vladislai cum Hedwige ad Poloniam pervenit.

Polonia & *Suecia* conjunguntur.

Extincta *Iagellonidum* prosapia, Poloni *exteros* Reges crearunt A. cIↃ IↃ LXXIII. *Henricum* Andegavensem, *Stephanum* Batorium, & tandem *Sigismundum* Joh. III. *Suecorum* Regis filium, cui *Vladislaus* IV. huic frater *Johannes* Casimirus qui hodie inter maximas turbas regnat, successerunt. Ita *Sigismundus* regnum Sueciæ ac Poloniæ conjunxit A. cIↃ IↃ XCII. quæ tamen conjunctio non fuit diuturna, *Suecis* pacta violata conquerentibus & *Carolum* Sudermanniæ Ducem A. cIↃ IↃ CVII. Regem, abdicata Sigismundi familia eligentibus, qui tamen titulum *Sueciæ* tanquam regni hæreditarii retinuit, unde atrocia inter *Suecos* & *Polonos* bella exorta nostro tempore fuerunt.

Bogda-

Bogdanus Chmelnicius *Cosaccos* & *Russos* Ukranios ad defectionem concitat.

Extremis *Vladislai* IV. annis & durante regno *Iohannis* Casimiri *Bogdanus* Chmelnicius propter privatas injurias, *Cosaccos* ad defectionem à Polonis concitavit, qui insulis *Zaporovianis* apud Borysthenem occupatis, *Russos* & *Tartaros* Crimenses in partes traxit ac formidabile Polonis bellum intulit. Quod brevi compositum pace subinde recrudescit.

ILLYRICA.

Illyrica est *Dalmatica* & *Bulgarica.*

Illyricæ Regiones in *Dalmatas, Croatas* & *Albanos* hodie dividuntur.

DALMATICA.

Dalmatia *Croatiæ, Serviæ, Albaniæ* regna produxit.

I. De *Slavorum* qui in Illyrico & Dalmatia consederunt *Origine*, *Regibus* & rebus *gestis* accuratissime scripsit Petrus *Luccari* in Annalibus Ragusinis, ex quo præcipua commemorabimus, quia cæteri scriptores omnia confuse & mutile tradunt.

II. Cir-

II. Circa A. IↃXLVIII. *Oſtrivoy* Rex Slavorum cum ſua gente occupavit *Illyricum* & ſtruxit urbem ad Danubium *Oſtrivoy*, aliam in *Carniola* ſitam *Slavingrod*, quæ Germanis *Windiſchen Gratz*. Ei ſucceſſit *Suelad* filius, huic *Selimir*, qui expugnata *Scodra* ſeſe Regem *Dalmatiæ* appellavit. Hujus Selimini fratres fuerunt *Loch*, *Zech* & *Ruſſo*, ut perhibent, qui coloniam Slavorum ex Illyrico circa A. IↃ L. in *Serviam*, *Bohemiam*, *Moraviam*, *Poloniam*, *Ruſſiam* duxerunt. *Selimiro* ſucceſſit in Illyrico *Budimir* à *Cyrillo* baptizatus A. IↃ CCC LXXX. teſte Bonfinio, ac mutato nomine *Suetopluk*, Græcis *Sueropilus*, dictus. Ultimus Regum Dalmatiæ fuit *Gradihna* circa A. CIↃ C L.

III. *Croatia* plerumque regni Dalmatiæ pars, interdum proprios *Reges* habuit, qualis tempore Baſilii Imp. Conſtant. fuit *Bogoſlau* & circa A. CIↃ. *Suonimir*, cui ſucceſſit Ban *Selimir* ſive *Zuemir*, ultimus Rex *Croatiæ*, poſt quem tamen commemorantur etiam alii, ut *Trevellio*, *Stephanus*, *Demetrius*, *Marcomir*, ſed Reguli potius, aliis potentioribus ſubjecti.

SCAN-

Scanderbeg regnum *Albaniæ* & *Epiri* condit.

I. Circa A. cIↃ CCCC XL. *Georgius* Castriota vulgo dictus *Scanderbeg* regnum *Albaniæ* & *Epiri* condidit. Urbs regia fuit *Croia*. Desiit cum morte *Scanderbegi* A. cIↃ CCCC LXIV.

II. *Despotæ* Epiri fuerunt ex familia *Toccharum*, qui per cc. annos duo tantum nomina usurparunt *Leonardi* & *Caroli*, teste *Volaterrano* VIII. Geogr.

BULGARICA.

Bulgarica est *Rascica*, *Servica*, *Moldavica* sive *Wallachica*.

I. *Bulgarica* natio triplex regnum sive Dynastiam produxit; *Rascicum*, *Servicum*, *Moldavicum*, quod & promiscue *Walachicum* dicitur.

II. *Bulgari* à Volga, quem Cedrenus *Bulgam* vocat sub *Iustiniano* I. progressi ad *Danubium* consederunt. Primi eorum Reges circa A. IↃ XXXIX. commemorantur *Drogo* & *Vulger*. Sigebertus Gemblacensis initium regni Bulgariæ collocat ad A. IↃ C LXXXI à quo tempore *Slavinis* subactis, *Mœsiam* inferiorem stabili sede occuparunt & à se *Bulgariam* appellarunt. Alia eorum manus *Volhiniam* in Lithuania condidit

P Alex.

Alex. *Ganguinus* in descript. Polon. Residui ad *Volgam*, *Tanaim* & in *Taurica* remanserunt, dicti *Cumani* vel *Polucci*, tandem à Tartaris pulsi. Petrus *Luccari* in Annalibus Ragus. lib. II. *Primus Rex Bulgariæ fuit Iasen à Græcis dictus Asine quem Imp. Leo Canon creavit Regem Bulgariæ.* Sigebertus *Gemblacensis* primum Regem Bulgariæ facit *Bathaiam* A. IↃ C LXXX. ejusque successores continuat ad annum usque IↃ CCC XX. destitutus eorum historia. Nam imposterum Bulgari Reges à Constantinopolitanis acceperunt, nisi quod subinde rebellabant. Tales memorantur sub *Michaele* Balbo *Bagores*, *Omorlag* circa A. IↃ CCC XXIV. in Annalibus Ludovici Pii à Reubero editis & apud Aventin. IV. *Simeon* sub Leone VI. Constantino VII. & Romano Lacopeno. Ei successit *Petrus* & *Bajanus*. Luitprandus III. 8. Ultimus Rex Bulgariæ dicitur fuisse *Iohannes* Bladistlabus; quo occiso Basilius Imp. Const. regnum Bulgariæ occupavit. Sed habuerunt Bulgari alios postea reges partim *Constantinopolitanis*, partim Regibus *Serviæ* tributarios. Qualis fuit *Catomerus* Rex Bulgarorum occisus A. cIↃ XVI. post quem regnum Bulgariæ pervenit ad Basilium Imp. Constantinopolitanum. *Elmacinus*. Plures adhuc commemorantur à Petro *Luccari* in Annalibus Ragusinis veluti *Johannes* circa A. cIↃ CC XX. *Suetislau* circa cIↃ CCC. *Michael* interfectus in prælio à Rege Ser-

ge Serviæ: cui ſucceſſit filius *Sciſman*, poſt cujus obitum regnum Bulgariæ pervenit in poteſtatem *Stephani* Vukſan ſive Duſſan Regis Serviæ, cujus tanta fuit potentia ut ſe *Imperatorem* Græciæ, Serviæ & Bulgariæ nominaret. Sed tamen Regem Bulgaris conſtituit *Alexandrum* qui A. cIↃ CCC L. obiit. Tum regnum Bulgariæ inter tres ejus filios diviſum, quorum *Stratimir* obtinuit urbem Bidino, *Iaſen* Priſlavam majorem, *Sciſman* Tarnoviam, Slanizam, Unrazam & *Sofiam*, qui etiam Bulgariæ *Rex* appellatus fuit, ſub quo *Bajazet* Bulgariam occupavit.

III. *Raſci* priſcorum *Thracum* diſperſæ per Bulgariam, Hungariam, Daciam, Illyricum, reliquiæ & ipſi ſub Bulgarorum regno, Principes ſuos ac Reges ſubinde habuerunt; ſed brevis potentiæ. Hodie ſuburbia & pagos ingenti multitudine habent; fæx populi & exercituum calones.

IV. *Serviæ* Regnum condidit *Stephanus* Nemagna primus Serviæ Rex ab *Iſaacio* Comneno Imp. Conſtantin. circa A. cIↃ CXC. factus. Hic *Stephanus* condidit regiam familiam *Nemagnorum*, cujus potentia adeo invaluit, ut circa A. cIↃ CCC XL. *Stephanus* Vukſan ſive Duſſan *Bulgariam* quoque & *Boſniam* regno Serviæ adjecerit & ſe *Imperatorem* Serviæ, Græciæ, Bulgariæ appellaverit. Ea animi magnitudine hic *Stephanus* fuit ut imperium à *Græcis* ad *Slavos* transferre cogitaverit. Ultimus ex

P 2 fami-

familia *Nemagna* Imperator fuit *Stephanus* Vrosc, qui obiit A. cIↄ ccc LXXI. Quod vero *Volaterranus* VIII. Geogr. dicit *Stephanus* commune nomen fuisse Regum Serviæ, id falsum ex Petro *Luccari* deprehenditur. Post eum regnum distractum in *Bosniam* & *Serviam* fuit. *Bosniæ* primus fuit Rex *Tuardko*, ultimus *Stephanus*, quo occciso *Turcæ* Bosniam occuparunt. *Serviæ* vero *Despotas* habuit, quorum primus *Stephanus*, ultimus *Lazarus*.

V. Circa A. cIↄ ccc. *Walachia* & *Moldavia* regnorum titulo censæ reperiuntur. *Moldavia* à MoldaMediam secante nomen tulit. Unde nomen *Walachia* fluxerit incertum est, Græcis *Blachi* dicuntur. Paulus *Iovius* XL. & *Munsterus* à Flacco Romano duce *Falacciam* dictam putant, quod *Melanchtoni* fabulosum videtur. *Walachiæ* primus Rex memoratur circa A. cIↄ ccc XX. *Vulaico*; circa Annum cIↄ ccc XL. *Moldaviæ* primus Rex fuit *Draghissa* sive *Dragoie*, circa A. cIↄ ccc LVIII. cui successit filius *Sas*, qui ex Moldavia *Walachiam* fecit. Unde nomina *Moldaviæ* & *Walachiæ* crebro permutantur ac quæ his *Moldavia* aliis *Walachia* & contra vocatur. Ei *Bogdan*, unde dicta *Bogdania* & *Carabogdania*, non quod nigrum frumentum ferat ut *Iovius* XL. vult, sed quia *Bogdanus* cognomine *Kara* id est *niger* dictus fuit, & regium titulum obtinuit ab Imp. Græco. Ultimus ex familia *Draghissæ* fuit

Ste-

Stephanus, post quem varii successerunt, quos inter *Ilia* regnum Walachiæ Polonis feudarium fecit. Famosissimus fuit *Dracula* sub Vladislao & Matthia Corvino, cujus res *Iovius* XL. describit. De *Valachia* vide quæ Benjamin Tudelensis in Itinerario habet.

ÆTHIOPICA.

Æthiopica est *Arabica*, *Africa*, *Indica*.

Æthiopum nomine generatim complectimur quicquid populorum subnigricante colore sive fusco, quales sunt Arabes & Mauri, quos λευκαιθίοπας Strabo, nos *Witte Mooren*, & atro carbonum instar, quales Afri inferiores à *Nigir* fluvio & *Ginea* usque ad caput *Bonæ* spei & extremos Æthiopum, qui nautis nostris *Strantlopers* & *Hotetot* à glocitante sermone vocantur. *Indi* utriusque coloris fusci & atri sunt.

ARABICA.

Arabes condiderunt Imperium *Muslimorum*.

I. Author hujus tam vasti Imperii fuit *Muhammed* Abulcasimus filius *Abdallæ* & *Eminæ*, natus in *Iatrib*, quæ est villa territorii *Meccæ*. Genus hic traxit à *Keidar* Ismaelis filio ac *Cudaium*, *Abdemenophum*, *Haschimum* & *Abdolmutalibum* celebres

Arabiæ Reges avos habuit: unde patet non negare Muhammedanos ſe ex *Hagar* originem ducere & errare eos, qui plebeia origine fuiſſe Mahummedem tradunt, *Schikard.* in Tarich. Hic Prophetam ſe jactans *Iſlamiſmum*, novam Religionis formam, ex Judaiſmo, Chriſtianiſmo & Ethniciſmo compoſuit ac in Alcorano tradidit. Anno Iↄcxxii. à *Coraiſchitis* Idololatris *Mecca* pulſus, *Medinam* fugit: unde Muſlimi æram ſuam ab ejus anni menſiſque Julii die xvi. auſpicantur. Obſervandum autem eſt, quod *Mariana* monet vi. Hiſt. Hiſp. 26. & vii. 3. Rodericum Toletanum duos magnos errores in annis Hegiræ numerandis committere; quod primum annum Hegiræ conjicit in A. Ch. Iↄcxviii. cum ſit xxii. & quod annos Arabicos Lunares Chriſtianis ſolaribus exæquat. Unde frequentes apud eum in annis errores. vide *Marianam* xi. 1. Idem in *Texeira* obſervatur, apud quem plerumque error unius anni, ſæpe biennii occurrit. *Titulus* ejus fuit *Nabi* id eſt Propheta. Non niſi partem Arabiæ occupavit: unde error Roderici Toletani redarguitur Hiſt. Arab. cap 5. qui Damaſcum cepiſſe ibique Regem creatum tradit. Sepultus eſt *Medinæ* Talnabj. Errorem Europæorum qui *Meccæ* in arca ferrea vi magnetis penſili conditum volunt, *Vartomanus* 1. 1. 11. 12. 13. refellit.

II. Succeſſoris Muhammedis *Chalifæ* dice-

dicebantur, quod *Vicarios* significat. Ineptissime *P. Iovius* XVII. Chalifum Regem Saracenorum fuisse, à quo cæteri denominati, ut in Ægypto Ptolemæi. Quem errorem quoque *Fazellus* Decade II. Rerum Sicul. lib. 6. errat.

III. Primus Chalifa fuit *Abubecr*, corrupte Eubokara, Bebesce, qui legiones Saracenorum Heraclio propter quæstoris convitium infensas sibi adjunxit & regiones *Gazæ* ac *Sinæ* aditus occupavit. *P. Diac.* XVIII. Subegit *Iracam* & *Basram*. Alcorani folia collegit & *Mushafum* appellavit.

IV. *Omar* tertius, *Damascum*, *Emissam*, *Kinnasrinam*, *Hierosolymam*, *Medaynam* Persiæ Regiam Cosrois, *Syriam* quæ imposterum *Scham* dicta, *Misram* & *Alexandriam* Ægypti, *Aderbeitzan*, *Harran*, *Ruham*, *Racam*, *Nasibin*, *Ahwaz*, *Barcam*, *Tripolim*, *Mausiliam*, *Mesopotamiam*, *Amidam*, *Istacharam*, *Iracam* (quæ ab *Aracca* Susianæ dicta, unde *Araccæi* campi Tibullo) *Asbahanam*, partem *Chorasanæ* subegit. *Basram* & *Cufam* muro cinxit, Hierosolymæ delubrum Muhammedi condidit & Tripoli diruta, aliam eodem nomine haud longe distantem struxit, quæ *Tripolis* Barbariæ dicitur. *Leo* Afr. v. Thuan. VII.

V. Primus Omar æra *Hegiræ* publice usus fuit & primus vocari voluit *Emirelmumenina*, id est Princeps fidelium, quod nomen Europæi monstrosum in modum

corruperunt. Matth. Paris ad A. clↄ c xcv. *Circa istos dies Rex de Maroch quem* Mirabilem Mundi *vulgus, vel quod melius* Admirabilem Murmelin *id est Almiralium bellicosum & victoriosum nuncupant*. Alii inde *Almiralios* Murmelios, *Amaro*murmelos, *Miral*mutios, Leminos fecerunt. *Rod.* Toletanus Arabicæ linguæ peritus rectius semper *Amiramomenos* vocat. Sub Omare *Osman* filius Assani æram *Iazdeschirdicam* in memoriam victoriæ Persicæ ad A. Iↄ c xxx. Junii 16. traduxit. Ita extenso Imperio Arabico lingua quoque per Persiam, Ægyptum, Africam propagata & corrupta fuit, sic tamen ut in publicis instrumentis semper pura manserit. *Scal.* Epist. 72. & 362.

VI. Titulus præfectorum *Amira* fuit. Hinc conqueritur *Leunclavius*: veram Califarum seriem nos hactenus ignorasse, quod Emiri cum Califis confusi fuerint. Falso *Haithonus* cap. 15. *Soldanos* jam hoc tempore dictos fuisse tradit: nomen illud longo post tempore cum præfecti regios spiritus assumerent, demum exortum fuit. Structam sub Osmane à *Muavia* volunt *Cairum* Ægypti. *Curio* 1. Hist. Sarac. Error inde ortus quod sub eo nova Misra vel *Fustata* & in Libya *Kairawan*, quam pro Cahira acceperunt, condita fuerit.

VII. *Osman* Biram, Hamadanam & plures Syriæ urbes, Africam, Cyprum & in Chorasena Naisabur, Herat, Tus, To-

charistan,

chariſtan, Marwarnd, *Elm*, ſecundum *Rod.* Toletanum, *Libyam, Marmaricam, Pentapolim, Gazam, Æthiopiam* ſupra Ægyptum domuit, ſub eo facta illa Arabum in Africam migratio. LXXX.CIↃ. Arabum ſub *Hucba* Ibn Naſic in Africam tranſierunt & *Alcairam* CXX. mill. à Carthagine ſtruxerunt, *Leo* Afr. V. ubi manifeſtum eſt per *Alcairam* intelligi non illam Ægypti *Cahiram*, ſed Cyrenaicæ *Cairowan*. Ab hoc tempore Africa ab Ægypto ad mare Atlanticum, propter inconditum Numidarum ſermonem & deſerta *Elbarbar*, Europæis *Barbaria*, Scal. Ex. LI. Specialis vero Numidia *Biledulgeind* id eſt palmifera, Libya *Sarra* id eſt deſertum dici cœpit. *Curio* I. Vagis autem Numidis nomen *Arabum* tributum. *Iovius* I. & XXX.

VIII. Inter *Muaviam* & *Alin* magnum exortum fuit ſchiſma quod hodieque apud Muſlimos durat. Sectatores *Alis* virides veſtes gerebant. Ita perniciabile odium inter *Alis* & *Muaviæ* ſucceſſores relictum fuit. Regia *Muaviæ* erat *Damaſcus* ſive Scham. *Zaccuth.* apud Scal. III. Can. *Muavias* in Africa ſubegit *Caphſan* quæ videtur illa Jugurthæ Capha eſſe apud Salluſtium ac multa inſuper Africæ & Aſiæ uſque ad Conſtantinopolim. *Mardaitæ* per Caucaſia Clauſtra (quæ ſunt ad *Derbent*) egreſſi, ſpeculas omnium montium à Tauro ad Libanum occuparunt. *Ali* ſepultus eſt prope *Cuſam* in deſerta Arabia, qui lo-

cus *Metzed* Ali dictus: ejus filius *Hussein* in campis *Kabelah*, ubi Metzed Hussein vel Ocen structa, quæ loca hodieque Persarum Regibus Sofianis sunt sacra & sepulturæ destinata. *P. Diac.* XVIII. *Mirkond. Olearius.* Sub *Iezido* captæ *Choworasmia*, *Bochara* & Rex *Samarcandæ* tributarius factus. Ibn *Zubair* vendicans sibi Chalifatum, Heiazum, Irakam, Chorasanam, Yamanam, Ægyptum & Syriam, excepta Oroddana, vendicavit ac novem annis obtinuit. *Hejajus* præfectus Iracæ condidit urbem *Waset*.

IX. *Walid* subegit in Baikenda & Mawaranahr *Farganam*, *Bagrasam* Turciæ metropolim, *Samarcandam*, *Sindiam*, *Hispaniam*, fere omnem & omnem Africæ maritimam oram, utramque Mauritaniam ad *Nigrim* usque. Atque hic fuit summus Imperii Muslimici gradus, cum in Asia omnia ab Indis, Sinis & Tartaris tenerent, excepta tantum *Abcassia* & provincia Armeniæ *Haloen*, Haitho 15. Expugnatæ sub Walido Hispania, Casgara & India. Hispania ab Arabibus occupata novam plane faciem induit: lingua Hispanica & Arabica permixtæ ac numeri Arabici ab Indis derivati, primum ad Hispanos inde ad reliquos Europæos fluxerunt. *Scal.* Epist. 86. 87. 223. *Suleiman* Tabaristanam & Tzirtzan, quæ duæ provinciæ solæ in Persia restabant, subegit. Recruduerunt tum odia inter sectam *Ommia* &

Abbasi,

Abbasi, movere se cœpit Haschemidarum imperium. *Abul Pharaj.* Vestitus sectæ Abbasidarum erat niger.

X. *Abbasidæ* Ommiadis in Africam pulsis, Chalifatum ad se solos transtulerunt. Falsum est jam sub Saffaho Chalifatum in tres partes divisum, Persiæ, Syriæ & Ægypti, quod volunt *Cedrenus* & *Zonaras* Tomo III. *P. Diaconus* XXII. & ex iis alii. Nam id demum post obitum Saffahi factum, ut Elmacinus testatur.

XI. *Almansor* fundavit Medina *Salami* id est civitatem *pacis* ad confluentem Tigris & Eufratis, ex Seleuciæ sive *Madayenæ* & Basilicæ *Cosræ* ruinis, quam incolæ *Bagdad* vocarunt, sive à tugurio *Eremitæ* cujusdam, cui nomen *Bagdad*, ut Elmacinus vult, vel ab amœnitate: *Baga* enim Persis sunt amœna loca. *Mirk.* Sita erat medio itinere inter *Basram*, *Cufam*, *Wasetum*, *Mauselam* & *Sawadam*, ad confluentem Tigris, Euphratis & Sorat. *Abul Pharaj.* Hanc urbem male cum *Babylone* confundunt. *Scal.* III. Can. Falsius *Susas* interpretatur *P. Venetus* I. 17. Hæc fuit imposterum sedes Chalifarum Abbasidarum. Europæi eam *Baldach* corrupte nominant. Scal. v. Emend. Temp.

Chalifatus dividitur in *Bagdad*, *Cairowan* & Ægyptum, *Andalusiam* & Fez.

Vasta hæc Imperii Muslimici moles divisa fuit in quatuor partes sub Almansore.

CHALIFATUS BAGDAD.

Chalifatum *Bagdad* retinuerunt *Abbasidæ.*

I. Deficientibus Africanis & Hispanis sub Almansore *Abbasidæ* Chalifatum Bagdadensem retinuerunt, qui paulo post defectione provinciarum admodum extenuatus fuit, ita ut Turcæ & Haitho seriem Chalifarum jam in *Harone* Reshid claudant, *Leunclav.* 1. Nam sub Chalifa *Mutazzo* defecerunt *Dailami*, *Tabristani* & *Tzirtzani* ac paulo post *Ribi*. Jacub *Leys* condidit præpotens imperium per *Segistanam*, *Chorasanam*, *Kirmanam* & *Persiam*. Mawaralnahhram invasit *Rasb* filius Naçer Samarcandæus, quem *Abul Pharajus* vocat *Rapheum* Ebnol' Lith, Regia sede in *Bochara* collocata, quod regnum à successoribus ejus valde dilatatum fuit adjectione *Chorasanæ*, *Tzirtzanæ* & *Tabristanæ*. Familia Regum dicebatur *Samanæa*, cui successerunt *Sebektekini*, quorum familia condita fuit à quodam *Sebektekino* Duce

copia-

copiarum *Nuchi* Regis Mawaralnahræ, cujus filius *Mahmud* se Regem *Indiæ* (partis nimirum ejus, nam maximam tenebant Reges Potanenses) *Chorasanæ* & *Mawaralnahhræ* fecit: postquam *Ilech* Khan Samanæos evertisset circa A. Chr. cIɔ. ut ex *Texeyra* in Tayacha & Kader patet. Magna horum *Sabutakinorum* per Indiam & Persiam potentia fuit eorumque majestatem reliqui Indiæ & Persiæ Reges colebant. Quanquam vero Turcæ sub *Togrulbek, Olbarselan, Melicsha*, magnam Persiæ & Chorasanæ partem occuparint; tamen Sebutakini partim affinitate cum illis inita, partim armis Chorasanam & Persiam Bagdadum usque sibi asseruerunt, idque duravit usque ad A. cIɔ CLIII. quo Rex *Kozrao* omnibus in Persia amissis solam Indiam retinuit, eaque paulo post à *Gayateddino* Rege Potanensi octavo, spoliatus fuit: Quem Cedrenus vocat *Muchumedem*, Persidis Sogdianæ Chorasmiorum, Oritanorum (hi sunt *Dailami* & regiones *Albegal*) & Mediæ Principem.

II. Nec defuerunt occasioni *Caramitæ* sive *Karmatiani* secta ex *Batynæis* originem ducens, qui in tractu Susianæ sive *Cusestan* & *Cufæ* Tyrannidem exercuerunt, late per Syriam & Arabiam formidabiles. Dux eorum vel alterius sectæ *Babecus* erat, de quo *Abul Pharaj*.

III. Sed potentissimum fuit regnum *Syriæ* & *Ægypti* quod A. Iɔ CCC LXIX. *Ahmed*

med filius Tolunj à Turcomannis Rex creatus condidit. *Zaccuth* apud Scal. 111. Can. Non tamen verum eſt quod dicunt, tum temporis Califatum in Ægypto conſtitutum; nam illi Reges initio agnoſcebant Chalifatum Bagdanenſium Majeſtatem ac nonniſi præfecti eorum dicebantur: deinde paulatim aſſumſerunt titulum Regum & Sultanorum. *Chalifæ* autem non ante fuerunt quam *Fatimidæ* Kairowanenſes Ægypto potirentur. *Tres* tantum ex familia *Tuluni* Imperatores in Ægypto fuerunt, *Achmed*, *Chamarawaih* ſive Hamarujah,& *Harun* qui A.Iↄ cccc IV. interfectus ultimus fuit Imperatorum *Tulunidarum* atque hoc anno finem habuit dominium Tulunidarum. *Abul Pharajus.*

IV. Poſtea magis magiſque Chalifatus Bagdadenſis in anguſtias redactus. Quippe certatim *Dailami*, *Perſæ*, *Kirmani*, *Iraci*, *Bagdadenſes*, *Baſrenſes*, *Meſopotamii* Diarrebiæ, Diarbecræ, *Halebenſes*, *Muſulenſes*, *Choraſmii*, *Tabriſtani*, *Isfahanenſes*, *Hamadani*, *Hamurzani*, *Tzabii*, *Tzirzani*, *Naſibini*, *Singarenſes*, *Tripolitani*, *Emeſſani*, *Batynai* ſive *Aſſaſſini*, *Hella*, *Antiochia*, *Schiaizira*, *Hulwan*, *Armenii*, *Hieroſolyma* ſive Terra Sancta, *Schiraz*, *Balbek*, *Ruha* & aliæ urbes ac provinciæ defecerunt; ita ut Chalifis nihil præter nudum titulum relinqueretur, omni ad Sultanos poteſtate tranſlata.

V. Inter hæc regna quæ ex ruinis *Bagdadenſis*

dadensis Chalifatus orta sunt, præcipue eminebant Regnum *Bagdadi*, quod *Boytæ* sive filii Boyæ, genus à priscis Persarum Regibus ducentes, condiderunt. De cujus regni origine videndus *Abul Pharajus*, & progressu ac occupatione Bagdadi quæ facta ab *Achmed* Muazzuddaula. Anno Iↄ cccc xlv. *Halebi*, cujus Reges *Mardasitæ*, quibus successerunt ex posteritate *Atabeg* Zingi, qui Europæis *Sanguinus* Ajobitæ, quorum primus Rex *Nuredin*, Europæis *Noradinus*, ejus filius *Saladinus* qui Chalifatum Ægypti Fatimidis eripuit. Ultimus Chalifa ad *Vlakku* Khan Tartaro extinctus fuit A. cIↄ cc lx. *Mirk. Venet.* I. 6.

VI. *Chowaresmiorum* Regum Catalogum habuit *Schikardus*, qui in præfatione *Tarich* meminit *Abuschoga*, *Abulmutaphari*, *Abulphatachi* & successorum. Hujus regni prima fit mentio apud Abul Pharajium ad A. Iↄ cccc lxxxvii. ubi ita inquit: *Eo anno obiit* Mamun *Ebn* Mohammed Chowaresmi *Dominus*, *cui successit in Imperio filius ipsius* Ali. Et: A. cIↄ xvi. *interfectus est* Chowaresmi Rex Abul Abbas *Mamun*, & Chowaresmi regnum obtinuit *Yaminoddaula*. A. cIↄ c lxxi. *Chowaresm* Schach *Arslan* Ebn *Aksar* obiit, *succedente ei filio ipsius Soltan* Shah Mahmudo. *Contra quem frater ejus* Alaodin Tacash *ope* Chatæorum *Regis* Choworasmiam *obtinuit*. A. cIↄ c xcv. Chowaresm *Shah Bocharam* à Chatæis recepit. A. cIↄ c x cviiii.

obiit

obiit Chowaresm *Shah Tocush* Ebn Arssan, *eique in regno Chowaresmiæ successit filius ipsius* Kotboddin Mohammed *cognominatus* Alaoddin, *patris sui cognomine*. Hic est ille Sultanus *Mohammed* Ebn Tocush Chorworasmiæ, cui bellum intulit *Zingis* Chan, ut idem commemorat. Fugatus ex Choworasmia *Mohammed* potitus est urbe *Gazna*, cum antea maximam *Chorasanæ* partem & regnum *Bamianæ* possedisset. Expugnavit postea Zingis *Bocharam* & *Samar*, *Candam*, *Balcham*, *Bamiyanum*. Soldanus *Mohammed* in *Chorasanam* secessit. Ei successit filius *Galaloddinus*, qui in *India* & *Irak* auxilia contra *Mogulenses* contraxit ac in Syriam cum Choworasmiis confugit, ubi *Chelatum* expugnavit, provincias Soldano Ægypti subjectas miserè vastavit ac tandem A. cIↄ cc xxvi. à *Curdis* latronibus in montanis Amidæ interfectus fuit. Hic finis fuit Choworasmiorum potentiæ. Habuerunt tamen adhuc suos principes, qualis fuit *Gayerchanus* & in Mesopotamia sedes ab Ægypti Soldanis assignatas possederunt. Sed iterum emerserunt *Chorasmii* ac regionem & urbem *Zirzan* occuparunt. Continuatio *Tyrii* III. 17. in qua tempore *Timuri* circa A. cIↄ ccc LXX. regnavit *Hussein* Sofi, cui A. LXXIV. successit *Iuseph* Sophi, quem Timur occidit ac urbem *Zirzan* quæ & *Chorasmia* dicebatur, diruit. Hæc igitur est Chorasmia occidentalis. Nam *Arabsha*

expresse

expresse dicit Chorasmiam fuisse ad occidentem Mawaralnahræ. Unde Timur per viam *Asterabad* profectus est in Chorasmiam.

VII. Sed quoniam scriptores, imprimis *Leunclavius* in Annalibus Turcicis admodum confuse ac erronee illam Chorasmiorum Tartaros fugientium in Persiam & Syriam irruptionem describunt, operæ pretium est apponere illa quæ *Math.* Paris in vita Henric. III. Regis Angliæ *tradit* ad A. cIↄ cc XLIV. Ita igitur ille inquit: *Dum* Tartari *partes Persidis quasdam feraliter devastassent, quidam cruentissimi homines confinia rubri maris inhabitantes & qui de potestate sunt majori parte Soldani Babyloniæ; dicti* Choeresmini, *Tartarorum vitantes irruptiones & venientes ad Soldanum* Babyloniæ *locum habitationis instanter & acriter postulabant. Qui eos contra* Christianos *in* Palæstinam *misit, ubi* Hierosolymam *invaserunt & miserabili strage affecerunt*, de qua ibidem prolixe agit. Idem refert A. XLV. captam à *Chorosminis* Damascum & *expulso* inquit *Soldano* Damasceno *ac in Orientalibus regionibus vix tuto latitante, ipsa civitas cum partibus adjacentibus*, Babylonicis & Chorasminis *est subjecta.* Sed ut ex eodem *Paris* patet, ad A. cIↄ cc XLVI. initio tantum erant *stipendiarii* Soldani Babyloniæ, mox cum A. XLVI. Soldanus Babyloniæ stipendia non solveret, eo deserto

ad

ad Soldanum Damaſci conceſſerunt : *& dedit idem Soldanus* Damaſci *in odium & perniciem* Babyloniorum *filiam ſuam nuptui Principi* Choraſmiorum. *Et ex tunc Damaſceni reſpirantes potenter Babylonios debellarunt adjutorio freti* Choraſminiorum. Idem tradit A. cIↃ cc XLVII. *Choraſminos* penitus deletos. *Et factum eſt*, inquit, *ut de ſub cœlo nomen eorum penitus deleretur, adeo quod nec eorum veſtigia apparuerunt.*

VIII. *Haitho* Armenus cap. xv. tradit Choraſmios poſt obitum *Belchiaroki*, in illa confuſione Imperii Turciæ occupaſſe *Perſiam* & creaſſe Regem *Ialaladdinum*. Ridet hoc *Leunclavius* ſed male. Nam *Texeira* in Califa *Nacer* expreſſe tradit: *Choraſmios* ſub ejus Califatu veniſſe in Perſiam & *Saljukios* viciſſe ac oppreſſiſſe. Per *Saljukios* intelligit *Turcas* Perſarum Soldanos, non vero *Saljukios* occidentales ſive *Rumæos*. Quanquam *Haitho* cap. xv. Choraſmios etiam contra *Aladinum* Iconii & Sebaſtes Sultanum bellum geſſiſſe tradat. Sed *Mirkond* Texeiræ diverſum plane tradit de hoc Gelaladdino ab iis quæ Abul Pharagius refert. Dicit enim ; *Gelaladdinum* ultimum Choraſmiorum Regem ſub *Oktay* Kahon, in *Multan* Indiæ regno occiſum fuiſſe. Quomodo ergo copias paternas *Bagdadum* ducere potuit, ſi in *Multan* occiſus ? Niſi cum *Haithone* Armeno ſtatuere velimus ; *Bartatum* Gelaledini filium

filium illum fuiſſe,qui in Perſiam venit,ac *Gelaledini* nomen aſſumſiſſe. *Leunclavius* totam hanc Choraſmiorum hiſtoriam fœdis erroribus contaminavit. Is *Muhammedem* Regem Choraſmiorum vocat *Curiſemen*. Flium Curiſemis *Vgnan* Chan,de quo tradit quod patri ſucceſſerit, copias paternas Bagadaden verſus duxerit, urbem occuparit, incolas occiderit, regionem univerſam ſibi ſuiſque vindicarit. *Vgnan* Chan idem videtur eſſe nomen quod Paulo Veneto *Vncam*. Abul Pharagio & Zaccutho *Vngchan*. *Curiſemis* nomen expreſſum eſt ex vitioſa lectione nominis *Chowareſm*, quod *regionis* non *Regis* eſt. Rex enim vocabatur *Muhammed*, ut dictum. Ei ſucceſſit *Gelaladdin*; huic ſecundum Haithonem *Bartat*, quem vide de hac fortunâ Choraſmiorum cap. xv. Quod vero Math. *Paris* tradit, Sultanum *Damaſci* Choraſmios contra Babylonios evocaſſe, id continuatio Tyrii III. 17. de *Meledino* Sultano Ægypti, cui etiam Damaſcus parebat, intelligit.

IX. Ut igitur omnes hæ de Choraſmiis contradictiones tollantur, diſtinguenda eſt *antiqua* Choraſmia,quam Haitho c. IV. deſcribit à *recentiori* quæ *Zirzan* complectebatur & in qua *Choraſmii* adhuc tempore *Tamerlanis* regnarunt. Unde falſum eſt quod Paris & alii tradunt, omnem Choraſmiorum memoriam deletam fuiſſe.

X. Quapropter ita dilacerato Chali-

farum

farum *Abbasidarum* Imperio, cum nihil nisi Jurisdictionem *Ecclesiasticam* eamque arbitrio & favore vel odio Sultanorum circumscriptam retinerent, non est illis amplius locus in Chronologia Politica. Unde *Tarich* Schickardi posteriores non recenset; quia *Domini* erant sine *jurisdictione*. Nam non *domo* se tantum continebant, in publico extra solennitatem *Ramadan* non visi, sed & manibus suis laborabant ex voto voluntario, ut solitudinis ac longi temporis tædia fallerent, quod Rabbi *Benjamin* de sui ævi Chalifa *Mostazio* testatur, *eum fecisse storeas illasque in publico foro vendi curasse.*

XI. Desinendum ergo est in *Arradis* ut ex Historia Saracenica patet & omittendi omnes Califæ usque ad Moctafis. Annales Turcici *Leonclavii* desinunt in Hatone *Rasid*, sed male: aliquot enim adhuc Califæ post eum Imperio potiti, usque ad Arradin. Iterum autem emersit eorum potentia A. cIↃ c XL. sub *Almoktafi*, quem *Tyrius* XVII. 10. vocat *maximum Saracenorum Principem & Monarcham*, *Califam* Baldacensem. Agit autem de rebus anni cIↃ c XLVIII. unde patet quod non alium quam Almoktasium intelligat. Nam hic iterum potitus Imperio *Iracæ* & *Persiæ* & post eum tres sequentes. Sed *Nacer* denuo à *Chorasmiis* sub *Gelaladdino* & *Bartato* Bagdado & Persia exutus, ut ex Leonclavio & aliis patet. *Gregorius* Abul Pharagius

ragius Almoktafi *primus erat qui solus in* Erako *fuit sine* Soldano *& arbitrio suo exercitum & subditos suos rexit, ex quo primum* Mamluci *in Chalifas imperium exercuerunt & à tempore Almostanseri ad hunc usque diem.* Vide etiam Benjaminem in Itinerario & ad illum notas l'Empereurii, ubi tamen errores in annis Hegiræ committit.

Chalifatus *Andalusiæ* in viginti regna dilaceratur.

I. A. Iↄ cc LVI. *Muavias* ex familia *Ommiæ* Chalifa & Amirelmumenina *Hispaniæ*, quam Arabes *Andalusiam* vocant, factus fuit. *Elmacinus.* Sed Hispani scriptores ab *Abdurrhaman* demum Chalifatum Andalusiæ auspicantur, quibus ut domesticis major fides quam Elmacino debetur, quem constat ex Chronologia minus certam earum rerum notitiam habuisse. Atque ab hoc tempore *Cismarini* ab *ultramarinis* Arabibus separati sunt. *Roder.* Tolet. 18. qui tamen *Muaviæ* nullam mentionem facit, vel quia non diu regnavit vel quia nondum publice titulum Chalifæ assumserat. Ex hoc *Muavia* vel *Ommiadum*, quos Elmacinus *Amawæos* vocat, nomine, Latini Mauros Hispaniæ *Moabitas* vocarunt. Sic in Calixti II. Papæ Rom. apud Marianam x. Hist. Hisp. 13. literis legitur; *Irruentibus Mauris* seu *Moabitis.*

II. Pri-

II. Primus *Abdurrhaman* Adal *Muaviæ* filius, *Hispali*, *Corduba*, *Toleto* captis & regno Andalusiæ confirmato, *Chalifam* se ac *Amirelmumenina* vocavit, sede Imperii *Cordubæ* collocata. *Elmac. Tolet.* 19. Vazæus: *Abderrhamen occiso* Juseph *se Miramolinum Hispaniæ & Regem Cordubæ appellari jussit. Atque hoc primum tempore Hispania Miramolino Babylonio subjecta & vectigalis esse desiit Anno Arabum* 142. *secundum Toletanum*, *Christi* IↃ CC LX. *secundum Rasen A. Arab.* 138.

III. *Hischjam* subegit *Girundam* & *Narbonam* ac Christianos horum locorum coëgit humeris ac vehiculis onera à Narbona Cordubam usque ferre. In hæc tempora incidit fabulosa illa expeditio *Caroli* Magni in Hispaniam descripta à Joh. Turpino. Fingit is Regem Africanum *Aigolandum* qui totam Hispaniam subegerit. Ejus socios facit *Tessephinum* Arabum, *Vrabellum* Alexandriæ, *Avitum* Bugiæ, *Ospinum* Algarviæ, *Facinum* Barbariæ, *Alin* Malclos (Malagæ) *Alphinorgeum* Majoricæ, *Manuon* Meccæ, *Ebraim* Siciliæ, *Altumajor* Cordubæ Reges. Quæ omnia gerris Siculis vaniora sunt. Quemadmodum etiam *Benjamin* Tudelensis in Itinerario nugatur de *Pipino* patre Caroli, quod primò omnium Hispanias Ismaelitis ereptas sibi subjugaverit.

IV. *Abdurrhanam* factionibus in fide & Politia sublatis & *Septa* Africæ capta di-

ctus

ctus fuit *Nasirlidinilla* & Amiramomeni. *Rod.* Tolet. cap. 30. Sed quod *Elmacinus* dicit primum hunc dictum fuisse Imperatorem fidelium, id pugnat cum *Rod.* Tolet. cap. 18. qui tradit Abdurrhamanem primum jam ita dictum. Hic est ultimus Rex Hispaniæ, cujus Elmacinus meminit; post eum nihil se de iis intellexisse refert; desiisse autem Ommiadas florere in Hispania circa A. Arab. cccc. Ch. cIↃ IX. Luitprandus I. Hist. I. & V. 4. tradit Saracenos qui Fraxinetum in Italia tenuerunt fuisse tributarios Abderrhamenis Regis Cordubæ. Idem tradit author Annalium de rebus Ludovici Pii ad A. Ch. IↃ CCCC XXVI. *Isen* Almuhayatbilla *Conimbricam* cepit, quæ exinde fuit deserta septem annis, postea à Saracenis instaurata & possessa LXX. annis. *Vasaus.*

V. Post hæc tempora *Chalifatus* Andalusiæ intestinis dissidiis corruit ac dilaceratus fuit circa A. cIↃ. Tum enim miræ inter *Chalifas* confusiones, qua occasione *præfecti* provinciarum & civitatum Regios titulos assumserunt. Ita varia per Hispaniam regna caput supra Chalifatum extulere, quorum nomina hæc reperiuntur: *Saragossæ, Balaquer, Montionis, Barbastri, Fragæ, Albarracini, Dianii, Tudelæ, Majoricæ, Oscæ, Toleti, Murciæ, Almeriæ, Pacis Augustæ, Portugalliæ, Seviliæ, Cordubæ, Granadæ* & *Ilerdæ, Valentiæ.* Ex his præcipua fuerunt regna *Saragossæ, Toleti,*

leti, Seviliæ, Cordubæ & *Granadæ*. De quibus regnis *Mariana* VIII. *numerum horum regnorum & nomina ac tempora Regum inire operæ pretium non est, ac ne facultas quidem.*

VI. Regnum *Saragossæ* inter hæc Saracenica per Hispaniam, antiquissimum & primum fuit. Primum ejus Regem Hieronymus *Blanca* Tomo III. Rerum Hispan. facit *Ibnibalam* & inde longam seriem usque ad ultimum *Almohazen* recenset. Et certe *Muza* Aben Hazni ea fuit potentia ut se Emirelmumenina appellaverit. Sed Rod. *Toletanus* cap. 48. regnum Saragossæ auspicatur à *Mundiro* filio *Hyahye*. Ita etiam *Mariana* X. Rer. Hisp. 7. & Indiculus Rerum ab Aragoniis gestarum qui extat Tomo III. Rerum Hispan. testatur Mundirum circa A. CIↃ IX. primum Regem Saragossæ fuisse, priores tantum præfectos.

VII. Regnum *Granadæ* ita exortum fuit. *Bedis* Habudi filius relicta Corduba civitatem ad S. Josephi turrim in *Alcacava* fundavit & ad S. Christophori regiam posuit, statua equestri ex ære in summo colle erecta cum lance à clypeo & hac inscriptione: *Bedis* Aben habud sapiens edicit hinc *Andalusiam* defendendam esse. Ab uxoris ejus nomine quæ *Nabata* dicebatur & voce *Garb* quæ occasum significat nomen urbi Garbnahata inditum. Nam Mauri pro *Granada* dicunt *Garnata*. Insi-

gni

gne urbi regnoque malum granatum datum. *Thuan.* XLVI. *Habud* videtur esse ille quem R. David Ganz vocat *Hebos* Regem Granadæ.

Chalifatus *Fessæ* & *Andalusiæ* coalescunt.

I. *Chalifatum* Fezzanum in Mauritania A. IↃ CC LXXXVIII. constituit *Idris* fil. Abdallæ, fil. Al *Huseini*, fil. Al *Haseni*, fil. *Alis*, inauguratus in urbe *Walila* Jovis 7. Rabiæ prioris A. H. CLXXII. Hujus posteritas annis fere CL. imperium tenuit. *Leo. Idris* II. *Fezzam* struxit ibique sedem Chalifatus posuit, quæ à Saracenis *aula Occidentalis* dicta fuit. *Thuan.* VII. Regnum *Haresgolæ* tenuit alius quidam Idris avunculus Idris II. cujus posteri regnum illud tenuerunt annos CXX. destructum fuit regnum *Haresgolæ* à quodam Carvennæ Pontifice. Fuit & aliud regnum *Tegdemt* quod tenuit patruus Idris II. cujus familia regnavit annos CL. & itidem destructum est à Pontifice Cairowanæ A. Ch. IↃ CCCC LXXV. ut *Leo* tradit.

II. Deinde secuta est multorum hæreticorum & principum rebellio, quorum nonnulli Principem *Granadensem* in Bætica, alii *Carvani* dominos in auxilium vocarunt. Sed quidam *Carvani* Pontifex totam regionem occupavit: postea Rex *Cordubensis* cuncta usque ad fines Zabæ domuit.

III. Circa A. Iↄ cccc xxxiv. quidam concionator hæreticus *Chemin* Mennal Fessanos ad rebellionem contra *Chalifam* concitavit. Tandem res ita composita fuit ut Chalifa *Fessam*, Chemin Mennal *Temesnam* retineret. Tenuit hic *Mennal* imperium annis xxxv. & ejus posteri annis fere centum: postea à *Jusefo* Tessefini filio deleti sunt. *Leo* Afr. III.

IV. Regnarunt *Fessæ* ex familia *Idris* xiv. ultimus fuit *Alhasen*, qui occisus fuit mense Ziumadæ prioris A. H. 375. consilio *Hasjami* Mubbeidæ, qui *Zeiram* filium Athiæ Zenatæum ad Imperium Mauritaniæ concitavit. Circa A. Iↄ cccc lxx. *Balharabus* MiramolimusAfricæ fuit, cui *Rhasis* Medicus sua commentaria inscripsit. *Mariana* viii. 8. Resendius eum *Dalharab* vocat. Videtur hic fuisse Pontifex sive Chalifa *Cairowana*. Sic circa A. Iↄ cccc. ex familia *Mecnasa* regnavit Almotaraph *Rod.*Toletanus iv. Hist.Hisp.21. Sed Mariana Almotaraphum non nisi Ducem Regis Mauritaniæ facit.

V. Igitur A. Iↄ cccc lxxxv. *Zenatæi* Chalifatum & Imperium Mauritaniæ obtinuerunt. *Duæ* autem Zenatæorum familiæ ordine Imperium occuparunt. Prima fuit *Mecnasa*, secunda *Magraoa*, quam paullo post *Lautunii* pepulerunt. Cum enim duo fratres de regno Fessano contenderent, alter ex iis, ut in pace regnarent, Novam Fessam lxxx cIↄ. domum

capacem

capacem veteri contiguam & muro tantum discretam condidit & ita duo fratres eorumque successores per centum annos, unus in *Veteri*, alter in *Nova* Fessa regnarunt. Tandem *Iuseph* Tessefini filius *Almoravidum* Rex, arbiter inter dissidentes lectus utrumque occidit ac solo æquatis muris, pontibusque ex duabus unam urbem fecit. *Leo* III. Ex familia *Magraoa* circa A. cIↄ xxx. regnavit *Vnes*, cui successit *Cina* & huic A. cIↄ xxxv. *Buccharis*. Volaterranus II. *Geograph.* Tunetani tum quoque Reges suos habuerunt. Refert enim *Volaterranus* in Geographia A. cIↄ xxx. Pisanos cepisse Carthaginem & Regem ejus Romam duxisse, quem Christianum factum *Papa* Diademate cinxerit & in regnum remiserit.

VI. Post *Zenatæos* Imperium Mauritaniæ occuparunt *Lontunii* dicti *Almoravidæ*. Fuerunt autem *Lontunii* gens Barbara, quorum regnum ad montem Atlantem A. cIↄ LII. invasit *Abul* Tessefin, *Tolet.* 47. *Fazell.* Dec. II. VI. Hujus filius *Iuseph*, pulsa Zenatæorum familia *Magraoa*, sedem Imperii in urbe *Marucco* à se recens condita collocavit. Hic Arabes qui inde usque à temporibus *Muazzi* Chalifæ Ægyptii Africam prædæ habuerant, longe lateque usque ad Ægypti terminos domuit ac regna *Cairawana* aliaque priscis Dominis restituit, *Mahdiam* delevit. *Leo* Afr. III.

VII. Ita cum *Iuseph* Tessefin, *Almoravidum* Rex, totam Africam ad Ægypti fines & ipsos Nigritas ac Libyes interiores sibi subjecisset, Reges *Tuneti*, *Bugiæ*, *Tremezeni*, *Carvennæ* aliosque tributarios fecisset; expeditionem in *Hispaniam* tum misere in multa regna distractam discordemque suscepit ac A. cIↃ XCI. Regibus *Cordubæ*, *Andalusiæ*, *Valentiæ*, *Saragossæ*, *Murciæ*, *Almeriæ*, *Granadæ*, & quicquid de Chalifatu Ommiadum restabat, subactis, Monarcha *Cismarinus* & *Ultramarinus* factus est, *Rod.* Tol. 48. Fuit circa A. cIↃ C XXXIX. quidam *Ismarius*, quem Duartus Nonius Tomo II. Rer. Hispan. etiam *Ismaelem* vocatum fuisse scribit, magnæ Africæ partis Bæticæque Rex, quem exercitu quadringentorum millium (forte quadraginta) bellum Alfonso Lusitaniæ Regi intulisse scribit *Resendius* IV. Antiq. Lusit. Ex eodem patet hunc Ismarium Almoravidam fuisse ex familia *Halis* Regis Maroccani, qui procul dubio Abrahamo tum ab Almohadis everso in parte regni successit ac Africa pulsus in Hispaniam arma convertit.

VIII. *Almoravidis* in Chalifatu Mauritaniæ & Hispaniæ successerunt *Almohadæ* A. cIↃ C XXXIX. Conditor hujus familiæ fuit quidam *Abdalla* cognomine *Elmahadi*, Ludimagister & concionator, qui se Vatem ex Muhammedis posteritate jactabat. Is initio cum *Hargiis* qui ex *Musmudarum*

darum gente sunt, consortio, debellato *Abrahamo* Almoravidarum Imperatore & *Orani* ad spontaneum præcipitium adacto, brevi mortuus Imperium *Abdulmumeni* reliquit, qui capto Marocco *Josephum* ultimum Almoravidarum jugulavit. *Thuan.* VII. & omnes *Luntunios* Africa ejecit & tota *Africa* à Messa ad Tripolin, in longitndinem xc. in latitudinem xv. dierum itinere, præterea tota *Hispania*, quæ in Maurorum potestate erat, occupatis. *Leo* II. Ejus tempore in Hispania Saracenorum Reges fuerunt *Abephandit*, *Zaphadola* Rex Rondæ. *Mariana*. & Rex *Lupus*. Lucas *Tudensis*. Rex *Corduba* fuit *Abengamia*. Tomo III. Hispan.

IX. Jacobus *Almansor* Tuneta regno ejectis *Abdaleciti* hæredibus Bugiam occupavit. Ita *Almohada* Africam & Hispaniam à Tarifa ad Arragoniam cum bona Castellæ ac Portugalliæ parte obtinuerunt ac sub *Iacobo* omnium amplissimum in Occidente Imperium condiderunt. Arabum magnam partem secum in Mauritaniam duxerunt & iis *Duccalam*, *Azgaram* ac *Numidiam* habitandas dederunt. *Leo* I. & II.

X. *Almohadum* potentia collapsa fuit circa A. CIƆ CC X. Cum Muhammed *Ennasir*, quem Math. Paris vocat *Admiralium* Murmelinum Regem Magnum Africæ, Marocchiæ & Hispaniæ, Rogerus *Hoveden* in Hist. Angl. corrupte *Bojac* Almiramisi sive

Almiramimoli, in Hiſpania à Chriſtianis ad Navas *Toloſanas* victus fuiſſet. Decem is reliquerat filios qui inter ſe diſcordes præfectis Provinciarum rebellandi occaſionem præbuerunt. Ultimus Fezzæ Rex fuit *Abu Dubuſius*, ſub quo Marinei Fezza potiri. *Henninges*.

XI. *Quatuor* autem præcipua regna ex hac *Almohadum* Imperii deſtructione enata ſunt, *Tremeſenum, Tunetanum, Feſſanum* & *Granadenſe*. *Tremezenum* ſive *Teleuſinum* regnum olim tenuit quidam Beni *Habdul* Guad ex ſtirpe *Magroa*, cujus ſucceſſores per ccc. annos regnarunt, uſque dum poſt mortem Muhammedis Ennaſir *Ghamſar*, quem Hiſpani ſcriptores *Gomaranſa* vocant.. *Mariana* XIII. 14. *Thuanus* VII. *Gamarazanum*, Zeyeni filius ex *Sanhagiis* & *Magroa* ſtirpe eo potiretur, cujus poſteri *Benizeyni* ſunt appellati. Ex hac *Benizeyenorum* familia x. Reges per ccxxx. annos regnarunt perpetuis bellis & cladibus à Merenis Feſſæ regnantibus exercitati, adeo ut ex decem illis Regibus qui *Zeyeno* ſucceſſerunt, nunc hic interfectus, ille captus, alius regno expulſus & fugatus ſit. Circa A. CIↃ CCC XXX. *Botexeſinius* fuit Rex Tremezeni. *Mariana* XVI. I. Bohamon *Abdalla* Rex Tremezenis circa A. CIↃ CCC LX. commemoratur Tomo III. Rer. Hiſpan. quo tempore peculiares Reges fuerunt *Conſtantinæ*, *Bugiæ*, *Tuneti*. Nihilominus regnum *Teleuſinum*

num penes hanc familiam mansit & tandem per cxx. fere annos nullum omnino bellum contra quemquam gessit, nisi quod ab *Abu Ferez* & ejus filio *Hutmeno* Tuneti Regibus usque ad obitum Hutmeni tributarium factum est. Abnabdilla *Abuchemmu* Teleusini regnavit tempore Ferdinandi & Caroli V. eo expulso *Abuzeyenus* à Carolo V. amicus & socius appellatus. *Iovius* xxxiii. Leoni *Habdulla*, quo interfecto regnum Horuccio *Barbarossæ* cessit. *Oran* A. cIↃ IↃ vii. à Ferdinando Rege Hisp. capta. *Leo* i. ii. iv.

XII. *Tunetanum* regnum *Muleasses* apud Jovium xliv. à *Chorrea* familia per 954. annos non interrupta serie possessum fuisse jactat; id quod splendidum vel *Muleassis* vel *Iovii* mendacium est; sic enim initium ejus caderet in A. Ch. IↃ c. Id certius in direptione arcis Tunetanæ A. cIↃ IↃ xxxv. libros Historicos Regum Tunetanorum periisse, ut idem *Muleasses* apud *Iovium* xxxiv. conqueritur. Alii originem Tunetani regni ita referunt. Imperante in Africa & Ægypto *Caimo* Califa defecit quidam *Abenchit* & Cairowanam occupavit. Eo in acie cæso duo ipsius filii *Bugiam* ac *Tunetum* occuparunt & sub protectione *Almoravidum* quiete tenuerunt. Hos *Almohadæ* expulerunt. Tum iterum Arabes *Tunetum* occuparunt & cuidam *Abu Haf* regnum ea conditione dederunt, ut ipsi dimidiam census & proventuum partem

 haberent.

haberent. Contra eos cum classe missus Beni *Habdul* Guadi ex stirpe Magraoa, Sevillensis, quem *Thuanus* VII. Abdul Hedium vocat, qui turbis compositis præfecturam Tuneti obtinuit & ad filium suum *Zachariam* transmisit, qui arce ac templo *Tuneti* structis, tributa *Tripolin* usque & longe versus meridiem exegit, cui *Abrahamus* filius successit. Qui intellecta *Almohadum* clade, *Merinis* amplius parere dedignatus, Telcusino expugnato & federe cum *Merino* inito, *Tuneti* & *Africa* Rex salutatus ac regio Diademate tituloque *Muley* ornatus fuit. Magna autem Tunetanorum Regum per Africam authoritas fuit & ab iis sacra omnia ac jura petebantur. Sub eorum ditione etiam *Carvenna* sive *Curubis* recensebatur, & quanquam collapsa Chalifarum authoritate, religionis tamen ac Sacrorum veneranda sedes erat, ideoque libera & immunis, in qua fato functi Maurorum & Numidarum proceres vel è longissimo terrarum tractu tumulantur, quod animas eorum, quorum ossa in tam Sacrosancto loco cubant, efficacius superis commendari sacerdotum precibus existimant. *Iovius* I. & XXXIII. Sub hoc primo Rege *Abrahamo* urbs Tunetum maxima incrementa cepit. *Fazell.* Dec. II. lib. VI. Huic successerunt Muley *Bulaces*, cujus filius fuit *Bujahia* Zacharias, qui ab *Almiriis* Raxendiis longe cognationem repetebat. T. III. Rer. Hisp.
à quo

à quo XXXV. Reges per annos CCCCL. ad *Muhammedem* Mule Affis patrem regnasse *Thuanus* VII. tradit; quod haudquaquam verum esse potest. Nam *Bulabes* demum post A. cIↃ CC. regnavit: non igitur CCCCL. anni ad Muleassem effluere potuerunt. Qui autem successerint Reges post Mule *Bulaben* certa serie tradi non potest. *Fazellus* Dec. II. lib. VI. Catalogum Regum Tunetanorum habet, sed mutilum & corruptum & ex eo UbboEmmius ac alii. Muleus *Ostanse* vocatur ille Rex Tunetanus contra quem Ludovicus IX. Sanctus Rex Galliæ in Africam profectus fuit. Contigit hæc expeditio circa A. cIↃ CC LXX. Nomen *Ostanse* sine dubio corruptum. Forte *Osman* fuit. Mulei *Busares*, quem Leo Abu *Feruz*, Mariana *Mirabusarem* vocat, & rectius *Buffericium*, ac *Abufericium* vocat XXXI. 5. XXIX. 22. Teleusinios Reges *Zeienenses* sibi subjecit ac tributarios fecit. Ab hoc Abu Feruz usque ad Mule *Hassan* Tuneti XXXII. Reges regnarunt. *Luccari* IV. Annal. Raguf. contra hunc Abuferum sive Bopherium bellum concessit *Alfonsus* Rex Neapolis teste Panormitano. A. cIↃ CCCC XXX. Divisit Abu *Ferus* regnum pro numero filiorum in tres partes, *Biledurgerid*, *Tunetum* & *Bugiam*. Bugiæ regnum obtinuit *Habdulaziz*, in cujus potestatem etiam *Algesira* pervenit. *Thuan.* CXXXVI. Huic *Habdulaziz* successerunt *Abdalla* & *Abdurrhamel*, sub quo

à Ferdinando Rege Hiſpaniæ, capta per Petrum Navarrum A. cIↄ Iↄ VIII. *Bugia*, & *Orani* regno exutus eſt. Algezirenſes ne & ipſi præda Chriſtianorum fierent Regem crearunt Selimum *Eutemi* Principem Alarbum, quem occidit *Horuccius* pirata, cui frater *Chairadin* ſive Hariadenus *Barbaroſſa* ſucceſſit. *Leunclv.* Tuneti regnum obtinuit *Hutmen. Ghiſtelle* VIII. Itiner. 29. *Ottominus*. Qui etiam fratre *Hammaro* victo, *Biledulgerid* recuperavit. Ejus filius *Abubecr* in arce Tripolitana à nepote ſuo interfectus fuit, qui ſe Regem *Tripolis* conſtituit. Eum in prælio quidam *Abdulmumen* occidit & regnum Tripolis occupavit, cui ſucceſſit filius *Zaccharias*, huic *Mucamen* filius Heſſeni, huic expulſo civis quidam regnum urbis *Tripolis* arripuit, quo interfecto nobilis quidam regnavit, ſub quo Petrus Navarrus Tripolin cepit. *Leo*. Sub *Muleaſſe* regnum Tunetanum inteſtinis & exteris bellis graviſſime concuſſum, cum hinc *Carolus* V. & *Phil.* II. inde *Sclimannus* & *Solimus* id ad ſe pertraherent. Tandem A. cIↄ Iↄ LXXIV. *Turcæ* Tunetanum Regnum in provinciæ formam redegerunt, *Gerbe* etiam & *Carvenna*, quæ proprios ſibi inter illas turbas Reges ſive *Schechios* elegerant, expugnatis. Commune nomen Regum Tunetanorum fuit *Moula* vel *Muley*, quod nomen interdum abſolute illis Regibus tribuitur. Ut cum *Mariana* ad A. cIↄ CCCCXXII. refert:

Muleium

Maleium Tunetanum Regem tum fuisse Hist. Hisp. xx. 13.

XIII. *Granadense* regnum ita exortum fuit. Cum Mauri ad Saltus Pyrenæos sub Muhammede *Emasir* A. cIↃ cc II. ingenti prælio victi essent, per IↃ c. fere passuum cIↃ. fugientes ad montes Bæticæ *Alpuxarras* venerunt, ex quorum jugis altisque rupibus velut propugnaculis ingentia saxa in Christianos devolverunt. Qui longa obsidione fessi cum discessissent, Mauri ex montibus in campos descenderunt & cum multis aliis qui ex Africa trajiciebant, conjuncti, *Granadam* urbem & totum illum tractum occuparunt. Ludov. *Marineus* de rebus Hispan. xx. Emerserunt tum complura Maurorum per Hispaniam regna, *Valentiæ, Cordubæ, Seviliæ, Majoricæ, Murciæ, Nieblæ, Badalonzii, Iaheni* & forte plura alia quæ brevi extincta sunt, ita ut unicum tantum *Granadæ* regnum Mauris remanserit. Regnorum *Badalonzij* (forte Badajoz) & *Ieheni* meminit Math. Vossius in Annal. Holl. ad A. cIↃ cc XVII. *Valentia* capta fuit A. cIↃ cc XXXVIII. *Majorica* cujus Rex *Retabohig* A. cIↃ cc XXX. à *Jacobo* Rege Aragoniæ: *Corduba* A. cIↃ cc XXXVI. *Sevilia* A. cIↃ cc XLVIII. à *Ferdinando* Rege Castellæ: *Murcia* A. cIↃ cc XL. ab eodem: ita tamen ut *Hudiel* & *Mohammed* regnum sub tributo retinerent.

XIV. Primus *Abenhut* cognomine *Rex Virtutis*, teste Luca Tudelensi, R. Davidi

Ganz *Hebos*, nisi tamen pro eo Habud filius Bedis intelligatur, de quo ex Leone Afro *Thuanus* VII. intellecta illa fatali post mortem Muhammedis *Ennasir* Imperii destructione *Almohadis* penitus Hispania pulsis, *Andalusiæ* Regem se fecit, sede *Almeriæ* posita. *Thuan.* XXXVI. Eo per Ferdinandum Sanctium interfecto, *Granadenses* Regem crearunt Muhammedem *Alhamar*, cujus posteritas longa serie regnavit. Sedes regni Andalusiæ fuit *Granada*. Insignia Regia, Castellum, vexillum & duo serpentum capita, quæ Ferdinandus Sanctius Alhamari dedit. *Thuan.* XXXVII. Sub his Maurorum Regibus *Granada* adeo crevit ut LX.CIↃ. domuum complecteretur & stupendæ magnitudinis regias arces *Alhambram* & *Albaicinum*. Circa A. CIↃ CCC XXXIII. Rex fuit *Iuseph* Bulhagix, quem *Carolus* IV. Imp. in vita sua quæ inter Bohemicarum rerum scriptores Freheri extat, vocat *Peragatium*. Hic *Albaicinum* muro cinxit & *Alhambram* struxit. *Thuan.* XLVI. Eodem tempore *Abomelicus* fuit Rex *Algeziræ*, *Rondæ* & *Gibraltar*. Atque hoc est initium regni *Gibraltar* & *Algeziræ*. Mariana XXIII. 4.

XV. Tandem cum adeo inter se discordaret Regum Maurorum familia, ut pater, filii, fratres mutuo se pellerent & in urbe Granada *tres* simul Reges totidemque diversæ regiæ, *Alhambra*, *Albaicin* & *Alcasava* essent, ipsum deinde regnum in duas partes

partes scissum, *Ferdinandus* & *Izabella* Granadam obsederunt ac A. cIↄ cccc xcII. expugnarunt, ultimo Rege *Abu Abdalla*, quem *Thuanus* VII. vocat *Zagoibium*, in Africam ad Regem Telmesinum exulatum concedente. Atque hic fuit finis Maurorum in Hispania dominationis.

Fessam & *Marucco* post Merinos & Oatassenes *Scheriphii tenent.*

I. *Fessæ* ac *Marucco* regnum inter defectiones Maurorum & Arabum Hispaniensium ac Africanorum, pulsa Abdulmumenis posteritate sive *Almohadinis*, occuparunt Bani *Marini* ex *Zenetorum* stirpe prognati, qui illud per CLXXVII. annos obtinuerunt. Ab A. H. Iↄ c LXVIII. ad A. H. Iↄ cc LXXXV. *Leo* II. Sedes regni initio *Tarudantum*, inde *Marucco*, tandem *Fessa* & ab eo tempore Marucco paulatim deserta & in vastitatem redacta fuit. Initio Maroccani peculiares Reges habuerunt, quales commemorantur *Almorcanda* & *Budebusius*, quem Jacobus Aben Juseph Merinus evertit. Et hic *Iacob* Aben Juseph totam Africam, excepto *Tunetano* & *Teleusinio* regno, obtinuit, *Mariana* teste. Sæpe tamen Maroccani rebelles facti peculiares iterum Reges crearunt, qualis circa A. cIↄ cc xc. *Mahammed*, Volaterrano II. Geogr. commemoratur. Eodem tempore fuit *Ioseph* sive Ben Juseph Rex Marocci apud

apud Marianam, quem Volaterranus corrupte vocat *Benyrisaph*.

II. Distinguendum est inter *Principatum* Merinensium & inter *regnum*. Principatus jam cœpit circa A. cIɔ cc x. post casum Almohadarum, in *Buccar* Merino *Mariana* XIII. 14. & continuatus fuit in *Hiaia* & *Iacubo* Ibn Jusuf secundum *Marianam* XIII. 14. sive *Iacobo* filio *Habdulach* secundum *Leonem* Afrum, qui ita de eo loquitur: Habdulah *primus Marinorum Princeps Mauritaniæ atque reliquarum regionum illarum sibi imperium usurpavit. Quatuor reliquit filios, inter quos* Habdulach *regiones distribuit, nimirum* Abubder, Abujehia, Abusaid, *&* Jacobum. *Hic postea propter devictum* Muachidin, *Maroccorum Regem atque expugnatum Maroccum in Regem electus fuit*. Integra Regum Marinorum series non extat apud Leonem vel alios. Aliqui enim subinde deficiunt. Meminit *Leo* Regis *Abutinam*, sed non indicat tempus. Ubi autem sit defectus hinc intelligi potest. Primus Marinorum Rex est *Iacub* filius *Habdulach* sive *Iusufi*. Quartus *Abulhesen*. Abu*henon* est quintus Marinorum. *Leo* Albo*hacen* nonus. *Mariana* XVI. I. Abusaid decimus tertius. *Leo*. per errorem vox *decimus* omissa, ut ex contextu patet. Ultimus fuit *Abdulla*.

III. Primus igitur ex *Merinis* Rex fuit *Iacubus* Abdulacus sive Abdalla. Hic tertiam sive novam *Fessam* construxit, quæ paulo

paulo remotior & VIII. cIↃ. focorum capit. *Leo* II. III. Circa A. cIↃ CCC LX. Rex Fezæ fuit *Mahomad* filius Abdurrhamenis, & circa cIↃ CCC LXX. *Abaifer* Abdalaziz Tomo III. Rer. *Hisp.* Abu *Hesen* *Leoni* IV. Tomo III. Rerum Hispanicarum Albo *hasen* & Maurusiorum & Tremezensis Rex, Andreæ Resendio de Antiq. Eboræ cap. XVI. nomine gentili Aben *Marinus*, Duarto Nonio Tomo II. rerum Hisp. *Hali* Boacen Aben Marin. victo & capto Mule *Bulabe* Tunetum, Biledulgerid, Tremezen regno suo adjecit. Tripolin à Genuensibus captam auro redemit: Fessæ sumtuosissimum collegium exstruxit. Contra eum rebellis factus Abu *Henun* in Africa *Fezam*, in Hispania *Rondam* & *Algeziram* occupavit A. cIↃ CCC XL IX. & circa A. cIↃ CCC LV. Rex Africæ factus fuit. Abu *Selim* Leoni V. Abu *Celem* Thuano VII. cum Muley Bulaben carcere liberasset, ab eo Tuneto, Tripoli, Biledulgerid exutus fuit. *Said* sive Abu *Sahid* Duarto, Nonio Tomo II. Rer. Hisp. *Sala* Aben *Sala*, sub quo *Iohannes* I. Rex Portugalliæ Septam A. cIↃ CCCC XV. cepit. *Abu* *Sahido* confosso, regnum Fessæ per octo annos Rege caruit, donec *Abdulacus* ultimus ex familia Merinensium successit. quo per *Scheriphium* A. cIↃ CCC LXXX. interfecto, ultor cædis Arzillæ præfectus, ex familia *Quattās* sive *Oattas*, regnum ad *Oatassenos* transtulit.

IV. Sub

IV. Sub his *Oatassenis* regnum à præfectis passim deficientibus dilaceratum dissipatumque fuit. Reguli illi quorum certus numerus iniri non potest dicebantur, *Schechi. Iovius* XXXIII. ex quibus præcipui fuerunt *Heloti*, *Hea*, *Azaphi*. *Azaphum* quidam ex *Farchone* originem trahentes occuparunt. Circa A. cIↃ CCCC XC. Rex *Azaphi* fuit *Abdurrhamam*, quo occiso urbs seditionibus agitata A. cIↃ IↃ XII. in Lusitanorum potestatem venit. *Leo* II. In provincia *Hea* quidam *Homar* Seyef, structa arce *Culeihat Elmuridin* Tyrannidem invasit. Eum nepos excepit.

V. Regnum *Maroccanum* invasit *Nacer* Buxentusius. *Fessam* retinebant Oatasseni, qui sicut potentia & autoritate cæteris superiores erant, ita etiam plerosque illos Regulos tributarios habuerunt. A. cIↃ IↃ XII. *Hamineos* principes potentissimos domuerunt ac multas urbes rebelles recuperarunt. Ultimus Oatassenorum fuit *Hamed*, quo everso *Scheriphii* totius Mauritaniæ Imperium obtinuerunt. Familiæ *Scherifiorum* hæc fuit origo. Sub Mahummede *Oatasseno* quidam *Hascenes* Sceriph prætextu belli contra Portugallos & defendendæ religionis Principatum *Daræ*, *Susæ*, *Tarudanti*, obtinuerat. Ejus duo filii *Hamed* & *Mahamed* iisdem insistentes vestigiis everso per fraudem *Nacer* Buxentusio, regnum Marocco invasere, sed discordes facti id inter se diviserunt,

ita

ita ut *Hamed* Maroccum ac Septentrionales provincias cum Tafileto, *Muhammed* Susiam & regiones ultra Atlantem versus meridiem, ille dignitate primus, hic secundus esset. Tandem Muhammed *Scherifius* & fratre & Hamed *Oatassene* remotis solus regnum Fess & Marocco obtinuit A. cIↃ IↃ XLVIII. ac Dynastiam *Scherifiorum* condidit. De cujus familiæ intestinis ac exteris Bellis prolixe *Thuanus* VII. XX. LVII. LXV. CXXIX.

Nigritania in *quindecim* regna dividitur.

I. *Nigritaniam* vocamus regiones ad fluvios *Gir* sive *Nigir* & *Senegam* sitas, eadem analogia qua *Mauritaniam* regionem Maurorum, *Britanniam* regionem *Pictorum* appellamus. Tres enim hæ regiones à coloribus incolarum denominantur, Britanni à colore flavo, & picturato, quod eorum lingua *Brith* vocatur: *Mauritani* à colore fusco: *Nigritani* sive *Nigritæ* à colore atro sive carbonaceo.

II. *Nigritæ* in quindecim regna divisi fuerunt. Quanquam vero exacte non constet quando ab Imperio Maroccano defecerint; probabile tamen est id in illa Imperii *Almohadum* destructione circa A. cIↃ CCX. factum fuisse. *Leo* Afer VII. ita loquitur: *Paruerunt* Nigritæ *primo* Josephi *Regis Imperio qui* Maroccum *struxit.*

Deinde quinque Libyæ populis *subjecti fuerunt à quibus Mahommedanam legem edocti sunt*. Hi quinque Libyæ populi Nigritarum regionem in *quindecim* regna diviserunt, *Gualata*, *Ginea*, *Melli*, *Tombuto*, *Gago*, *Guber*, *Agades*, *Cano*, *Casenas*, *Zegzeg*, *Zanfara*, *Guangara*, *Borni*, *Gaogo*, *Nubia*. Ex his celebriora fuerunt *Gualata*, ubi quidam *Heli* regnavit, circa A. cIↃ IↃ. Regi *Tombuto* factus tributarius, *Gineam* tenuit *Soni* Heli, & ipse Regi *Tombuto* factus tributarius, *Melli* posteri avunculi *Josephi* Regis Marocco tenuerunt, facti quoque tributarii Regi *Tombuto*. Ita circa A. cIↃ IↃ. non nisi *quatuor* Reges *Nigritis* dominati sunt, *Tombuti*, *Borni*, *Gaorgæ* & *Nubiæ*.

III. Omnium potentissimum fuit regnum *Tombuti* quod *Abubacr* Izchia Nigrita, præcedenti familia deleta, circa A. cIↃ IↃ. occupavit ac regna *Gualata*, *Guineæ*, *Melli*, *Guber*, *Agades*, *Zegzeg*, *Gasenæ*, *Zanfaræ* sibi subjecit ac tributaria fecit. *Borni* Abraham tenuit. *Gaogæ* regnum quidam Nigrita, mancipium mercatoris prædando constituit, cui *filius* successit qui XL. annos regnavit, huic frater *Meses*, huic *Homara* qui cum Soldano Cairi amicitiam coluit. Hæc *Leo* Afric. VII. *Cadamustus* qui circa A. cIↃ cccc xc. eam Africæ partem perlustravit, tradit Regem *Senegæ* fuisse *Zuchalin*, cujus aulam describit cap. 15. In *Senega* esse quoque regnum *Budomel*, cujus rex non secus ac Deus colatur & qui

factus

factus sit Mahumedanus. cap. 21. 22. 23. 24. 25. Regem *Nubiæ* potentem esse & magnum Imperatorem *Nebeorum* dici, qui sub se habeat regnum *Gambræ*, cujus Rex fuit *Farosangalus*, post quem regnavit *Gnunimensa* & regnum *Batimausa* c. 12. 41. 42. 43. Sunt etiam alia complura regna per *Gineam* à Belgis aliisque detecta, qualia regnum *Gobam*, cujus Rex *Mani* Gobam dicitur, & regnum *Cermentin* ad fluvium *Gobam* aliaque, de quibus *Linschoten* in Guinea & recentiores.

IV. Interioris Africæ regna enumerari omnia non possunt. *Ialophorum* Rex fuit circa A. cIↃ cccc xci. *Bemoinus* dictus in baptismo *Johannes*. Maffeius Hist. Ind. 1.

KAIROWAN.

Chalifatus *Kairowanæ* transfertur in *Ægyptum*.

I. A. IↃ cc lxiii. *Aglabus* Elmac, *Lhabus* Leoni Afr. 1. *Laglebus* Fazello, Pontificatum in Africa *Kairowani* sive *Carvennæ* invasit, ac per clxx. annos ejus familia obtinuit. *Fazell.* Dec. 11. lib. vi. qui tamen in eo errat quod Damasci quoque Chalifatu potitum tradit. *Siciliam* per *Halcamam* & *Asded* subegit. *Leo* v. Hujus familiæ res admodum obscuræ sunt, nisi quod tradunt crebras in Siciliam aliasque insulas maris mediterranei expeditiones suscepisse, *Fazellus* 11. dec. 6.

II. Post

II. Post *Aglabum* commemoratur *Abraham* Halbi à quo circa A. cIↃ ccc xxviii. ad Kairowan proditione Euphenii qui contra *Michaelem* Balbum Imperium invaserat, *Siciliam* occupavit, eaque insula in potestate Saracenorum Africanorum qui Kairowanæ regnabant per ccl. circiter annos mansit. Hujus Abrahami meminit *Regino* ad A. cIↃ ccc i. nomine Admirati Africæ, quem misisse legatum dicit ad *Carolum* Magnum. Idem Abraham videtur ille esse quem *Ambulacum* vocat Dreschlerus in Chronico Saracenorum. Sed Fazellus hunc Abrahamum Halbi videtur facere penultimum Regem ex Aglabi posteris & regnasse clxx. annis post Aglabum. Petrus *Luccari* in Annalibus Ragusinis l. 1. dicit Abdallam *Aglab* schismaticum Califam Numidiæ sub Basilio Macedone (circa A. cIↃ ccc lxx.) classem Ducibus *Saba* & *Calfuso* in Italiam misisse, eamque bello vexasse. Cæterum omnia adeo confusa & incerta sunt quæ de illis Saracenorum rebus tradunt Europæi, ut nihil definiri possit nisi ex ipsis Afrorum Chronicis, imprimis Ibnu *Rachich* celeberrimo Historico, quo præcipue Leo Afer usus est. Ultimus filiorum Aglabi Africæ Rex fuit *Fatlus* Fazello, quem Cedrenus in Romano Lacapeno vocat *Phatlumum* Africæ Amiram. Fuisse hunc ex familia Aglab non obscure tradit Leo, & defecisse à Chalifis Kairowanæ. Quippe *Abdalecitus* quidam sub Caimo

mo occupavit Bugiam, Tunetum & alia regna. *Thuanus* VII. Leo dicit *Caymum* recuperasse totam Numidiam & Barbariam. Sub hoc emersit *Mahdi* & magnam Africæ partem occupavit. *Elmacinus.* Fatlus amissa Africa videtur se in Siciliam recepisse. Certe Sicilia ab hoc tempore peculiares Reges habuit. Quanquam enim *Elmacinus* dicat Mahdin imperasse Africæ, Siciliæ & Occidenti,& *Tyrius* XIX.21.eum classe ordinata Siciliam cepisse; nihil tamen hujus refert Fazellus, sed Fatlum in Sicilia regnasse tradit eodem tempore quo *Mahdi* in Africa ac ei superstitem fuisse. Ita enim Decade poster. lib. VI. *Fatlus* Saracenorum Africanorum Princeps fedus cum Simeone Rege Bulgariæ contra Romanum Lacapenum &Constantinum init. *Luitprandus* I.12.dicit Regem Africanum innumerabiles copias rogatu Constantini transfretasse in Italiam ac ibi montem *Garelianum* & multa alia loca occupasse. Hunc Regem Africanum esse Mahdin necesse est, quia pro Constantino contra Phatlumum pugnavit. Idem III. meminit Regis *Cretensium* Saracenorum sub Constantino. Peculiare autem regnum fuisse Siciliam circa A. CIↃ CCCC L. & sequentibus hinc patet, quod sub Constantino VIII. commemoratur *Bulchar*; sub Michaele Paphlagone *Apolofarus* Mahomed quem Fazellus perpetuo vocat Siciliæ Regem. Et quia *Apochapz* frater Apolofari

lofari

losari dimidiam insulæ partem pollicitus est Africano Regi, si ejus auxiliis fratrem regno pelleret, ac postea Apolosarus Africanos omnes Sicilia ejecit. Sed post mortem *Apolosari* & *Apochaps* Sicilia iterum in potestatem Califarum Ægypti & Africæ pervenit. Nam circa A. CIↃ LX. Sultani nomine præses Siciliæ fuit *Belchanes*, quem quidam *Bescavectum* vocant. Per Sultanum autem intelligi Califam Ægypti patet ex oratione *Bettumeni* Amiræ Catanæ ad Rogerium Apuliæ Comitem, ubi inquit: *Siciliæ præsidem virum inertem ac vecordem; Sultanum longa intercapedine absentem.* Quod rectius de Ægypto quam vicina Tuneto accipitur. Quanquam fieri potest ut tum Ægyptii Califæ suos Sultanos Tuneti habuerint, quibus præsides Siciliæ subjecti, quo *Gaufredus* Monachus in rebus Rogerii respicit qui eos vocat *Præfectos* Regis *Tunetani* nomine, ac *Tunetum* eo tempore peculiarem Regem habuisse tradit.

III. Familiam *Aglab* Chalifatu depulerunt *Fatimidæ* Duce quodam *Abdalla* qui genus suum ab Ali & Fatima deducebat. Hic assumpto titulo *Mahdis* id est complanatoris, *Africam*, *Siciliam*, *Italiæ* partem, pulsis filiis Aglabi obtinuit, & structa urbe *Mahdia*, eo tempore quo Zeneti Fessanum regnum tenebant, *Leo* III. & V. *Chalifam* & *Emirelmunenina* se appellavit *Elmac.* II. 19. *Tyrius* XIX. 21. *Thuan.*

Thuan. LXVII. Ei successit *Caymus* quem insuper *Adamum* vocat Thuanus. Elmacinus hos Chalifas *Cairowanæ* vocat, unde apparet *Kairowanam* eorum præcipuam sedem fuisse ac subinde *Mahdiam*.

IV. *Muazzus* Duce *Gheuhar* sive *Ioare*, qui origine *Slavus* fuit. *Luccari* in Ragusinis, Ægyptum expugnavit ac ibidem Chalifatum *Abbasidis*, imperium Soldanis *Achshidæis* abrogavit & ad Fatimidas ac suam familiam transtulit. Eodem anno Gheuharus *Alcahiram* Muazzicam in Ægypto & arcem Imperialem struxit: dicta autem fuit urbs *Alcahira* coactrix, quod structa esset in horoscopo Martis qui cogit orbem. *Elmac. Tyr.* XIX. *Thuan.* LXVII. *Leo* I. In hanc urbem *Muazzus* A. D. CCCC LXXI. migravit ac ibi sedem Chalifatus constituit. in Africa quendam ex *Sanhagia* gente gubernatorem reliquit, qui cum ad *Chalifam* Bagdadensem defecisset, ab eo totius Africæ Rex constitutus fuit. Nomen ei erat *Balharab* Miramolinus Africæ, apud *Marianam* VIII. 8. Muazzus Africa ab hoc suo præfecto exutus, quod hactenus studiose præcautum fuerat, permisit *Arabibus* Nilum in Africam trajicere. Quorum *quinquaginta* millia cum innumerabili copia mulierum & pecudum totam Africam inundarunt ac *Tripolin Cairowanam* reliquasque urbes captas occuparunt & obtinuerunt usque ad regnum *Iosephi* Tessefin à quo pulsi sunt. *Leo* I.

Quan-

Quanquam vero Fatimidæ in Ægyptum migrassent, Chalifatus sede ibi collocata, Kairowanenses tamen titulum Chalifatus retinuerunt. Et tum quoque *Siculi* hactenus Chalifis subjecti Regium titulum assumserunt, quales à Fazello enumerantur *Bulchar*, *Apolofarus*, *Apochaps*. Deinde Sultani Tunetani Siciliam recuperarunt circa A. cIↃ LX. quos paulo post Normani ejecerunt.

V. Sub *Hakemo* venit in Ægyptum quidam *Muhammed* Dararæus, qui auctor erat populo ut crederent *Hakemum* Deum esse qui omnia creasset. Ei successit Hamza *Alhadis* qui idem docuit, insuper permittens ducere sorores, filias, matres, intermittere jejunia, preces & peregrinationem *Meccanam* ac portationem *tapeti* ad *Caabam*.

Soldani *Ægypto* & *Syria* potiuntur.

I. Quanquam *Soldanorum* nomen commune apud Saracenos sit omnibus Imperatoribus; usus tamen apud Europæos jam à multis seculis obtinuit, ut titulus ille solis Ægypti Imperatoribus qui post Chalifas regnarunt tribueretur. Quare *Soldani* nomine pronunciato non alium olim, antequam Turcæ Ægypto potiti, quam Ægypti Imperatorem intellexerunt, quia cum illis potissimum, durante bello Sacro & peregrinatione Hierosolomitana, negotium intercessit.

II. Igi-

II. Igitur declinante ob socordiam Chalifarum authoritate *Soldani* omnem Imperii administrationem ad se transtulerunt. Primus horum Sultanorum fuit *Gehoar* Eskar Slavo natione qui Ægyptum pro *Caimo, Califa Cairowanæ* occupavit. Ei successerunt in Soldanatu *Habib* qui Siciliam amisit & obiit A. cIↃ C L I I. *Nusedurin* à Balduino I I I. Rege Jerosol. occisus. *Hadec* ab Arabibus cæsus, *Sanar* à Dardagan captus & à *Sarihan*, Siracon, occisus A. cIↃ C L X X. Hinc *Saladin* P. *Luccari* I V. Annal. Raguſ. Ultimi igitur fuerunt *Saniar* & *Dargan*, Abul Pharajio *Schawer* & *Dargam*, quibus successit Siraconus *Tyr.* X X. 11. *Haitho* 52. Pharajio *Asadoddin Shiracuh*, Leoni Afro V I I I. *Azedudin*, pro quo apud Zaccuthum corrupte *Asareddin*: huic famosus ille *Saladinus* ex familia *Ajob* sive *Iobi* (referebat enim familiam suam ad *Iobum* ex *Esavi* progenie. *Schick.* in Tarich) filius *Negemeddini* præfecti Damasci sub Noradino. *Tyr.* X V I I I. 27. X X I. 6. qui interfecto ultimo Chalifa Ægypti *Elphaiz*, & mortuo Mahmudo *Nuradino* Ægypti pariter ac Syriæ Imperio potitus fuit A. cIↃ C L X X I V. Hujus *Saladini* ingentia facta totum non modo Orientem sed & Europam admiratione impleverunt; quippe qui Christianis *Hierosolymam* eripuit, & tota *Palæstina*, exceptis *Tripoli, Tyro* & *Antiochia* potitus, Imperium ad Ciliciam usque & Tigrim promovit.

Primus Saladinus *Circassos* milites in Ægyptò alere cœpit qui postea *Mamluchi* dicti. *Tyr.* XXI. 23.

III. Sunt autem apud *Europaos* magnæ in his Ægyptiorum *Soldanis* tenebræ & confusiones inextricabiles. Soldanorum Ægypti familiæ fuerunt tres, *Aiobita*, *Turcomanni*, *Circassii* seu *Mamalucci*.

IV. *Aiobitarum* fuerunt novem. Sextus *Muhammed* filius *Seifedin*, cognomine *Naisiredin*. Hic est ille quem scriptores Belli Sacri vocant *Coradin*, quia Math. Paris in vita Henr. III. Regis Ang. inquit: *Mortuo Saphadino successit filius ejus Coradinus*. Octavus est *Ajobus* Negmedin. Elmacino Ajob *Melic. Salah*. Zaccutho *Essalach*, Christianis *Meledin*. Hujus ad Papam extat Epistola apud Math. *Paris* in vita Henrici III. Regis Angliæ ad A. cIↄ cc XLV. in qua vocatur *Aiob* filius Soldani *Kamel* Hemenafar Mehameth filii Soldani Regis Adel *Robethre* filii Ayob. Quæ quamvis corrupta sint, ostendunt tamen seriem. *Robethre* Melec Adel, filius Ajub est Abubeker Salahdinus. Nonus est *Turanxa*, quem etiam Meledinum vel Melexala vocant. Hic est ille qui Ludovicum IX. Regem Franciæ cepit, quique mox eodem anno quo imperare cœpit occisus est; causa cædis fuit, quod Regem Francorum liberum dimisisset. *Paris*. Tum *Damiata* diruta & à mari ad mediterranea translata fuit. *Haitho* 52. 54.

V. *Tur-*

V. *Turcomannorum* fuerunt XXIV. ex quibus Punici tantum Europæis innotuerunt. Primus eſt *Vbegus* Turca: Zaccutho Azedin *Ibik*, Chriſtianis *Turquemenius*, Leoni Afro VIII. corruptiſſime *Piper* & *Piſtor*. IV. *Bibars*: cujus meminit Elmacinus initio operis ſui, cognomine *Addahir*, eumque *Mutaffar* vocat, eſt Chriſtianorum *Bendodacar*, cui cognomen fuiſſe tradunt Melecdaer. Monachus Paduanus III. Chronicorum vocat Bethogar. Cepit *Antiochiam*, & ab Haithone Rege Armeniæ caſtrum *Tempezak* recepit. *Haitho* 35. 52. VIII. *Chalil* Melic Alaſraf Chriſtianis. Melic *Seraf* Ptolemaidem expugnavit. XI. *Laginus* eſt Germanus ille ex Livonia oriundus qui ducem Megalopolitanum liberum dimiſit. Continuatio Tyrii, & Manlius in locis commun. XVI. *Iſmael* Almelic Aſſalih. Hic eſt *Iſmael* ille Abulfeda Geographus de quo Gravius in præfatione Choraſmiæ. Idque patet tum ex nomine quia dicitur *Iſmael* Melik Aſſalih: quia dicitur ſucceſſiſſe fratri ſuo *Ahmed* Almelic Alnaſer, quia initium regni ejus A. cIↄ ccc XLII. finis XV. Quod autem dicitur Princeps *Hamah*; id de temporibus illis ante Imperium ſuſceptum, quibus præfecturam Hamæ geſſit, intelligendum eſt.

VI. *Circaſſi* ſeu *Mamalucci* qui ſint eleganter deſcribit *Tyrius* XXI. 23. Vocantur etiam *Comani* & *Caphac* Haitho 52. quia ex *Tartaria*, quæ *Comania*, per *Capham* em-

 porium

porium Tauricæ in Ægytum deducebantur. Nisi tamen per *Caphas* intelligatur Tartaria *Descht* sive deserta, quæ *Kaphschak* Tartaris dicitur. Fuerunt XXII; quorum primus *Bercuccus*. Secundus *Feregus*, cujus meminit Mirkond. in Timurlane, VII. *Muhammed* Almelic Assalih est *Melechella* qui Cyprum subegit. vide *Ghistell.* III. Itiner. 13. X. *Iacmacus* in Historia Danica Pontani *Baltazar* appellatur. XII. *Inalus* Alæus Almelic Alasraf ab Ænea Sylvio in Cosmographia vocatur *Alesseraphus* Asnali, apud Paradinum in Chronico Sabaudiæ III. 49. Allescraphus Asmali. XVI. *Caitâbes*; Petro *Luccari* in Annal. Raguf. lib. III. *Kait*, aliis *Caitbeius*. Continuat. *Tyrii. Ghistell.* III. 8. XVIII. *Cansohus*. In Continuatione Tyrii *Gilepes*. XIX. *Iambolat*. In Continuat. Tyrii *Iambellat*. XXI. *Cansohus* Gauræus cognomen obtinuit ob victoriam obtentam de *Murain* Domino *Gauri* in India. *Luccari* III. Annal. Raguf. dictus eidem *Abunasser* Gaurus. Hic est famosus ille *Campson*. Leo VIII. XXII. *Chusbech* cognomine *Tumanbei* ita dictus quod in India decem millibus præfuisset. *Luccari* IV. Annal. Raguf. Europæis *Tomumbeius*, ultimus omnium Soldanorum Ægypti, occisus à Selimo I. Imp. Turcarum A. cIↄ Iↄ XVII. 4. Aprilis.

Arabia

Arabia in plures *Reges* dividitur.

Arabia quanquam *Chalifarum* ac post eos *Mamaluccorum* Turcarumque Imperium vel *tota* vel ex *parte* agnoverit, semper tamen peculiares Reges eosque plurimos habuit, quos enumerare non est. Rex *Aden* fuit circa A. cIↃ IↃ. Amirianus. *Maffeius.* Rex *Arabiæ* Felicis in *Hadramut* fuit circa A. cIↃ IↃ c xii. Soltan *Abdulla:* alius qui habitabat *Catsini* Soltan *Amet*, cui etiam insula *Zacotara* subjecta est, ut Batavi nautæ tradunt. Cætera ex Arabum & Persarum Chronicis, ubi eorum copia dabitur, petenda sunt.

AFRICANA.

Africana est *Habassena*, *Congensis*, *Monomotapana*.

HABASENA.

HABASENUM Imperium per *Æthiopiam* floruit.

I. *Æthiopiam* supra Ægyptum media ætas *Habassiam* appellavit, quod nomen ab Ægyptiis profectum putant, qui ut *Strabo* ait *Abaces* vocant *habitatas regiones locis desertis & incultis circumseptas*, quales istas esse in quibus *Habassia* jacet,

idem *Strabo* affirmat. Benjamin *Tudelensis* regionem hanc vocat *Asvaan*, cujus Rex vocetur *Sultan* El *Habasch*, & paulo post dicit provinciam *Æthiopiæ* esse quæ *Alhabasch* cognominetur.

II. Eadem regio *India* quoque dicta fuit. *Eusebius* in Chronico: *Æthiopes ab* Indo *flumine consurgentes juxta Ægyptum consederunt*. Panegyristæ: *Dent veniam tropæa Niliaca sub quibus* Æthiops & Indus *intremuit*. *Philostratus* in vita Apollonii ab iisdem Æthiopibus qui *Indo* flumine deserto & sinu Arabico trajecto in Africa consederint, *Axumam* urbem conditam tradit: unde *Axumetæ* apud Stephanum & in nummo Heliogabali, Ptolemæo *Axumi* ab urbe regia *Axuma*, quam hodie *Choscumo* vocant. *Scal.* VII. de Emend. temp. Unde *Æthiopiam* sive *Abyssinam* Majorem *Indiam* appellant, teste Johanne *Potken* in Psalterio *Æthiopico*: idque nomen apud *Mandevilium* aliosque superioris ævi Itinerum scriptores frequens est.

III. De origine & antiquitate hujus Imperii nihil certi constat. In *Arabia* felici sunt ejusdem nominis gentes. *Stephanus*: Ἀβασηνοὶ ἔθνος Ἀραβίας. Οὐράνιος ἐν Ἀραβικῶν τρίτῳ: Μετὰ τοὺς Σαβαίους Χατραμῶται καὶ Ἀβασηνοί. idem ex *Severi* nummo patet, ut dubium sit ex *Æthiopia* in *Arabiam*, an ex *Arabia* in *Æthiopiam* migrarint. Ipsi Habaseni origine se *Chaldæos* profitentur: quod vero non est absimile,

mile, quandoquidem ex *Assyria* in *Æthiopiam* colonias deductas *Nicephorus* IX, 18. & *Scaliger* VI. de Emendatione Temporum testantur. Sed id non factum ab *Alexandro* Magno, ut *Nicephorus* vult, hoc enim scriptores rerum ejus non tacuissent, verum à *Nebucadnezare* vel *Persarum* Regibus. Idem ex lingua manifestum fit quæ multa *Chaldaica* complectitur. *Æthiopum* Macrobiorum *Meroen* habitantium eorumque Regis meminit *Herodot.* II. Hi postea Reginis paruerunt, quæ communi nomine *Candaces* vocabantur, *Strabo* XVII. *Plin.* VI. 29. *Dio* LIV. *Actor.* VIII.

IV. Circa A. Chr. CCCC. vocatum fuit regnum *Auxumitarum*, à regia urbe *Auxuma* apud *Photium* Cod. III. ubi meminit *Elesbaas* Regis Auxumitarum, quem *Procopius* I. Persic. *Hellisthaum* vocat, de quo *Baronius* ad A. Ch. 522. Sub *Justiniano* primo Rex Æthiopum Auxumitarum *Adad* sive *David* commemoratur, qui fidem Christi recepit. Post quæ tempora aliquot seculis incognita Europæis & inaccessa mansit Æthiopia.

Expugnant Regnum *Hamyarensium* in Arabia Felici.

Circa A. Ch. IↃ. Imperator Æthiopum expugnavit regnum *Hamyarense* in Arabia Felici eoque Æthiopes per annos LXXII.

 potiti

potiti fuerunt. *Pocok* in notis ad Historiam Arabum Gregorii Abul Pharaji. Atque hoc est illud bellum inter *Æthiopes* & *Arabas*, cujus meminit *Procopius* & alii ad A. IↃxxII. *Negush* Æthiopum fuit *Elesbaas.* Photius Cod. 111. ex *Procopio Baronius* ad A. IↃxx. In Catalogo Regum Abyssinorum vocatur *Azba.* Ejus successor *Abra* & *Zaham*, quæ omnia bene conveniunt cum Catalogo Regum Æthiopiæ qui in *Yaman* regnarunt; unde non omnino fabulosum esse illum Catalogum apparet, quanquam valde mutilus sit in annis. Meminit etiam Regis Æthiopiæ *Elmacinus* 11. Hist. Sarac. 9. & alterius tempore *Mustansiri* Billæ Chalifæ Ægypti qui rogatu *Michaelis* Patriarchæ Jacobitarum Nili diverticula reclusit. Unde patet verum esse quod scribunt: Reges Æthiopiæ Nili cursum in Ægyptum avertere, augere, imminuere posse. *Rod.* Toletanus Hist. Arab. cap. 2. mentionem facit Regis *Æthiopia* (ita enim legendum, non ut extat Ægypti) Christiani qui in *Æthiopia* Ecclesiam struxerit.

NUBARUM potentia ingens per *Lybiam* fuit.

Fueritne idem *Nubarum* quod *Abasenorum* regnum certo affirmari non potest. Cum Saraceni Africam & Ægyptum expugnassent, *Nubarum* regnum per *Libyam* & *Æthio-*

& *Æthiopiam* interiorem floruit, qui tum temporis fidem Christianam colebant; unde conjectura haud improbabilis, idem *Nubiæ* & *Abassiæ* Imperium fuisse. Meminit hujus regni *Elmacinus* in Otsmane filio Affani I. Hist. Saracenicæ 4. Rex erat *Cyriacus*, qui cum *centum millibus* equitibus nigris, super *centum mille* equis nigris in Ægyptum contra Saracenos contendit, ut idem cap. 7. testatur. Idem alibi ad A. Ch. IↃCCCCLVI. Rex *Nubiæ* in Ægyptum usque ad *Vswanam* cum exercitu penetravit: Sed victus est & Ægyptii arcem Nubæ *Rimam* ceperunt.

Abassia *Europæis* innotescit.

I. *Abassinam*, qualis hodie est, primi nobis aperuerunt Lusitani circa CIↃ IↃ. ab eo fere tempore quo *Petrus* Couillanius à Johanne II. Rege Lusitaniæ in Abassiam missus fuit. Tum enim *Abassini* legatos suos in Europam miserunt; à quibus multa magnifice de Imperio Abassino jactata, ab Europæis facile credita, postea vero, rebus melius exploratis, *falsa* & *futilia* deprehensa sunt.

II. Tales fuerunt relationes Damiani à *Goes*; quem *Zaga* Zabus legatus Abassenus suis mendaciis plurimum fefellit, & Johannis *Barrii* aliorumque qui sua ex his hauserunt, quorum omnium commenta examinat & claris documentis refellit

Nic. *Godignus* in libro de Abyssinorum rebus.

V. Miserat quidem jam circa A. CIↃ CCCC. *Zara* Jacob Rex Æthiopum Abassinorum legatos suos ad *Eugenium* IV. Sed tum nihil adhuc certi de rebus Imperii innotuit & Europæis usque ad Lusitanorum adventum inaccessa mansit. Primus M. *Paulus* Venetus III. 43. 44. 45. *Abasia* ejusque Regie qui A. CIↃ CC LVIII. regnum *Aden* vastavit, mentionem facit.

Imperator vocatur *Presbyter* Johannes.

I. Inter alios graves de Imperio Abassino errores, hic non minimus fuit, quod *Europæi* illum Imperatorem appellarunt *Presbyterum* Johannem, unde aliqui *Pretejannem* & absurdius adhuc *Petrum* Johannem fecerunt. De cujus erroris origine ita compendio disserit *Godignus* c. 5. In *Scythia* circa *Cathayam* regnarunt ante multa secula Imperatores *Nestorianorum* dicti *Iuhanna* communi nomine, ab Europæis *Presbyteri* Johannes, quorum potentia à *Zingi* Tartaro destructa fuit. Eo tempore quo Lusitani Indiam detegebant, magna per Europam fama erat *Presbyteri* Johannis, quo tamen loco esset ignorabatur. Quare cum *Petrus* Coillanus audivisset in *Æthiopia* esse Imperatorem Christianum potentissimum, credidit ipsum esse

esse qui *Presbyter* Johannes diceretur.

II. Hic ergo *primus* Abassinum Imperatorem eo nomine cœpit appellare, quod mox communi consensu receptum & approbatum fuit. Ipsi vero *Abasseni* cum in Europa intellexissent suum Imperatorem nomine *Presbyteri* Johannis celebrari, quanquam scirent illud nomen ipsi falso tribui, tamen ut Europæos in ea opinione confirmarent, varia confinxerunt nomina, veluti Belulgian, Beldigian & alia quæ ad illam Europæorum persuasionem de nomine Presbyteri Johannis alluderent.

Potentia Abassinorum vehementer *decrevit.*

I. Demum ab A. Ch. cIↃIↃLX. status Imperii *Abassini* exactius Europæis innotuit ac superiorum annorum errores oculari fide detecti fuerunt.

II. Constat igitur, maximam *olim* Imperatorum *Abassiæ* potentiam & splendorem fuisse. Imperium illud antiquo jure complectitur *sex* & *viginti* regna, regiones *quatuordecim*. Nomina *Regnorum* XXVI. hæc sunt. I. *Tigrai* sive *Tigris*. II. *Dancali*. III. *Angole*. IV. *Boa*. V. *Amara*. VI. *Leca*. VII. *Abagamedri*. VIII. *Dambea*. IX. *Aucaguerle*. X. *Adel*, in quo urbs *Zeila*. XI. *Dahali*. XII. *Oecie*. XIII. *Arium*. XIV. *Fatagar*. XV. *Zingerum*. XVI. *Rozanagum*. XVII. *Roxa* XVIII. *Goma* XIX. *Nerea-*

rea. XX. *Zethe*. XXI. *Conche*. XXII. *Mabaola*. XXIII. *Goroma*. XXIV. *Damote*. XXV. *Sua*. XXVI. *Iasculum*, quod ad *Cairum* urbem terminatur.

III. Nomina *Provinciarum* XIV. (alii XL. Provincias ſed anguſtiores numerant) I. *Dubane* in regno Tigris. II. *Xuncho* in eodem regno. III. *Daraita* in regno Angole. IV. *Bora* inter Tigrim & Abagamedrim. V. *Caloa*. VI. *Aga*. VII. *Arima* regno Dahali proxima. VIII. *Arbum*. IX. *Xancala* Zingero proxima. X. *Xancora*. XI. *Suggamo*. XII. *Bergamo*. XIII. *Aris*. XIV. *Euara*. Quatuor Fluvii Abaſſiam alluunt. I. *Taucea* ab auſtro tendens in Septentrionem. Vicinos habet montes mirandæ altitudinis, in quibus *Iudæi* ferociſſimi habitant. II. *Oara* Nilum magnitudine ſuperans. III. *Gabea*. IV. *Nilus*. Lacus ſunt *Aicha* in regno *Angole*. 2. *Dambeababar* non procul à *Gubbai* ubi nunc eſt Imperatoris aula; *Zella* in regno Oecie & *Xacala*.

IV. Sed jam ante ſeculum adeo decrevit potentia & magnitudo Abaſſinorum, ut ex Regnis XXVI., nonniſi *quatuor* ipſis remanſerint, *Tigris*, *Abagamediri*, *Dambea* & *Goroma*. Ipſe Imperator adeo eſt *inops* & *pauper* ut neque contra *exteros* neque contra *ſuos* ſe tutari poſſit. Ita Imperium & exteris & domeſticis bellis adeo concuſſum eſt, ut *vix ulla* appareant *veſtigia* ejus magnitudinis quæ ſuperioribus ſecu-

lis

lis fuisse dicitur. *Nullæ* ibi *urbes* magnificæ: *maximum* in Abassia *oppidum* vix *mille sexcentas* domos numerat: per pagos habitatur. Imperator semper in castris agit, quanquam in regno *Dambeæ* nonnunquam ad urbem *Gubay* divertat. Ab eo tempore quo Turcæ oram maritimam occuparunt & portum *Mazuam*, quem unicum Abassini in mari rubro tenebant, exteris omnis fere in Abassiam aditus interclusus fuit.

V. Princeps *Abassiæ* patria lingua dicitur *Acegus*, id est Imperator & *Nigus* id est Rex. Unde autem Imperatores genus suum deducant incertum est. Nam quod Catalogum Regum suorum à *Chuso* ad *Melilechum* Salomonis ex Regina Sabæ filium derivant & *Casparem* unum ex tribus, ut vocantur, Regibus sive *Magis* Abassinum fuisse volunt; id omnino *fabulosum* & *commentitium* est. Illæ fabulæ ab *Europæis* ad *Abassinos* fluxerunt, & ab illis, ut eo majorem sibi suæque genti authoritatem conciliarent, studio arreptæ. Neque est quod quis ex Æthiopum Bibliothecis Historicis subsidium speret. Non enim *alios* habent libros quam *sacros*; & *Bibliotheca* illa Regia quam alii in Monte *Amara* comminiscuntur, mera *Chimæra* & non ens est. Fidem Christianam à *Matthæo* Apostolo accepisse dicuntur & Eunucho Reginæ *Candaces*: Candaci nomen fuisse *Iudith*, Eunucho *Indica* tradunt.

Suc-

Successio Regum de quibus constat, hæc fuit. circa A. cIↃ CC XCIV. regnavit *Udimraab* à quo perpetua series descendit usque ad *Zara* Jacob qui legatos ad Eugenium IV. Papam misisse traditur. Quo tempore Lusitani in *Abassiam* venerunt, regnavit *David*, per annos 36. post eum *Claudius*, & 1559. *Adamas* sive *Mena*. 1563. *Sarsadenghel*, qui & Malac *Seguetus*. 1597. *Iacob*. 1603. Ejus *Frater* patruelis. 1604. *Iacob* iterum. 1606. *Sacinos*, quem Petrus de la *Valle* in Itinerario suo ex relatione Sacerdotis Abyssini vocat *Sosnios*. Cui Imperatori qui hactenus successerint parum constat, nisi quod in vita Peirescii mentio fit Regis Abassini, qui contra rebelles bellum gesserit.

VI. Circa A. cIↃ IↃ LX. *Abassina* graviter intestinis dissidiis & externis bellis concuti cœpit. Imperator tum erat *Adamas*, contra quem alius creatus *Betancus* Zarcarus, cui mox occiso, frater, cujus nomen non refertur, successit. Post obitum Adamæ, regnante filio ejus *Malac* Legueto, *Gala* Cafrum natio, facta irruptione, maximam Abassiæ partem occuparunt.

VII. Qualis Presbyteri *Iohannis* sive Imp. Abyssini circa A. cIↃ IↃ C XX. status fuerit, accurate exponit *la Voyage de Levant imprimée à Paris* A. cIↃ IↃ C XXXII. summa eo redit: *non tantam esse* Imperatoris Abyssini *potentiam qualem hactenus*

Occidens

Occidens crediderit, magna rerum Africanarum ignorantia: Turcas & Regem *Adelis* omnia quasi claustra Abassiæ tenere, solo maris rubri portu *Ercocco* superstite, per quem in Abyssinam Christianis aditus detur. Sed de vero statu *hodierno* Imperii Abyssini tamdiu per fabulas apud nos jactati, nuperæ quæ prodierunt relationes videri possunt, ex quibus hæc præcipua quæ ad nostrum spectant propositum, sufficiant.

CONGENSIS.

Mani Congo *Æthiopiam* exteriorem complectitur.

I. Imperium *Mani* Congo complectebatur vastas Africæ provincias à fluvio *Zaire* ad *Angolam* protensas, sed de cujus origine & priscis Regibus nihil certi constat qui Historias *antiquas* non annotant, ut *Lopez* II. 7. tradit, ex quo quicquid sciri potest, peti debet. Is igitur tradit Reges & Principes nominibus peculiaribus carere: *Mani* vocantur, addito regni vel provinciæ nomine. Urbes communi nomine *Panza* appellant.

II. Imperium *Mani* Congo complectebatur olim has Provincias sive Regna: *Pembam* in qua urbs *Congo*, unde toti Imperio nomen: *Bambam* ad quam pertinet *Leonda* insula; *Songam, Sundam, Pangam, Battam, Abundam, Matamam* sive *Climbebam,*

bam, Quisamam, Angolam,Loangam,Chizzamam, Congeram, Amolazam,Pangelungam, Anzicanam.

III. Omnia hæc regna antiquis temporibus *Mani* Congo tenuit: sed quo ordine, modo, tempore singula occupaverit, nobis incognitum est. Id constat, regnum *Panga* post *Sundi* subactum, *Battam* propter intestina dissidia sponte Regi Congo deditionem fecisse, unde majori libertate & privilegiis quam cæteri fruebantur. Provinciæ *Sundi* is præest qui Regi succedere debet. Rex est absolutus omnium Dominus; nemo quicquam tanquam proprium possidet, omnia ex dono regio dependent.

A *Mani* Congo deficiunt regna *Angolæ*, *Loango*, *Matama* sive Climbeba, *Chizzama* & *Anzica*.

I. Omnia hæc regna à *Mani* Congo defecisse constat, sed quo tempore incertum. Ante Annum cIɔ Iɔ. contigisse non dubitatur.

II. Regnum *Angolæ* antiquo & vero nomine appellatur *Ambonde*, incole *Ambondes*. Ante annos fere CL. fuit quidam ex principibus illius regionis qui vocabatur *Mani* Angola. Is ope Lusitanorum qui tum mercaturæ causa eam oram frequentabant, cæteros Regulos subegit ac se Monarcham constituit, dictus propter rerum gesta-

gestarum magnitudinem *Inene* id est *Magnus*, à cujus etiam nomine ipsa regio *Angola* dicta fuit. Factum hoc circa A. clɔ Iɔ. Petrus *Iarricius* in Hist. Indiæ Orientalis cap. VI. Hujus successores *amici* non vero *vasalli* Regis Congo esse imposterum voluerunt, quanquam ei interdum munera quædam tributi loco mittant. *Lopez* I. 4. 7. Regia est *Cabazo*. Mani *Angola* plurima regna sibi subjecit, ut potentia *Mani* Congo fere par sit. Exercitum 1000000. colligere potest, propterea quod ejus regiones propter vagas incolarum libidines, ad miraculum *populosa* sint. *Loango* etiam defecit & peculiare regnum facta est. *Lopez* I. 5. 9. *Chizzama* defecit & Rempublicam quæ à pluribus regitur constituit. *Lopez* I. 13. *Matama* sive *Climbebe* defecit. *Lopez* II. 8. *Anzica* non tota quidem, sed major ejus pars supra fluvium *Zaire* à *Mani* Congo defecit, proprio Rege constituto. In hôc regno *Anthropophagia* ordinaria est. Carnem humanam publice in macellis vendunt. Mactant hostes & mancipia saginata & quicunque ita perire volunt. *Lopez*. I. 5. 9. II. 2.

Mani Congo à *Jacchis* destruitur.

I. Cum tot regna defecissent, *Mani* Congo nonnisi sex provincias, *Bambam*, *Sogno*, *Sundi*, sub qua pars *Anzicana* ad fluvium *Zaire* continetur, *Pango*, *Battam*, *Pem-*

Pembam retinuit. Circuitus Regni cccc xxi. millium Germanicorum. *Lopez*. l.8. Circa A. cIↃ IↃ. cum Lusitani mercimonia in regno *Mani* Congo exercerent, Christianismus paulatim introductus fuit, ita ut *Mani* Congo baptizatus & *Iohannes* dictus, Regia urbs *Panza* civitas Sancti *Salvatoris* appellata fuerit. Ejus exemplo totum fere regnum in sacra, mores, vestitum Lusitanorum transiit, qui multis locis nomina Lusitanica imposuerunt, in insula *Loanda* pagum *S. Spiritus*, oppidum *S. Pauli* exstruxerunt.

II. Sed hæc ipsa *sacrorum morumque* mutatio, multas passim *defectiones* rebellionesque concitavit. Defecerunt enim *Anzicani*, & Mani *Pango*, post obitum patris *Iohannis* Regem *Alfonsum* fratrem suum in Regia *Panza* obsedit. Cæsis his rebellibus *Alfonsus* omnia recuperavit. cui successerunt *Petrus*, *Franciscus*, *Iacobus* sive Diego, *Henricus*, *Alvarus* I. *Alvarus* II. Petrus *Iarrigius* in Historia Indiæ Orientalis dicit quosdam tradere *Petro* successisse *Franciscum*; eo mox defuncto *Iacobum*. Sed Portugallos omittere *Franciscum* ac Petro immediate subjungere *Iacobum*: Jacobus aliquot vicinas provincias regno suo adjecit.

III. Sub *Alvaro* I. facta fuit immanis illa *Iaccharum*, qui & *Agages* vocantur, in regnum *Mani* Congo irruptio. Hi populi vagis inter *Nilum*, lacum *Zaire*, regna

Damut

Damut ac *Monemugi* ſedibus errantes, ſuperciliis ſtantibus & ſurſum erectis, corpore *ferro* & *ſanguine* fœdato, longa ſtatura, bellicoſi & crudeles ultra modum, ſine *Lege*, ſine *Rege* Regnum *Mani* Congo ad internecionem deleverunt A. cIↄ Iↄ LX. Rege *Alvaro* I. cum paucis in inſulam fluvii *Zaire* compulſo, *Iacchas* iterum expulit juſſu *Sebaſtiani* Regis Portugalliæ *Franciſcus* de Govea. Quid poſtea contigerit parum conſtat. Circa A. cIↄ Iↄ C XII. Rex *Congo* fuit *Mani* Gay, ut noſtrates in Itinerariis ſuis referunt.

MANAMOTAPANA.

Imperium *Manamotapæ* dividitur in *quatuor* regna.

I. Vetus ejus nomen fuit *Mocaranga*. Titulus communis Regum *Mana*, unde *Manamotapa*, ut *Manacongo*, & ſimilia. Initio tota *Mocaranga* uni Imperatori ſubjecta fuit. Sed ſuperiori ſeculo Imperator inter quatuor filios Imperium diviſit, majori natu dedit regnum *Manamotapæ*, ſecundo regnum *Quitevæ*, tertio *Sedandæ*, quarto *Chicangæ*. Tres poſteriores mortuo patre majorem fratrem ſuperiorem agnoſcere noluerunt. Inter illos quatuor, Rex *Quitevæ* potentiſſimus eſt. Joh. de *Santos*.

II. Imperator multos paſſim exercitus in legiones diſtributos, in quibus etiam *Ama-*

Amazones aduſtis mammis, alit. Multa quoque vetuſta ædificia affabre exſtructa, qualia non alibi per Æthiopiam reperiuntur. *Lopez* II. 9.

Regna *Caffarum* ſunt *Buttua, Sofala, Quiloa, Mozambique, Pate, Brava, Magadoxo, Angoſcia, Monemugo, Mombazza, Melinda, Monſia, Comora, Madagaſcar, Zanzibar*, & alia plurima.

I. Tota illa Africæ ora à capite *Bonæ* ſpei ad *Mozambiquen* & fauces maris rubri vocatur uno nomine *Caffaria*, incolæ *Caffares*, id eſt infideles, de quorum moribus *Linſchoten* cap. 41. *Quilibet pagus, oppidum* vel *regio* 10. aut 12. milliarium, *Regem* ſuum habet. Regna hæc *lingua moribus, legibus* plane diſcrepant. Bellis inteſtinis perpetuo exercentur. *Religio* plane *nulla*. Vivunt ut bruta animantia neque *Deum* neque vitam futuram noſcentes. Dividitur in regna minora quam plurima, quorum *præcipua* ſunt quæ recenſuimus.

II. Regnum *Buttua* terminos habet ad Septentrionem Montes *Lunæ* ſive *Toroa*, fluvium *Magnice* & *Monomotapam*.

III. *Sophala* terminos habet ad auſtrum fluvium *Magnice*, ad boream fl. *Cuama*. Hoc regnum frequentarunt Mercatores

ex

ex Arabia felici ibique consederunt. Tandem à Lusitanis fuit subactum. *Lopez* 11. 9.

IV. *Quiloa* incolæ Mahommedani. Eorum Rex etiam *Mozambiquam* & *Zophalam* aliasque plurimas insulas domuit. *Cadamustus* 11. 68. *Lopez* 11. 9. *Linschot.* c. 4. *Vartoman.* VII. 3. Rex ejus A. cIↃ Iↄ. *Abrahamus*, à quo defecit *Isufus* & se *Sofalæ* Regem fecit, cui A. cIↃ IↃV. successit *Solimannus*. Maffeius vel ut alii referunt *Abrahemus* ejectus fuit regno à *Francisco* Almeida: ei successit *Mahummed* Anconinus. De *Pata*, *Brava*, *Magadoxo* Linschot. cap. 4. *Angoscia* nomen habuit à quibusdam insulis, Incolæ Muhammedani *Lopez* 11. 9.

V. *Monemugi* terminos habet ad boream *Abassiam*, ad Orientem *Quiloam*, *Mombazzam*, *Melindam*, ad Occidentem *Nilum*, ad Austrum *Monomotapam* & *Mozambiquam*. Hostes eorum sunt *Agages* sive Iacchæ. *Lopez*. 11. 9. *Adel* & *Zeila* in littore Abyssino A. cIↃ IↃ XXX. *Gradaamet* Rex fuit. *Maffeius*.

VI. *Mombazza* subfuit *Monemuganis*. Inter *Monemugi* & *Abassiam* Reguli plures sunt, qui nunc huic, nunc illi parent.

VII. *Melinda* Terminos habet ad Septentrionem fluvium *Chimanch*, ad Occidentem lacum *Calice*. Ejus Rex A. cIↃ IↃ. fedus cum Emmanuele Rege Portugalliæ inivit. *Cadamustus* 11. 52. 68. 70. *Lopez*. 11. 9.

VIII. Co-

VIII. *Comora*. Ad littus Manamotapæ *Gomora* regnum eſt IV. inſulis conſtans, *Malali*, *Aagaſiza*, *Angovana* & *Majotta*, ubi regina, *penes* quam ſummum eſt earum imperium habitat. *Thuanus* CXXX. ad A. cIↃ IↃ IV.

IX. *Madagaſcar*. Inſulam *Madagaſcar* deſcribit *Venetus* III. 39. ubi refert circa A. cIↃ CC XC. regem non habuiſſe, ſed quatuor *ſenioribus* totam inſulam paruiſſe. Poſtea in varia regna hoſtilia diviſa fuit. *Lopez* II. 9.

X. *Zanzibar*. Inſula *Zanzibar* Regem habuit. M. P. *Venetus* III. 41.

INDICA.

Indica eſt *Littoralis* & *Inſulana*.

India quoniam late per littora protenditur & innumeris per Oceanum inſulis diſperſa ac diſſipata jacet; hinc in littoralem & inſulanam dividenda fuit.

Littoralis complectitur regna *Decan* ſive *Cuncam*, *Malabar*, *Choromandel*, *Bengala* ſive *Pegu* & *Siam*.

Regna Indiæ præcipua ſunt *Decan* ſive *Cuncam*, quorum tamen littora à Luſitanis Bataviſque tenentur, *Malabar*, *Choromandel* (ita nautæ vocant totum illum à C. Comerin

merin ad Gangem usque tractum, teste *Linschotano* cap. 15.) *Bengala* sive *Pegu* & *Siam*.

Potanenses India potiuntur.

I. A. *Potana* Bengalæ urbe nomen duxerunt Reges *Potanenses*, aut potius hi Reges urbi nomen dedêre, qui & montanis inter *Kandahar* & *Kabul* digressi in Indiam se effuderunt & superato Raia *Pethori* sive *Bathour* Dellensi Rege A.Iↄ cccc LXX. *Indiæ* Imperium obtinuerunt. Series *Rajarum* Dellensium ante *Bathourum* nobis incognita est.

II. Garcias ab *Horto* 11. Hist. Aromatum 28. ex relatione Indorum tradit, elapsis circiter trecentis annis (*Laet* in India vera quadringentos tradit, id quod verius) quod potens quidam Rex in regno *Delly* magnam Indiæ, quæ intra Gangen, partem occuparit, & regnum *Balaguate* quibusdam Regulis gentilibus ademerit. *Linschoten* c. 27. scribit *eos, Decan, Cuncam, Ballaguate* & alia regna subegisse: *Laet* addit *Mandoam*. Sedes Imperii erat urbs *Delly*, in ea coronabantur & sepeliebantur.

III. Catalogus Regum *Potanensium* extat una cum annis, sed res gestæ desunt. Ex *Texeira* patet octavum Regem Potanensem, nomine Muhammed *Gayateddin* Gaury, occupasse *Gaznehen* & *Indiam* ac ultimum Regem ex familia Sebutakni, *Cosrao*

Cosrao inde expulisse. Idem *Laboram* Indiæ metropolin occupavit. Hactenus ergo India Regibus *Sebutakinis* subjecta fuit iisque tributarii erant Reges Potanenses usque ad *Gayateddinum* qui jugum excussit ac se Indiæ Monarcham constituit. Sparsim quædam apud de Laet reperiuntur, quæ, quia nihil præterea referri potest, annotabimus. Oppidum *Scanderballe* superiori ævo Regia fuit Potanensis cujusdam Regis longe potentissimi. In *Itay* quondam unus Potanensium Regum egit. Ad *Halabashen* varii Potanensium reges frustra arcem moliri conati sunt. *Oudeen* quondam Potanensium Regum sedes. *Ivunpor* quondam Potanensium Regum sedes. *Lahor* temporibus Potanensium Regum tantum pagus fuit, *Multhan* tum florente *Banares* amplissimi quondam Potanensis regni caput. *Orixa* quondam regnum antequam à *Potanensi* & mox à Mogole subjugaretur. Arx *Agrensis* quondam à Potanensibus Regibus lateritio muro cincta. Sultanus *Berusa* (Firuz) potentissimus Indorum Monarcha, qui non longe à *Delly* domum venatoriam exstruxit. Soldanus *Aladinus* Cittor frustra obsedit. *Mandoam* regnum majore Sha *Selimi* ante cccç. annos Indis eripuerunt. Sub *Abraamo* Babur Mogol hoc regnum occupavit. *Argonis* Regis Indorum qui tempore *Cublai* Tartari vixit, meminit M.P. *Venetus* 1.9.10.

Sha *Olam* vastissimum per *Indiam* Imperium condit.

I. De hoc Sha *Olam* ejusque potentia operæ pretium est referre ea quæ Garcias ab *Horto* II. Hist. Plantarum 28. tradit. *Tartaris* regnum *Delly* ademptum est ab Equite quodam, qui infensus Regi *Bengalæ*, quod ejus fratrem occidisset, seditionem adversus Regem movit, eoque trucidato regnum *Delly* aliaque multa occupavit, ita ut omnium sui temporis potentissimus Rex fuerit existimatus. Nam à viris fide dignis accepi ejus ditionem octingentas leucas ambitu occupasse. Erat hic Eques initio Dominus montium quorundam vicinorum regno Bengalæ, vocatusque fuit *Xaholam* id est Rex mundi. De hujus gestis major historia conscribi posset quam de magno *Tamir*han. Hæc *Garcias* & ex eo *Linschoten* cap. 27. *Mirkond* apud Texeiram vocat eum *Xirkhan* & Wasirum, id est summum exercituum, *Homajonis* ducem fuisse ipsique rebellem factum dicit. *Laet* in India vocat eum *Ferried* Chan & alio usitatiore nomine *Tzeerchan* quod est idem ac *Sha Olam*, sive Rex mundi. Indi virum nobilem & regia prosapia *Delly* sive Regum *Patanensium*. Ejus etiam *Vartomannus* IV. 13. meminit.

II. Hic igitur qualiscunque fuerit, provincia *Bahar* & arce Radia *Rattas* recupe-

rata, *Bengalam, Indostanam, Decan* sive Balaguaten, *Cuncam, Delly* & alia Indorum regna ejecto *Humajune* Rege Mogolum A. cIↃ XL. occupavit. Quanquam scriptores rerum Indicarum duplicem videntur agnoscere Sha *Olam* sive *Tzeer* Chanum. Unum *vetustiorem*, qui *Baburem* regno Indiæ expulit, ac *Decanem* & *Cuncam* suis ministris distribuit circa A. cIↃ IↃ. Alterum *recentiorem*, qui *Homayunem* circa A. cIↃ IↃ XL. India expulit. Nam nisi ita distinguantur, ratio temporum confunditur: vel statuendum esset illum Sha *Olam* admodum longævum fuisse & ab A. cIↃ IↃ. ad cIↃ IↃ L. regnasse.

Decan, Cuncam & *Balaguate* in quinque regna dividuntur.

I. Divisionis hujus causam & originem ex eodem Garcia persequamur. Cæterum, inquit, cum hic Rex *Xabolam* occupasset *Decam* & *Cuncam*, nec posset tantum imperium continere, rediit ad sua, & his postremo occupatis regnis suum consobrinum nomine *Daquem* præfecit. Delectatus est ejus consobrinus peregrinis nationibus, ut sunt *Turci, Corasones* & *Arabes*. Divisit regnum in provincias quibus præfectos dedit; maritimam eam regionem quæ ab *Angediva* ad *Cifarolam* per sexaginta leucas extenditur, deinde interiori regione cum aliis terminatur provinciis, gubernandam dedit

dedit *Adelhan* quem nos *Idalcan* nominamus. Ei provinciæ quæ à *Cifardan* ad *Negatona* extenditur per viginti leucas; interiori vero regione aliis provinciis & Cambayæ jungitur, præfecit *Nizamaluco*. Balaguate montanæ & vastæ provinciæ præfecti sunt *Imademaluco*, quem nos *Madremaluco* appellamus, & *Cotalmaluco* & *Vrido*. Successu vero temporis factum, ut omnes præfectos tæderet obsequii regii. Conjuratione itaque inter se facta, provincias quibus præfecti erant singuli occuparunt & captum Regem *Daquem* in *Beder* primaria Decan urbe *Verido* uni ex præfectis custodiendum dederunt. Hujus conjurationis etiam participes fuerunt gentiles quidam, veluti *Mohadum*, *Coia* & *Veriche*, quibus & ipsis amplæ regiones cesserunt, *Mohadum* urbs *Visapor* quæ nunc est regia *Idalcan* & *Iolapor* & *Paranda*, quas postea illi ademit *Nizamaluco*. Veriche suam provinciam retinuit, quæ *Cambayæ* & *Nisamaluco* provincia contermina est. Hæc *Garcias*.

II. Nunc videndum quo tempore hæc defectio & divisio regnorum Indiæ facta sit. Quantum ex circumstantiis colligitur & Lusitanorum historiis jam circa A. cIↃ IↃ. eam contigisse necesse est. Quippe *Verido* obiit teste Garcia A. cIↃ IↃ x. Deinde Lusitani, illi *Adelhan* qui ex conspiratoribus fuit, ademerunt *Goam*. Id autem factum circa A. cIↃ IↃ.

 III. Hæc

III. Hæc igitur regna à Potanensi quocunque tandem casu separata fuisse jam circa A. cIↃ IↃ x. ex *Vartomanno* constat, qui IV. 4. 5. 6. dicit Decanensem Regem regnum *Goa* & alia tributaria habuisse. *Maffeius* in Hist. Ind. tradit, *Sabaium* & alios Decani regno præfectos à Rege suo defecisse circa A. cIↃ IↃ. *Cuncan* complectebatur regna *Dabul*, *Chaulan*, *Goa* & alia, de quibus idem *Vartomannus* IV. 3. & 24. Regni *Bengala*, *Narsinga*, *Tarnasseri* idem meminit VI. 13. 14. 6. coll. A. cIↃ IↃ c x. Rex *Decan* fuit Maluc *Nisiasia*, cui A. XVII. successit filius *Nisiamsia*, ut nostrates tradunt.

IV. Reges *Decan*, *Cuncan*, *Balaguate*, communibus nominibus *Adelhan* vel *Idalcan*, qui etiam peculiariter ab Hispanis *Sabayo*, quasi *Saheb* id est Dominus, vocatur, *Nizamaluco*, *Catebmaluco*, *Verido* appellantur, quæ sunt Persicæ & Arabicæ voces. Susceperunt etiam authoritate Sha *Ismaelis* Sefi Persarum Imperatoris titulum *Scha*. Unde factum quod etiam *Adel Sha*, *Nizamo Sha*, *Cotubi Sha* appellentur.

V. Olim *Adelhan* potentissimus Regum Decan erat: Sed postea Rex *Bisnagar*, qui peculiari voce *Rao* vocatur, prævaluit ac reliquos Decan Reges sibi subjecit, ut idem *Garcias* testatur. Plerique horum Regum postea tributarii facti sunt *Akbaro* Mogolum Regi.

VI. Sedes Regum *Adelhan* initio *Goa*: ea amis-

ea amissa, *Vizapor*. Nizamaluco *Bramport* sive *Burhampur*, quæ à Mogolis capta, *Amdanager* vel *Kerki*. Cotalmaluco urbs *Braganadar* & nuper admodum condita *Golconda* sive *Hidraband*; deinde *Musili Patnan*.

Mogoli Indiam recuperant.

I. Post obitum Sha *Selim*, quem Indi etiam *Tzeer* Chan, Sha *Olam*, *Ferried* Chan & *Tyechmecha* Chan vocant A. cIↃ IↃ LII. cum *Adel* Chan Firuz Sha duodecenni ejus filio & successore interemto, regnum *Bengala*, *Patana* & *Delly* invasisset, magni in India motus, multis hinc inde rebellantibus & regium titulum assumentibus. Quare non consentiunt Indi in nominibus Regum, quia scilicet plures passim pro Regibus habebantur. Dicunt enim *Baburi* in India successisse *Tzeer* Sha sive *Salimi* Sha Patanensem, huic *Himmoem* Baneanum, huic *Homajunem*. Quæ non conveniunt cum Catalogo Regum. Iidem tradunt *Adelghano* in regno Patanensi successisse *Soliman*, Kaharamen, qui & Mia Soliman *Lodi* dictus, huic *Dowlet*, sub quo regnum Patanæ ab *Achabar* subactum. Alii Reges Potanenses circa Gangen *Zelalia*, *Afrid* & *Turcoft*, *Osman* Chan, ab *Achabar* & *Ziahaengir* domiti. Inter *Gangis* fluenta ad fines *Purropia* regnat adhuc Patanensis Princeps è prosapia Regum *Delly*, quem *Mogol* domare nequivit.

II. Inter, has confusiones *Homajun* cum ope *Thamasi* Regis Persiæ *Kandaharam* & *Kabulem* à fratribus recuperasset, post obitum *Tzeer* Chani *Dellyn* & *Indostanam* recuperavit, *Laboram* quæ hactenus tantum pagus, urbem fecit. Sedes *Delly*.

III. Ei successit *Achabar*, sub quo A.cIↃ IↃ LXVI. sedes imperii *Agram* translata. Idem *Cittor* Zimet *Patha*, Guzurattam *Modaffari*, Bengalam Sha *Dowet* ademit, *Roup* Matthli fæminam, quæ *Baduris* nomine assumto Patanenses ad rebellionem concitabat, domuit. Regnum *Kabul*, provincias Patanensium ad Gangem, quas *Zelalia* & *Turcoft* possederant, *Kandaharam*, *Cassimerem*, *Sinden* sive *Tattam* imperio adjecit, plurimos *Radzias* in deditionem accepit, regna *Decan*, *Viziapor*, *Golcondam* tributaria fecit. Imperium ejus in provincias XXXVII. divisum.

Guzuratta sive Cambaia à *Mogolis* expugnatur.

Eodem tempore quo regnum *Indostana* occuparunt *Potanenses*, Mahummedani quidam expulsi; *Reisbutis*, regnum *Guzuratta* & Cambayæ occuparunt. *Garcias* ab Horto II. Hist. Arom.28. Hoc regnum olim à mari Indico ad *Guater* & versus meridiem ad *Damam* usque protensum fuit, inde angustius factum. Termini ejus ad Boream *Soret*, *Ieselmeere*, *Bando*, ad Ortum

tum *Cittor* & *Chandis*, ad Auſtrum *Decan*, ad Occidentem mare *Indicum*. Metropolis *Hamed Ewat* id eſt civitas Regis *Hamed*, à quo condita vulgo *Amadabat*: inde *Suratta*, *Brochia*, *Cambaia* (quæ *Cairum* Indiæ appellatur) *Mangorol*, *Patan*, *Dive* ſive *Diu*, quam *Vartomannus* III. I. *Divobanderrumi* vocat, *Kerimar*, *Nagſary*, *Menhowa*, *Dongeſſar*, *Diasghan*, *Mungerolpore*, *Ommapar*, *Goga*, *Niriand*, *Gandeve*. De eorum Regibus pauca tantum memorantur. *Vartomannus* IV. 2. refert *Mahamudem* Sultanum Cambeiæ Regem Guzeratorum regno pepuliſſe. Hic circa A. cIↃ Iↄ. jam per XL. annos regnaverat. Ejus pater fuit *Madrafaxaus* teſte *Maffeio*, Sultan *Mamed* Begeræ filius; alter Rahia *D'gie* oppidum *Brodera* condidit. Sub *Badurio* Luſitani A. cIↃ Iↄ XXXV. arcem in oppido *Diu* condiderunt. Mentio fit etiam *Baduris* qui montana Guzurattæ circa Amadabat tenuit & à Mogolis nunquam ſubigi potuit. Baduro ſucceſſit Sultan *Mamud*. Ei A. cIↃ Iↄ LXXIX. filius *Modattar*, ſub quo & ejus tutore *Ethamed* Chan Achabar Rex Mogolum A. cIↃ Iↄ CV. regnum Cambaiæ ſubegit. In pago *Sarques* ſive *Sirkeſa* veterum Guzuratenſium Regum ſepulcra viſuntur. Et ad urbem *Amadabat* pædagogus quidam Regis Guzurattenſis ſepultus eſt.

Malabar in varia regna *dividitur.*

I. Regnum *Malabar* complectebatur provincias & urbes *Cananor*, *Calicut*, *Challe*, *Crangonor*, *Chilao*, *Cochin*, *Coulam* & alias. Antiquissima urbs fuit *Coulam*, ex qua *Calicut*, *Cochin*, *Canonor* tanquam coloniæ originem traxerunt. Sub ultimis Regibus *Mahommedani* & *Iudæi* ex Arabia & Persia in *Malabar* venerunt ac indigenis permixti sunt. Unde tandem ipsi Reges Mahummedismum susceperunt; ex quibus fuit circa A. Iↄ cccc. *Sarama* Perymal, qui cum liberis careret, regnum *Malabar* inter fidissimos ministrorum distribuit, ipse *Meccam* profectus est. Præcipuo dedit *Calecutum* cum titulo *Zamori*, id est Imperatoris, cui cæteri Reges parebant. Hic anno Iↄ cccc vii. *Calecutum*, quæ hactenus exiguum oppidum, condidit. *Scal.* v. Emendat. Temp. *Linschotan.* cap. 12. Circa A. cIↄ cccc. Christiani *albi* ex regione longinqua in Calecut navigarunt, quos *Tartaros* è Rossia fuisse opinantur, *Cadamustus* cap. 56. *Iosephus* Indus *Cataienses* vocat. A. cIↄ cccc xcviii. regnavit Zamori *Ganser*, cujus aulam describunt *Cadamustus* ii. 53. ad 61. iii. 73. 75. & *Vartomannus* v. fusissime. Ei successit A. cIↄ Iↄ xiii. *Naubeadarinus*. Maffeius *Hist.* Ind.

II. Postquam vero Lusitani relicta Calecut *Cochinum* concesserunt, amissa mer-

catura

catura regnum *Calecut* omnium minimum factum est, retento quidem titulo *Zamori*, sed potentia ad *Cochinensem* Regem translata, qui relicta Portugallis urbe *Cochin*, sedem suam *Dacimam* transtulit. In montibus non longe à Calecut Rex dominabatur potens, *Naremaga* nomine. *Cadamust*. III. 76. De Rege *Canonor* qui A. cIↄ Iↄ. regnavit *Vartoman*. III. 79. VI. 40. De Rege *Batycola* idem IV. 7. 8. Regnum *Onor* tributarium Regi Narsingæ fuit, A. cIↄ Iↄ. idem IV. 8. De regno *Coulon* & *Caicolon*, idem VI. 1. De regno *Cranganor* Josephus Indus. *Cochini* Rex A. cIↄ Iↄ. *Trimumpara*, cui A. cIↄ Iↄ V. successit *Naubeadora*. Maffeius.

Brama sive *Pegu* miserrime destruitur.

I. De statu regni *Pegu* circa A. cIↄ Iↄ. *Vartoman*. VI. 15. 16. Circa A. cIↄ Iↄ. Rex *Pegu* fuit *Brama*, à quo ipsum regnum Pegu *Brama* dictum. Regnavit is XXXVII. annos successore filio *Brama*.

II. Circa A. cIↄ Iↄ LX. quidam præfectus regni *Tangut* rebellis factus Regi *Pegu* & *Siam*, regna *Brama*, *Prom*, *Tangut*, *Melintay*, *Calam*, *Bacam*, *Mirandu*, *Ava*, *Pegu* subegit. Post octennium A. cIↄ Iↄ LXVIII. idem subegit quoque regnum *Siam*, *Tanasfery*, *Queda*. Causa belli ab Elephanto albo quæsita, quem *Siamenses* Peguanis cum

 divi-

divino honore colentibus negarant. *Linschot*. cap. 17. An hic idem sit cum eo qui vocatur Rex *Ava* & quem *Brama* A. cIↄ Iↄ xcviii. in prælio interfecit, dubium est & temporum ratio repugnare videtur. Defecit etiam ab hoc *Brama* Rex *Siam* cum suo regno A. cIↄ Iↄ xcix. & ipse *Brama* A. cIↄ Iↄ c. interfectus, ac totum ejus regnum miserrime desolatum fuit. Regnum *Pegu* ad Regem de *Arracan* pervenit. *Iarrige* Hist. Ind.

Narsinga in tria *Regna* dividitur.

I. Hoc regnum à duabus regiis urbibus duplici nomine appellatur, *Narsinga* vel *Bisnagar*. Linschot. cap. 15. In navigatione *Iosephi* Indi corrupte *Narsinda* & *Besanagal*. De potentia & statu regni Narsingæ circa A. cIↄIↄ. *Vartomanus* iv. 9. 10. 11. Urbes: *Maliapor* quæ periit & defecit, *Cyromandel*. Vartoman. vi. 2. unde tota illa ora hodie appellatur *Chormandel* à nautis Batavis. *Peleachet*, Vartoman. vi. 5. quæ est Hollandis *Paliacatta*. Vectigales Regi *Narsingæ* fuerunt circa A. cIↄ Iↄ. quatuor Reges insulæ Zeylon. *Vartom*. vi. 4. Titulus & nomen Regis *Rau* vel *Ham*. *Linschot*. cap. 27. *Rau* Rex Narsingæ regna *Decan* & *Cuncan* tributaria sibi fecit. Idem eo loco. Portugalli in hoc regno urbem *Negapatan* occuparunt, & in eo loco, ubi olim *Maliapor* fuit, oppidum

Sancti

Sancti *Thomæ* exstruxerunt. *Linschotan.* cap. 15.

II. Hoc regnum postea divisum fuit in tria regna, *Negatapan*, cujus Regis titulus fuit Viripanay, *Maliapur*, cujus titulus Vengapatir & *Narsingæ* sive *Bisnagar*. Fuit etiam regnum *Tarnasseri*, cujus hostes Rex Narsingæ & Bisnagar. *Vartoman.* VI. 6. 7. 8, 9. 10. 11. Circa A. cIↃ IↃ XVII. Rex Narsingæ *Crisnaraus* fuit.

Golganda.

A. cIↃ IↃ C XVII. Rex *Golgandæ* fuit Soltan Mahomed Cottabassi. Petrus van *Broeck* Itiner.

Malacca novam *Linguam* condit.

I. Hoc regnum admodum *recens* esse perhibent. Quippe ob insalubritatem loci ora illa diu vacua cultoribus mansit, nec nisi casas piscatorias septem octove habebat. Inde paulatim confluentibus ex *Pegu*, *Siam*, *Bengala*, *Iava* aliisque insulis pluribus, placuit novam Rempublicam, *linguam*, urbem condere, quæ *Malacca* dicta. *Lingua* ex cæteris per Indiam conflata, in qua plurima *Arabica* & *Persica* vocabula. Brevi urbs propter loci situm tanta cepit incrementa ut cum maximis & cultissimis certaret & *lingua* hodie per totam Indiam adeo recepta, ut qui eam tenet, passim intelligatur; ejus ignarus, sicut si quis in

Europa Latinam ignoret, rudis censeatur. *Linschot*. cap. 18. *Vartomanus* VI. 17. tradit *Malacham* sive *Melcham* circa A. cIↄ cccc xx. à Rege *Cini* conditam, Mahummedanum Sultanum habuisse Regi *Cini* tributarium. Incolas ejus à *Iavanis* oriundos. Ubi quem Regem *Cini* intelligat, disputatur. Non enim probabile Regem *Sinæ* intelligi, sed potius *Siami*, quod regnum olim *Sina* dicebatur. Meminit *Vartomanus* VI. 20. regnorum *Cini*, *Macyni*, *Sarnau* & *Gravay*. Rex igitur *Cini* est Rex *Siam*, quod ex Maffeio manifestum, qui tradit *Mamudum* à Rege *Siam* defecisse circa A. cIↄ Iↄ x. Sub *Mamudo* Rege *Alphonsus* Albuquerke eam Regi Portugalliæ subjecit. *Aldinus* vero *Mamudi* filius se *Bintani* Regem fecit circa A. cIↄ Iↄ xv. *Maffeius*.

Insulana est *Zeylonæ*, *Sumatræ*, *Javæ*; *Moluccarum*, *Borneo*, *Mindanao*, *Zebut*, *Gilolo*, *Maldivarum* & aliarum complurium.

Insulæ Indici Oceani innumeræ sunt, quarum præcipuas tantum recensemus, reliquarum notitia ex nautarum Itinerariis peti potest.

Zeylon priscorum *Taprobana* est.

I. Hanc esse priscorum *Taprobanam* erudite probavit Bochardus. ncolæ vocantur

cantur *Cingalæ*, id eſt reliquiæ Sinenſium, qui Sinenſes olim frequentes in eam navigarunt ut *Martinius* teſtatur.

II. De priſcis illis Regibus nihil conſtat, niſi quod Maffeius tradit Hiſt. Ind. p. 55. circa tempora nati Chriſti Regem *Zeylon* fuiſſe *Pirimal*. *Mirkond* teſtatur *Coſroen* I. Regem Perſiæ, Regem *Zeylon* ſibi tributarium feciſſe. Adhuc circa A. cIↃ ccxc. uni Regi ſubjectam fuiſſe *Venetus* III. 22. & circa A cIↃ ccc. *Haitho* c. 6. tradunt. Inſigne regium erat ingens *rubinus* quem Rex inaugurandus manibus geſtabat circumequitans: ſic ratum ei regnum. *Venetus* III. 22. *Haitho* cap. 5. Poſtea *Cingalæ* trucidato Rege, inſulam in plura regna diviſerunt. *Linſchot*. cap. 14. qualia erant *Colmuchi*, cui cæteri Reges omnes tributum pendebant, *Ianafapitan*, *Triquinamale*, *Batecolon*, *Vilaſſen*, *Tananaca*, *Laula*, *Galle*, *Candy*. Circa A. cIↃ IↃ. inſula tota *quatuor* regibus parebat qui tributarii erant Regi Narſingæ. *Vartoman*. VI. 3. 4. A. cIↃ IↃ XL. Rex *Zeilon* fuit Jafanapatani. *Maffeius*. Superiori ſeculo tonſor quidam nomine *Raiu*, interfecto Rege præcipuo, cæteris pulſis, totam inſulam ſibi ſubjecit & in unum regnum redegit. *Linſchot*. cap. 14. Sedes regni ejus fuit *Setavacca*. Eum *Thuanus* cxxx. vocat *Mara Pegu* corrupte, pro *Maru Ragu*, cui ſucceſſit filius naturalis *Darma*: huic Fimala *Darma* Suriada; circa A. cIↃ IↃ c IV. qui etiam

etiam vocatur à Lusitanis *Iohannes* de Austria. Sedem regni habuit in *Candy*.

Sumatra.

I. Sitne hæc *Taprobana* an *Zeilon*, diuturna inter Geographos lis fuit. De ea enim intelligunt *Plin.* VI. 22. Si igitur *Sumatra* est Taprobana; tum *Claudio* Romæ imperante Rex ejus legatos Romam misit, quorum princeps erat *Rachia*. Sed certior opinio est *Taprobanam* esse illam insulam quam *Zeylon* appellamus.

II. Hodie in plura regna dividitur quæ sunt *Achem*, *Pedir*, *Pazem*, *Campar*, *Menancabo*, *Zunde*, *Andragide*, *Auru* & alia: potentissimus omnium est Rex *Achein* qui totam pene Septentrionalem plagam tenet. *Thuan.* CXXX. *Linschot.* c.19. De regno *Pyder* Vartoman. VI. 17. 22. 23. Rex *Achein* A. CIↃ IↃ XX. *Abrahamus*. Rex *Paceni* A. CIↃ IↃ XX. *Geinal*, cui interfecto successit filius infans sub tutela *Molanæ*. Circa A. CIↃ IↃ C XI. XII. duo Reges Christiani *Constantinus* & Thomas memorantur.

Java paret Magno *Mataran*.

I. Quod scribit *Linschot.* cap. 20. ipsis *Iavanis* insulam esse quam habitarent, demum ex Batavorum circumnavigatione innotuisse, id non convenit cum relatione M. P. *Veneti*, qui III. 10. testatur circuitum ejus fuisse 3000. milliarium.

II. Rex

II. Rex jam ævo *Veneti* unicus fuit & nemini tributarius. Eum vocari communi nomine magnum *Mataram* Batavi testantur.

III. Quæ autem sit illa *Iava* Minor, in qua tempore *Veneti* III. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. octo regna, *Ferlech*, *Basman*, *Samara*, *Drogotan*, *Lambri*, *Fanfur* & duo sine nomine, quorum unus Rex *Basman* Magnum Chamum Tartarorum *Cublay* Dominum agnoscebat, hodie ambigitur. Id constat innumeras esse ad Javam insulas, quæ omnes à populo Javanis simili habitantur. *Linschot*. cap. 20. Est inter eas insula *Necur* quæ Regem non habet & *Angamina*. Venetus III. 20. 21.

Moluccæ.

I. Quinque recensentur Moluccæ: *Tidor*, *Ternate*, *Macian*, *Bachian*, *Motir*. aliæ undecim annumerantes *Gilolo*, *Clebes*, *Borneo*, *Amboina*, *Banda* & *Timor*. Quælibet harum olim suum habuit Regem: postea *Ternatensis* Rex *Macian* & *Motir* expugnavit ac per alias quoque insulas *Amboinam*, *Celebin*, *Mindanao* sive Miganando, *Menim*, *Gilolo*, Imperium exercuit.

II. Reges Moluccarum ex una familia petuntur. Cum Lusitani in eas venirent, Rex Tarnatensis fuit *Chaiamiri*, quem obtruncarunt. *Maffeius* ab A. cIↄIↄ x. hanc seriem Regum Tarnatensium recenset: *Boleifis*, *Boahares*, *Aialus*, *Tabaria*, *Aerius*

rius qui circa A. clↄ Iↄ xxx iv. regnavit Rex *Tidor* A. cIↄ Iↄ x. fuit *Almanſor*. Circa A. cIↄ Iↄ xc. regnavit *Baxa*, cui ſucceſſit A. cIↄ Iↄ c. *Scipidinus* id eſt *Seifedin*, qui cum Batavis fedus inivit.

Borneo.

Series Regum non conſtat. *Riach* Rex Borneo invenit Camphoram artificialem quæ ab eo *Riachina* dicta. *Scal.* Ex. civ. 8. A. cIↄ Iↄ xxi. *Siripanda* Rex Borneo. Hiſt. *Indiæ* III. 95.

Mindanao.

Circa A. cIↄ Iↄ xxx. tres Reges in *Mindanao* fuerunt, *Pimilaranus* dictus Franciſcus, *Butuan* Johannes, *Camiguin* Johannes. *Maffeius*.

Zebut.

Hanc inſulam deſcribit *Gomara* cap. 94. Hiſt. Ind. Rex nomine *Hamabar* tunica longà alba ex goſſypio indutus. Diademate ſimili, auro, margaritis, gemmis ornato cinctus.

Gilolo.

Ejus Rex circa A. cIↄ Iↄ xix. *Luz.* dictus *Gomara* II. Hiſt. Ind. 96. A. cIↄ Iↄ xxx. *Catabruny*, cui circa A. L. filius ſucceſſit. *Maffeius*.

Maldivarum.

Maldivæ pluſquam duodecim mille inſulas complectuntur & in tredecim *Atollas* ſive provincias dividuntur. Sedes Regum *Malu* eſt.

SINEN-

SINENSIS.

Sinensis est *Cataica, Corea, Japonica.*

I. Quos antiqui *Serés* & quam regionem *Sericam* appellarunt, ii à familia *Cina* Sinæ hodie appellantur, de quorum antiquitatibus fabulosis jam supra prolixe egimus. Nunc recentiora & de quarum fide dubitari non potest ad nostra usque tempora edisseremus.

II. Ac initio quidem observandum *Sinensium* nomine comprehendi tum illos qui specialiter Sinenses & à Persis, Saracenis, Europæis medii ævi, *Cataini*, regio *Cataium* dicuntur; tum colonias eorum *Coreanos* & *Iaponios*, quibus etiam *Canchinchina* adduntur.

CATAICA.

Seres commercia *Serici* antiquissima soli exercuerunt.

I. *Alvares Semedo* testatur Sinenses non esse antiquiores annis 3700. Incidit ergo initium regni Sinensis in A. M. 1940. ac 300. fere annis diluvio est posterius, ut Athanasius quoque *Kircherus* Tom. III. Oedipi probat. Ut non opus sit, rejecto calculo Codicis *Hebræi*, corruptos LXX. Interpretum & Samaritarum numeros, in Sinensis Chronologiæ gratiam sequi.

Ipse

Ipse *Martinius* de fide Annalium Sinensium circa antiquissima illa tempora quibus *Fohius* vixisse traditur, dubitat & *multa*, inquit, *insunt ridicula Sinicis Annalibus sive hominum ætatem consideres sive annos regnantium.*

II. Multa etiam Sinenses *Historici* & *Mathematici* studio confinxerunt in gratiam vel odium imperantium. Ita fabulosa est illa *septem* planetarum conjunctio quam sub Imperatore *Chuenhioo* accidisse tradunt. Quippe insignis Astronomus Samuel *Kechelius* curiosa supputatione falsam & fictam deprehendit, ut & illam quam *Persæ* & *Arabes* nascente *Timuro* contigisse volunt. Idem de *quinque* planetarum concursu, facto sub Imp. *Lieupango*, annis ante Christum natum CCIV. Martinius suspicatur: *fortasse à Mathematicis Sinensibus conficta fuit.*

III. Ignota Europæis fuit series Regum Sinensium antequam A. CIↃIↃCL. Martinus *Martinius* Annales ipsorum publicasset. Unde *Scaliger* III. Canon. *Historia* Sinensis *usque ad* Tartarorum *tempora nobis* Europæis *adhuc ignota est*. Nam Catalogus Regum qui extat apud Johannem *Consalvum* Mendozam lib. III. & quem Scaliger ex *Zaccuth* recitat, nonnisi fabulosum commentum ex ignorantia literaturæ Sinensis est.

IV. Omissis igitur VII. illis à *Fohio* ad *Xunum* Imperatoribus quos vel *fabulo-*

sos

sos esse, vel ex nominibus *Patriarcharum*, qui ante & paulo post diluvium vixerunt, expressos supra ostendimus: *Certior* historia Sinensis post *diluviana* demum, cum prima imperante familia HIAA, incipit, ejusque initium incidit in A. ante Christum MMCCVII. id est si Christi nativitatem cum Usserio statuamus annum quatermillesimum, in Ann. Mundi conditi 1793. post diluvium 136. vel si *Semedum* sequi malis, in A. post diluvium trecentesimum. Quod spatium temporis cum satis sit arctum, neque adhuc genus humanum ita excrescere potuit ut tota *Sina* hominibus impleretur: hinc patet Historiam Sinensem nondum ita liquidam esse ut omnibus fabulis careat. Tempora quidem non repugnant veritati: potuit intra annos 136. post diluvium eousque multiplicari genus humanum, ut post irritam turris Babylonicæ structuram *Yvus* cum colonia in Sinam pervenerit ibique regnum condiderit: sed cum nihil simul incipiat & perfectum sit, *omnia* illa quæ de imperii Sinensis jam tum sub *Yvo* magnificentia, divisione in duodecim ac deinde novem provincias, vasis totidem *Geographicis* dicuntur, fabulosa haberi debent. Lenta nimirum omnium, ut rerum humanarum, ita maxime regnorum sunt initia: neque putandum est Sinenses statim à diluvio in tantam multitudinem & cultum excrevisse. Nam quod de *Babyloniorum*, *Assy-*

Assyriorum & *Ægyptiorum* antiquissimis ac primis sub *Nino*, *Semiramide*, cæterisque rebus traditur, haud minus fabulosum est.

V. Sicut igitur *Assyriorum*, *Babyloniorum* & *Ægyptiorum* vasta illa potentia longe recentior est quam Annalium scriptores tradunt: ita de *Sinensium* quoque rebus existimandum est; obscura eorum imperii initia fuisse & tarda incrementa, multorumque seculorum opus, antequam *quindecim* illæ provinciæ aliaque regna in unum illud & vastissimum Imperii corpus coalescerent. Id quod demum post tempora & expeditionem *Alexandri* M. Indicam sub familia *Cina* factam, ex ipsis Sinensium Annalibus clarissime probari potest. Ita quidem ut ætate Alexandri M. *Sina* obscurum inter vicinos regnum fere à potentioribus oppressum & extinctum fuerit, ac totus ille terrarum tractus, qui postea in unum Imperii Sinici corpus victricibus familiæ *Cinæ* armis coaluit, in quamplurima regna ac Regulos divideretur, quorum aliqua velut regnum *Zu*, *Xo* & *Pa* sive *Sophitis*, potentia & opibus longe superabant regnum *Cin*.

VI. Atque hæc unica est causa cur nulla plane apud scriptores expeditionis Alexandri M. Imperii *Sinensis* extet mentio, vel minimum etiam vestigium, cum tamen in ipsis ejus limitibus hæserit & in *Chataiam* sive provinciam *Suchuen*, quæ est regnum *Xo Pa* sive ut Græci vocant

Σωπεί-

Σωτείϑυ penetravit. Quoniam vero, si hæc paulo clarius demonstrentur, magnum lumen & rebus Alexandri M. & Annalibus Sinensium præbent, ideo utrumque nunc, & *Alex.* M. ignotum fuisse Imp. *Sinense*, & regnum Σωπείϑυ esse provinciam *Suchuen*, ostendamus.

VII. Antequam vero ad tempora Alexandri M. accedamus, necessum est ex ipsis Sinensium Annalibus ostendere, quæ illius regni amplitudo & potentia fuerit à primis ejus post diluvium initiis. Tres ante Alex. M. in Sina familias regnasse traduntur, *Hiaa*, *Xanga* & *Cheva*.

VIII. Terminos antiqui Sinensis Imperii jam sub *Hoangthio* (quem ante diluvium, vel fabulosum fuisse, ostendimus) statuunt *Eoum* mare, *Tatariam* veterem & fluvium *Kiang* ad austrum, quo spatio nunc continentur *sex* Provinciæ boreales quæ sunt *Leaotung*, *Pecheli*, *Xansi*, *Xensi*, *Honan*, & hæ provinciæ antiquissimis seculis alia nomina habuerant, unde & alia divisio regni Sinensis. *Xunus* in XII. *Yvus* conditor familiæ *Hiaa* in IX. provincias divisisse traditur. Utcunque autem se hoc habeat, id pro certo statuendum est, etiam posito familiam *Hiaa* ab Yvo, anno post diluvium CXXX. conditam, eamque Regum fuisse seriem quam Annales ipsorum tradunt, non tamen eam jam Imperii Sinensis potuisse esse amplitudinem, ut paulo ante ostensum, & ipse *Martinius* tradit.

Recen-

Recentior igitur hæc tanta imperii moles: Sed quando primum post diluvium coaluerint in unum corpus non constat, neque ipsi tradunt. Nisi quod sub VIII. Imp. *Hoaio* multi populi, maxime insulani sponte Sinico sceptro se subjecisse perhibentur. Idem sub X. *Is* factum. Sub XVII. *Kieo*, quem Sinensium *Neronem* appellare possis, magna provinciarum & regulorum defectio, & mox ruina familiæ *Hiaa* secuta fuit.

IX. Collapsam sub *Kieo* Sinam instauravit *Tangus* conditor novæ & secundæ familiæ *Xanga* ante Christum A. 1766. id est A. M. 2238. post diluvium 582. Ex hac X. *Hotankias* sedem Regiam à croceo fluvio in urbem Honanæ provinciæ *Siang* transtulit. Sub XX. *Wtingo* Provinciæ aliquæ ad Occidentem Sinæ ultro se ipsi subjecere. Sub XXV. *Wyeo* coloniæ in insulas Orientales deductæ.

X. Tertia familia *Cheva* regnare cœpit A. ante Christum 1122. Primus ejus Imp. *Yus* peninsulam *Coream* Philosopho *Kicio* cum titulo pleni & absoluti regni donavit, cujus posteritas hodieque regnat. Idem imperium Sinense in quinque regna, *Xensi, Zu* sive *Huquam, Su, Chin* sive *Honan* & *Yui*, divisit: ac Regulos *Ci, Lu, Yen, Guey* constituit, quæ divisio magnarum postea in imperio seditionum & rebellionum causa fuit. XI. *Sivenius* populos *Hoaigan* & *Huquang* ultra fluvium *Maris* filium habitan-

bitantes domuit. Imperante XII. *Ieo*, maxima imperii Sinensis conversio secuta partim ab irruptione *Tartarorum*, partim ob regulorum defectionem, qui excusso obedientiæ jugo præfecturas in legitima ac nullius imperio obnoxia regna mutabant. *Quinque* tum regna emerserunt *Cin* in Xensi, *Guei* in Honan, *Ci* in Xantung, *Zu* in Huquang & Kiangsi, *Cyn* in Xansi. Ab his dum inter se & cum Imperatoribus discordant, bello civili diuturno *Sina* fuit destructa.

XI. Inter hos motus magis magisque depressa Imperatorum majestas, tandem penitus elanguit, præsertim cum reges potentissimi *Zu* imperium jam palam & bellis diuturnis affectarent. Nihil obtinebant Imperatores præter regnum *Cyn*, quod sub XXVII. Imp. *Chintingo*, rebellione præfectorum funditus una cum familia *Xanga* eversum est. Quæ turbæ inde per trecentos & amplius annos continuatæ res Sinensium penitus confregerunt, cum reguli palam imperium armis ambirent & Imperatoribus præter nudum nomen nihil relinquerent.

XIII. Florentibus *Assyriorum*, *Babyloniorum*, *Medorum* ac *Persarum* rebus, *Seres* commercia exercebant terrestria cum *Persis* & *Medis*, maritima cum *Taprobanitis*. Ac *Persæ* quidem, *Medi*, *Assyrii* & *Babylonii* ab iis accepere *Sericum*, ex quo vestes Sericæ quæ Babylonicæ, Medicæ, Persicæ dice-

dicebantur, confectæ. Quanta talium vestium antiquitas sit, ex historia *Iosuæ* apparet, ubi cap. VII. mentio fit *Babylonii* pallii, quod fuisse ex Serico admodum probabile est; de quo *Bochartus* 1. Phalegi 6. Ita initio soli Persæ Sericum à *Seribus* accipiebant: iis ab Alexandro devictis, delatum fuit in Græciam, & inde Romam, ubi fuit ἰσόχρυσον: nam *libra serici* emebatur *libra auri*. Maritima commercia antiquissimis temporibus Seres exercebant cum solis *Taprobanitis*: cæterorum enim refugiebant cœtum teste *Plinio* VI. 17. *Taprobana* autem est *Ophir* Salomonis eademque *Parvaim* navigatione regum Israëlis celeberrima. Nam ex *Parvaim* ipsum Taprobanæ nomen fluxit ut erudite ostendit *Bochartus* Phalegi 11. 27. & Chanaani 1. 46. Atque hinc patet cur *Salomo* & *Iosaphat* cum Tyriis navigationem *Ophiraam* & *Parvaimicam* tanti fecerint: quia nimirum illa insula quam veteres *Taprobanam*, recentiores alii *Zeilam*, alii *Sumatram* esse volunt, unicum erat sericarum mercium emporium. Hic status Imperii Sinici antiquissimus, florentibus Assyriorum, Babyloniorum, Medorum ac Persarum rebus usque ad Indicam Alexandri Magni expeditionem fuit. Sequitur nunc ut commemoremus, qualis sub & post Alexandri tempora *Sinæ* conditio fuerit.

XIII. *Alexander* Magnus Indiam bello aggres-

aggreſſus fuit anno ante Chriſtum 328. quo tempore in *Sina* imperabat, ſive potius nudum nomen & inanem titulum obtinebat *Hiennus* XXXIV. ex familia *Xanga*. Tota tum Sina inter varios regulos de imperio inter ſe cruentis bellis certantes, diſtracta erat; unde minime mirum videri debet nullam plane tanti imperii notitiam ad Alexandrum in ipſis limitibus hærentem, ac proxima quæque ſibi ſubjicientem, perveniſſe. Nam qui domi à ſuis ſpernebatur & ademta omni poteſtate, nihil, præter inania *Vaſa* Imperatoria obtinebat, ejus famam exteris quoque ignotam contemtamque fuiſſe, nemo mirabitur.

XIV. Regna autem celebriora & Reges per Sinam tum erant: *Cin*, *Chao*, *Yen*, *Guei*, *Han*, *Zu*, *Ci*, *Lu*. Ex quibus potentiſſimus Rex *Cin*, Monarchiam pertinaciter affectabat, cæteris ſuaſu & aſtu *Sucinii* Philoſophi arma ſocia contra æmulum jungentibus. Atque hic Sinæ ſtatus erat, quo tempore *Alexander* in ipſis ejus limitibus bellum geſſit, ut jam oſtendemus. Suſcepit autem Alexander primo expeditionem verſus Boreales Indiæ provincias, qua Sinis proximant. Nam ex *Peucelaotide* ad urbes *Nyſan* & *Andacenam* pervenit. Quæ ſecundum Abulfedam ſupra Jaxartem in ditione *Fargana* ſitæ ſunt adeoque XL. circiter latitudinis gradum obtinent. Inde per *Aſſacenos*, *Taxilis* & *Pori* regna ad *Chatæorum* ſive *So-*

peitha regnum pervenit, quæ est illa *Sinæ Occidentalis* pars, quam hodie *Suchuen* appellant, ut in sequentibus ostendemus.

XV. Novum hoc multis videbitur & inauditum quod nunc demonstrandum suscepi, *Alexandrum* Magnum in ipsam *Sinam* impressionem fecisse ejusque extremam Provinciam *Suchuen* bello subjugasse. Ubi in antecessum Sinenses Annales nihil nobis adversari monendum est. Ita enim fere loquuntur, quibus hoc, quod diximus incredibile videtur: non prætermissures rem tam memorabilem fuisse Sinenses, siquidem cum Alexandro M. bellum gessissent. Sed facile Sinensium Annalium authoritas refellitur, qui non nisi sua persequuntur: ab *exteris* tanquam barbaris & memoria indignis, pertinaciter ac consulto abstinent. Igitur quanquam strepitum armorum Alexandri Magni in vicinia & ipsis limitibus grassantium non potuerint non exaudire: quia tamen interiora Sinæ intacta reliquit & in provincia *Suchuen*, quæ hodieque *extra murum* protenditur, hæsit, neque ulterius progressus fuit, ipsi suis civilibus bellis intenti, externa procul habuere. Deinde in fatali illa Bibliothecarum Sinensium sub *Cina* familia destructione, multa proculdubio antiquitatis & Historiarum monumenta abolita fuerunt, cum Sinenses *vix pauca* volumina eaque ad res *proprias* & *domesticas* spectantia, furori illi subducere potue-

potuerint. Ita igitur Silentium Annalium Sinæ nihil opinioni nostræ præjudicare potest. Testatur enim Martinius *de exteris vix aliquid Sinas scribere dignari vel scire.*

X VI. Ut autem omnia in hac tam impedita, obscura aliisque intacta quæstione fiant clariora, initio ex Geographorum monumentis probandum est, *Cathæam*, quæ ultima provinciarum, quas Alexander M. in India expugnavit, eandem esse cum illa quam Sinæ *Suchuen* vocant. Meminerunt hujus expeditionis in *Cathæos* & *Cathæam Arrianus* v. *Strabo* xv. *Curtius* IX. regnum *Sophitis* vocat à Rege *Sophite*, qui Arriano, Straboni, Diodoro est Σωπείθης. Hanc *Cathæam* (à qua postea tanquam sibi maxime vicina Saraceni, Turcæ, Tartari, Persæ, totum Sinense Imperium *Cataium* appellarunt) esse provinciam *Suchuen*, ex Strabone & Martinio inter se collatis, manifestum fiet. Quod Strabo de Cathæa, idem de Suchuen Martinius scribit. Strabo: Φασὶ δ᾽ ἐν τῇ Σωπείθους χώρᾳ ὀρυκτῶν ἁλῶν ὄρος εἶναι, ἀρκεῖν δυνάμενον ὅλῃ τῇ Ἰνδικῇ. Idem Martinius de Suchuen tradit. Utraque regio metallorum, maxime auri & argenti, dives. Situs quoque convenit. Suchuen enim ex Sinicis provinciis maxime vergit ad Occidentem & Indiæ contermina est. Sicut igitur *Suchuen* inter Sinam & Indiam quasi media jacet: ita *Cathæa* quoque Indos à Seribus di-

 stinxit:

ſtinxit: unde Χαίτας Seribus proximos Ptolemæus facit. Neque vero aliunde illa Cathæorum ſapientia, quam à commercio & vicinia Serum. Curtius: *Gens, ut barbari, ſapientia excellit boniſque moribus regitur.* Quanquam enim Suchuen tum nondum à Sinis in provinciæ formam redacta fuerit, ſponte tamen ſua illæ ad Occidentem provinciæ in mores ac inſtituta Sinenſium tranſierunt idque ſub *Tutingo* xx. ex familia *Xanga* Imp. factum Annales eorum obſervant. Sed maximum pro hac ſententia argumentum eſt è quo vel ſolo tota res confici poteſt, quod ipſum *Sopeitha* nomen in Annalibus Sinenſium repertum eſt. Ponam initio ipſa Martinii verba, ut omnia eo clarius eluceſcant. Is igitur III. Sin. Hiſt. ita inquit: *In ceteris duo Reguli venerant è terris extra Sinam jacentibus quæ Suchuen Provincia cum Xenſi eſt contermina, Peyus & Xotius.* Factum hoc ſub Imper. Cheo qui XVII. ex Xanga familia & anno ante Chriſt. 1164. regnavit. Deinde lib. v. *His temporibus* (Imp. nempe *Xicinii* qui ante Chriſt. A. 320. regnavit adeoque Alexandro σύγχρον͡ⱷ fuit) *regiones Occidenti obverſæ, quas nunc ambitu ſuo* Suchuen *provincia amplectitur, nondum imperio Sinico annumerabantur. In illis Dominium penes duos Dynaſtas erat, quorum alter* Pa, *alter* Xo *vocabatur.* Ex his quantumvis obſcuris veſtigiis regnum *Sopeitha* innoteſcit. Xo nimirum, vel Xoti &

Pa vel

Pa vel Pey, nomina erant quasi gentilitia Regum Catheæ, quibus conjunctis emergit illud famosum & Alexandri M. armis expugnatum *Sophitis* vel *Sopeitha* regnum. Ita enim Suchuen appellatam fuisse *Zous* militiæ Sinicæ præfectus in sua ad Imp. Xinicium Oratione testatur: *Xo regnum à Sinarum regnis diversum.* Sicut igitur una pars Suchuen appellata fuit *Xo*: ita altera *Pa* vel *Pey*: quæ cum in unius potestate erant, voce juncta dicebantur regnum *Xo Pa* vel *Xo Pey*, unde Græci proxime ad Sinica nomina accedentes, regnum *Sopeitha* fecerunt. Tempore Alexandri *Cathaa* sive *Suchuen* penes unum Regem fuit qui Rex *Sopeitha* nominabatur. Is *duos* reliquit filios, inter quos regnum erat dividendum. Unus ergo erat Rex *Xo*, alter Rex *Pa* vel *Pey*. Non hæc nomina erant *personarum* sed *regnorum*, sicut Sinæ Reges *Cin, Han, Ci, Chao, Yen, Lu, Zu*, vocant, omissis fere nominibus propriis, non secus ac cum nos *Christianissimum*, *Catholicum*, Francum, Hispanum, nominamus. Duos autem habuisse filios jam adultos Regem Regni Sopeithæ, disertim innuit Curtius, *Rex Indus cum duobus adultis filiis occurrit.* Hi erant illi qui post mortem patris, pro regnis *Xo* & *Pa* vel *Pey* dimicarunt, ut Annales Sinici testantur. Est & hoc argumento, Sinicæ originis ac viciniæ *Cathaos* fuisse, quia in præliis curribus utebantur. *Cathai* aciem

suam *triplici* curruum inter se ordine numerant, cum Alexandro prælio congressuri. *Sinæ* autem temporibus Alexandri M. in bello maxime *curribus* utebantur, ut Martinius testatur: eamque artem vicinos amicos docebant. Idem in XXII. Imp. familiæ *Xanga*, Kieno; Unum *armorum ac præcipue curruum usu minus peritum per idoneos homines militarem disciplinam ita docuit, ut in totum inde regnum didita, strenuos bello multos protulerit.*

XVII. Cum vero *Alexander* ex India ac à Sinarum finibus exercitu reducto Babylone diem obiisset; rebelles Imperatoriam Majestatem magis magisque conculcarunt, ac præcipua pro Imperio inter Reges *Cin* & *Zu* contentio erat. Quam arctis spatiis tum Imperator XXXVI. Fous circumscriptus fuerit ex his præfecti cujusdam ad Regem *Zu* verbis patet: *Quo tibi affectas imperium cujus amplitudo jam vix in centum se diffundit stadia? Et ut illud obtineas, quod incrementum inde tuo tam amplo tam longe lateque diffuso accedet regno?* Sed præ cæteris Rex *Cinus* invaluit omnibus reliquis metuendus; qui sociali contra eum federe inito, cui singuli impares erant, conjunctis viribus resistebant. Sed ipse dissidiis illorum audentior, primo quidem Regem *Gueium* ad turpem & damnosam pacem adegit, quem omnes terras quascunque *Nanyang* regio complectebatur victori tradentem vir prudens Sutaius

his

his verbis reprehendit: *Tot terras ô Rex* Cino *tradere ac sperare pacem, perinde est atque lignis ignem extinguere.* Donec tandem *Cinus* cæteris Regibus oppressis in ipsum Imperatorem *Foum* arma vertit ac viribus longe imparem coëgit, humi supplicem abjectum, omnes terras, hoc est, *triginta sex* urbes, quæ illi de tanto imperio restabant, una cum exercitu tradere: cujus etiam successor *Chenkiunius* XXXVII. & ultimus familiæ *Cheva* Imperator sponte imperio se abdicavit. Ita omnis potestas ad familiam *Cinam* fuit translata.

XVIII. Familiam *Cinam* Chingus sive Xius anno ante Christum 246. condidit; idemque primus *Monarchiæ* Sinensis ac Imperii, quale ad nostra tempora propagatum fuit, fundator dici potest. Nam priores quod attinet familias, *Hiaa* vix extra Xensin regnavit. Sub *Xanga* & *Cheva* imperium ad *Kiang* fluvium promotum, præter Xensin, *Honan*, *Peking*, *Xantung*, aliasque complectebatur. Primus *Xius* caput familiæ *Cinæ* omnem quam late patet Sinam multasque insuper extra eam regiones in unum Imperii corpus redegit, ac ingenti insuper muro velut immobili limite conclusit pariter ac contra irruptiones *Tartarorum* munivit. Obtinuit autem totius Sinæ Monarchiam *Xius* ante Christum A. 221.

Imperium SINENSE fundavit CHINGUS sive XIUS.

I. Anno ante Christum natum *ducentesimo quadragesimo sexto*, eo ipso fere tempore quo & *Parthi* & *Indi* & *Bactriani* à Macedonibus defecere: Itaque illud tempus *Asiæ* Orientali *fatale*, maximorum Imperiorum origine, fuit.

II. Imperium hoc, nomine Europæis nunc recepto, SINENSE vocamus, quanquam antiquis regio illa *Serica*, gens *Seres*, quatenus Septentrionem respicit, versus Austrum *Sina* vel *Thina* dicta fuerit. Vera pronunciatio est *Tzina*,& ita cum *Persis* ac *Lusitanis* pronunciandum monet *Olearius*.

III. Mixtam ex variorum populorum colluvie *Sinarum* gentem esse, neque unius originis; habitus *corporum*, *mores*, *lingua*, satis ostendunt: solo imperio in unam tam vasti imperii molem coaluêre. *Scythicæ* originis manifestum indicium præbent *Hippophagi* Ptolemæo memorati: hodieque enim Sinenses *equina*, ut nos bubula, vescuntur. Sed *Seres* mansuetiori vita & artibus cultiores ad Indorum naturam accedunt, nec non omnes illi qui Philosophiam Sinenses docuerunt. Ut rationibus probe subductis, appareat *Sinense* Imperium ex *Semi*, *Chami* ac *Iapheti* selectissima posteritate, quibuscunque casibus, compositum fuisse.

IV. Antiquissima *Sinarum* mentio extat apud *Esaiam* XLIX. 12. Nimis angustis regnum *Christi* terminos includunt, qui *Pelusium* Jerosolymæ tam vicinum intelligunt. Respexisse Prophetam ad amplum id in extrema Asia Imperium, haudquaquam improbabile videtur.

V. Prima gentis & Imperii *Sinensis* initia exacta definire velle, nisi quis Annales ipsorum pro certis & indubitatis habeat, desperati laboris est. Neque Athanasio *Kirchero* fidem adhibuerim, qui ipsum *Chamum* per Persiam & Bactrianam in Sinas cum colonia pervenisse primo & tertio *Oedipi* sui Tomo contendit. *Ægyptiaca* quidem &Religionis & literaturæ manifesta apud Sinas reperiuntur indicia. Sed quo tempore id contigerit, incertum est. Si quis conjecturæ locus, in famosa illa *Sesostris* sive *Rhamsis* expeditione Asiatica, id contigisse potuit.

VI. Certior vel saltem non adeo improbabilis Historia Sinensium sub familia HIAA incipit, quemadmodum in antecedentibus prolixe ostensum. Sed ipsum quale nunc est Imperium muro illo ingentis & admirandæ molis ac structuræ velut immobili & fatali termino inclusum, originem suam, ut dictum, Imperatori primo familiæ *Cina* CHINGO sive Xio debet.

VII. Ita igitur firmum ratumque maneat, Imperium *Sinense*, quod hactenus in

multa minuta regna diſtractum fuerat, à *Chingo* ſive *Xio* compoſitum & in eam formam redactum qua per tot ſecula ad noſtram uſque memoriam floruit. Ut eodem quo *Cyrus* Perſarum, *Alexander* Macedonum Imperia condidiſſe perhibentur, jure, *Chingius* ſive *Xius* primus Sinarum Monarcha appellari queat.

VIII. Familia Imperatoria, quam *Chingus* ſive XIUS condidit, dicta fuit CINA, unde nomen *Sinarum*, non apud vicinos modo Indos, verum exteras etiam nationes profluxit, quemadmodum *Martinius* eam ſententiam multis argumentis confirmat.

IX. Atque ut omnem prioris per tot regna *Sinæ* memoriam XIUS aboleret, quicquid librorum Sinicorum, maxime *Hiſtoricorum* extabat, comburi juſſit publico edicto ſub ſeveriſſimarum pœnarum comminatione. *Cauſa* erat duplex: ut *priorum* omnium *Imperatorum* memoria aboleretur & quod jam regnum non amplius, ut olim, *diviſum* eſſet in plures Dominos, ſed ſub *unius* Imperio totus quieſceret orbis. Ex quo manifeſtum evadit *Sinam* ante *Xium* nondum fuiſſe unum Imperium, ſed in multa regna & dominos diviſum: deinde quæ de antiquiſſimis illis Sinarum Imperatoribus hodie traduntur, magnam partem à Philoſophis conficta eſſe poſt extinctam familiam *Cinam*. Deletis enim libris & extinctis omnibus illis qui

vel

vel *unum* occultaſſe deprehendebantur, periit ſimul antiquitatis notitia & reſtitui non potuit niſi ex confuſa quorundam memoria ac incertis falſiſque poſterorum traditionibus.

X. Neque vero eſt quod quis dicat, multos & eos antiquiſſimos fuiſſe libros ſervatos. Ut enim hoc de *Confutio* & *Mentio* qui Philoſophiam conſcripſerant, verum ſit; de Hiſtoricis in univerſum traditur, captos *librorum* tenaces & *ſtudioſos* omnes ac una cum libris tandem *combuſtos* neminemque ne in montium quidem abditis latibulis eam inquiſitionem effugere potuiſſe.

XI. Totius autem Sinici Imperii *Monarcha* XIUS factus fuit, poſtquam viginti quinque annis contra Regulos bellum geſſiſſet anno ante Chriſtum natum ducenteſimo viceſimo primo. Idem novas *leges* invexit ac antiquam gubernandi rationem in multis immutavit.

XII. Inter omnia autem quæ XIUS ſplendide ac magnifice pro Imperio Sinico geſſit, nihil admirabilius & portentoſius ad poſteros fuit quam ingens contra *Tartarorum* irruptiones, à littore maris *Leaotung* uſque ad ripam *Crocei* fluminis, per ſexcentas leucas inter altiſſimorum montium crepidines & ſuper rapidiſſima flumina, portis paſſim ingentibus pervius conſtructus murus, anno ante Chriſtum natum *ducenteſimo decimoquinto*, ad cujus

cuſtodiam ſemper *decies centena* militum *millia* excubabant. Hujus muri meminit *Geographus* Nubienſis IX. parte climatis VI. eumque aggerem *Iagog* & *Magog* appellat, ac ab Alexandro Magno exſtructum arbitratur. Reliqua Sinæ partim mari & frequentibus inſulis verſus ortum, partim ſaltibus, montibus & vaſtiſſimis arenis ab occidente & auſtro muniuntur.

XIII. Et quoniam Xius primus hujus Imperii quale ad noſtram memoriam duravit fundator fuit, operæ pretium erit quædam de ejus regimine & ſtatu paullo altius repetere.

XIV. Nomen Imperii apud Sinenſes non unum, ſed varium pro *lubitu* regnantium familiarum fuit, *Than*, *Yu*, *Hiaa*, *Sciam*, *Cheu*, *Han*, *Min*, *Tamin*, aliiſque multis appellatum, quæ omnia *latum* quid ſive *immenſum*, *quietum*, *magnum*, *pulchrum*, *perfectum*, *ſplendidum*, *clarum*, ſignificant. Perpetuum & conſtans nomen eſt *Ciumquo*, quod regnum & *Chiumhoa* quod *hortum*, utrumque in medio mundi ſitum, denotat: quippe Sinenſes cœlum quidem rotundum ſed terram quadratam, in cujus medio Imperium Sinenſe ſitum ſit, ſtatuunt.

XV. Vicini populi & exteri diverſis nominibus id appellant. Cocincinenſes & *Siami Cin* à quibus Luſitani *Chinæ* ſive *Tzinæ* nomen didicerunt, Japones *Than*, Tatari *Han*, Saraceni *Cataium*, de quo

Haitho

Haitho cap. I. Paulus Venetus & Mandevilius, ac nuper ex professo Jac. *Golius* appendice ad Martinii Atlantem. Ipse Imperator *Mundi Dominus* appellatur, & *Thiencu* id est cœli filius & *Hoamsi* id est supremus Imperator aut Monarcha. Cæteri Reges longe inferiore titulo *Guam* appellantur, unde Europæi *Magnum Camum* fecerunt. Regna finitima Sinensibus tributaria ad *ortum* tria, ad *occasum* tria supra quinquaginta, ad *austrum* supra quinquaginta quinque, sed hodie longe pauciora numerantur. Ipsa Sina populosissima, ut supra ducentos hominum milliones in ea reperiri, qui viderunt, existiment. Dividitur in *duas* partes, *Peking* Borealem & *Nanking*, australem: provinciæ in universum quindecim sunt. I. *Leaotung* ubi urbes Leaotang, Tuxun. II. *Peking* sive Pecheli cum urbe cognomine quæ & *Xuntien*, Tartaris & Saracenis *Sambalu* dicitur, in qua Regia sedes. III. *Xansi*, urbes, Taitung, Taixven, Pucheu, Kiangcheu. IV. *Xensi*, urbes Sigan, Hanclung. V. *Honan*, urbs Caifung. VI. *Xantung*, urbes Tiencin, Cinan. VII. *Nanking*, urbes Nanking, Hoigan, Yancheu. VIII. *Chekiang*, urbes Hangcheu, Sunkiang. IX. *Fokien*, urbes Focheu, Kienning, Vencheu. X. *Kiangsi*, urbes Cancheu, Kincheu, Nanchang. XI. *Quantung*, urbes Quangcheu, Chaoking, Nanhiung, Macao. XII. *Quangsi*, Ur-

bes Queicheu. Insula *Hamian*. XIII. *Junnan* cum urbe cognomine. XIV. *Suchuen*. Urbs Chingtu. Lacus *Mahn*. XV. *Huquang*, Urbs Huchang. Lacus Tungting. Flumina majora sunt: *Croceum* & *Kiang* sive filius maris. De quibus omnibus *Atlas* Sinensis Martinii consulendus est.

XVI. Id in tanto Imperio admirabile; quanquam singulæ provinciæ peculiarem sermonem habeant, *linguam* tamen insuper toti Imperio *communem*, quam *Quonhoa* vocant & eosdem in scribendo characteres esse. Sed ipsorum artes haudquaquam cum Europæis comparandæ sunt. *Typographia* ante quinque demum secula usu apud eos recepta fuit, teste *Trigautio*, quanquam *Martinius* originem quinquagesimo post Christum natum anno sumsisse velit. In *Architectura*, *pictura*, & *statuaria* multum inferiores sunt nostratibus. Sed illud singulare habent, quod totum Imperium à solis Philosophis gubernatur, nec non quod inter omnes Asiaticos populos, *soli* cum Europæis in *vescendi*, *sedendi* ac *dormiendi* ratione conveniant, sedent enim in *sellis* & ad *mensas*. Vescuntur etiam *equis*, *mulis*, *asinis* & *canibus*: sed equi illorum adeo sunt degeneres & imbelles ut ne *hinnitum* quidem equi Tartarici perferre possint, ideoque inepti ad bellum & ferro calces non muniti. Cætera prolixe in singulari opere, quo legatio *Batavica* ad Magnum qui hodie imperat

Tatariæ

Tartariæ Sinæque *Chamum* à nobis deſcribitur, quo lectorem curioſum remittimus.

Sinenſes longe lateque per *Indiam*, *Africam* & *Americam* navigarunt.

I. Quanquam hoc *Trigautio* lib. I. 5. fabuloſum videatur, multis tamen id *Martinius* lib. VI. Annal. probat & oſtendit jam ſub Imperatore *Xio* Sinas omnem *Indiam* claſſibus ſuis pervagatos & in *Iaponiam*, *Luſoniam*, *Ceilan* & *Madagaſcar* navigaſſe, in qua inſula Africæ vicina etiamnum habitat *Sinica* gens, maxime in S. *Claræ* Sinu, quo loco candido vultu homines, *lingua* loquuntur *Sinica*. Tanta autem Sinarum arrogantia eſt ut extera deſcribere haud dignentur. Unde illorum longinquæ expeditiones vix certo definiri poſſunt. *Martinius* ſane arbitratur ultra *Coream*, per fretum *Anian* in *Americam* ipſam perveniſſe Sinenſes claſſes & hinc fortaſſe originem illam gentem habuiſſe. Id quod in libris de Americanorum Originibus prolixius à nobis alibi aſſertum fuit.

II. Inſulas, *Tandair*, *Luzzon*, & quæ uno nomine hodie *Philippinæ* vel *Manillæ* dicuntur, Sinenſes olim coloniis ſuis frequentarunt: poſtea certas ob cauſas deſeruerunt, unde incolæ *rectore* deſtitutæ brutam vitam moreſque induerunt, ſine ulla

ulla ſtabili Politiæ forma, qui ſtatus uſque ad A. cIↃ IↃ LXIV. quo in *Philippi* II. poteſtatem venerunt, duravit. *Linſchoten* cap. 22.

Familiæ Imperatoriæ fuerunt *Cina, Hana, Cyna, Tanga, Iuena, Taiminga* & quæ hodie imperat *Taicinga.*

I. De prioribus illis & antiquiſſimis familiis *Hiaa*, *Xanga* & *Cheva*, quæ ante familiam *Cinam* à *Xio* conditam imperium tenuiſſe traduntur, jam ſupra dictum. Illis igitur tanquam incertis & fabuloſis, vel ſaltem quæ nondum Imperio *Sinarum*, ſed partibus ejus exiguis potiebantur, nunc omiſſis, primam facimus Imperatoriam familiam, quæ à Xio *Cina* dicta fuit. Ea anguſto admodum tempore imperavit, nonniſi per annos quadraginta.

II. Succeſſit Anno ante Chriſtum 206. familia HANA condita à LIEUPANGO, ſub qua Sina quos *Cina* familia graviſſime oppreſſerat, reſpirare cœperunt & Reges iterum emerſerunt, à quibus *Lieupangus* in publicis comitiis Imperator coronatus fuit. Sub IV. Imperatore *Venivo*, regio *Nanive* quæ *Quantung* & *Quangſi* provincias complectitur, in leges ac mores Sinarum tranſiit & ſub eodem papyrus inventa. Sub VI. *Hiaovuo* extincta fere litera-

rum

rum studia revixêre ac libri qui immanem illam familiæ Cinæ cladem evaserant, undique conquisiti & ex latebris in lucem producti fuerunt, imprimis Pentateuchus *Confutii* & *Mendii* scripta. Idem felicissimus Imperator non modò *Tartaros* longe lateque extra murum, verum etiam *Indiam* ad Gangem & *Bengalam* usque domuit ac Sinico Imperio subjecit. Sub *Ngaio* Pingo id est pacifico altissima per *Sinam* & *Tartariam* pax fuit & eo anno CHRISTUS natus.

III. Anno post *Christum* natum *ducentesimo sexagesimo quarto* successit familia CYNA, quh usque ad A. Ch. CCCCXIX. imperavit, quo anno quinque Reges de regno certarunt dicti *Utai*, donec omnibus his extinctis A. Ch. IↃCXVIII. sola familia TANGA superstes mansit. Paulo post iterum emergentibus factionibus *Heutai* Imperium dilaceratum fuit usque ad A. Chr. IↃCCCCXXIII. quo familia SUNGA Imperium obtinuit usque ad A. Ch. CIↃCCLXXVIII. quo *Tartari* Sinam expugnarunt, quorum familia dicta IVENA imperavit usque ad A. CIↃCCCLXVIII. E, Tartaris expulsis, successit familia TAIMINGA, quæ imperavit usque ad A. CIↃIↃCXLIV. quo Tartari Orientales Sina potiti condiderunt familiam TAICINGAM. Ultimi Sinarum Imperatores ex familia *Taiminga* hi fuerunt A. 1573. *Vanlieus.* 1620. *Taichang.* 1620. *Thienki.* 1627. *Zungchini.*

chini. qui A. 1644. capta *Pequingo* filiam nubilem gladio transfixit & se de arbore *pruno* suspendit ac familiæ *Taiminga* luctuosum finem imposuit. Electi quidem aliqui post eum à Sinis Reges veluti A. 1644. *Hungquangus* à Tartaris sequenti anno captus & *Pekinga* strangulatus. Anno 1649. *Junglius.* Aliquot etiam latrones regium titulum assumserunt: sed omnes à Tartaris deleti & expulsi fuerunt. Nova tamen regna in insulis condiderunt præsertim in *Xenxan* ubi LXX. urbes magnificas struxerunt, de quo alibi.

Sinæ condiderunt regna *Japoniæ*, *Coreæ* & *Kara Kathay*.

Quanquam complures aliæ per *Indiam* Sinensium coloniæ referantur, veluti per insulas *Tandair*, Luzzon, quæ nunc Philippinæ dicuntur, *Linschoten* cap. 22. tres tamen præcipuæ in Annalibus illorum celebres sunt, *Iaponia*, *Corea* & *Kara Kathai.*

JAPONICA.

JAPONIA initio *Dairis*, nunc *Imperatoribus* paret.

I. JAPONIA, quam indigenæ *Nippon*, Venetus III. 2. *Zipangri* vocant, sub Imperatore *Xio* primos ex Sina colonos accepit. Quidam enim *navarchus* impetrata classe,

classe, coloniam Sinensium eo traduxit, & urbe condita *Regem* se fecit. A quo tempore *Iaponia* frequentari cœpit & *Iapones* à *Sinis* se originem trahere gloriantur. Aliam Sinensium coloniam post multa secula in Japonicas insulas traductam, Hugo *Linschoten* cap. XXVI. commemorat; qua fide, cum Annales Martinii prodierint, patebit. Tanta incrementa *Sinæ* in Japonicis insulis sumserunt, ut LIII. regna constituerent, quæ omnia uni Monarchæ parebant.

II. Antiquissimi Japoniæ *Monarchæ* DAIRI dicebantur, de quorum successione & rebus nihil nobis certi constat, Annalibus Japonensibus ex lingua Schain nondum in Europæam translatis. Imperatoris Japoniæ qui ante IↃ CCC. annos vixerit meminerunt Epistolæ selectæ apud *Maffeium* lib. IV. Alterius circa A. CIↃ CC XC. mentionem facit *Venetus* III. 2. 6. Japonii à Sinensibus fuerunt proscripti ne in Sinam mercaturæ causa frequentarent. Nobiliss. Fr. *Caron*. Duravit hoc Imperium *Dairorum* usque ad A. Chr. CIↃ IↃ LV. quo quidam exercituum Dux, nomine *Nabonunga* summam Monarchiam cæteris debellatis Regibus invasit ac *Dairis* nomen inane & voluptates reliquit. Sed circa A. CIↃ IↃ C. TAICOSAMMA à *Dairo* sponte se abdicante IMPERATOR totius Japoniæ declaratus fuit, cui ad nostra usque tempora successerunt *Fiderysamma*, *Ongoschio*,

Chion-

Chiongon. Quis nunc rerum ſtatus ſit, proxime innoteſcet.

COREANA.

COREA peninſulam Iſthmi forma conſtituit, cujus urbs regia *Kingki* vocatur. De illius regni origine ſupra in Sinenſium rebus memoratum fuit.

KARA KATAICA.

Kara Katai à *Turcis* Neſtorianis & *Tartaris* Mogolis occupatur.

I. KARA KATAI omnem illam Tartariæ partem quæ inter arenoſum deſertum *Xamo* & Sinicum murum jacet complectitur. In hanc regionem ſextus ex familia *Hana* Imperator *Hiaovus*, debellata majori parte Tartariæ, Coloniam Sinenſium deduxit & exſtructis urbibus, duos duces ibi Reges creavit. Atque hinc regio illa *Katai* & *Kara* Katai id eſt *Nigra* Kataia, ab exteris dicta fuit, quia ſex *Boreales* Sinarum provinciæ à Turcis, Tartaris & Saracenis *Catai* dicuntur.

II. *Cataini* igitur ſunt *Sinæ*, habitantes tam intra murum ſex illas Boreales provincias, quarum caput eſt *Peking* ſive *Cambalu*; quam extra murum in Tartaria illam regionem quæ *Kara* Katai dicitur. Atque hinc gravis ille exortus fuit error

Cataiam à Sina excludentium & peculiare Imperium præpotens ac opulentissimum facientium: quia nimirum esse aliquam extra Sinam Cataiam intellexerant, hinc quicquid de Cataia Sinica peregrinantes referebant, ipsi de regione extra Sinam intellexerunt. Sed nihil sane in illa *Nigra* Kataia occurrit, quod cum Sinicis illis sex provinciis Borealibus quæ *Kataia* sive Mogul *flava* dicuntur à Mogolis Tartaris qui eam tempore *Kublai* Chan expugnarunt (ita enim Russi hodieque Mogolorum regionem distinguunt secundum vestium colorem, qui Tartaris niger, Sinis flavus est) conferri possit: colonia tantum fuit militaris & regnum tributarium, quod postea à Tartaris destructum (nam hoc regnum *Kara* Chataiæ occupavit *Zingis* Chan A. cIɔ cc ix. teste Abul Pharajio,) ut hodie nulla ibi *Kataia* culta reperiatur, sed omnia sint Tartarica & ab urbibus deserta: soli Tartari *Tanyu, Niuche, Niulhan, Iupi*, cum plaustris & equis suis ibi vagantur ac omnia persultant.

Facfur à Tartaris *Sina* pellitur.

Ultimus Rex Sinensium, quem Tartari inde expulerunt A. cIɔ cc lxxvii. à M. P. *Veneto* vocatur *Facfur*, cujus magnificentiam describit ii. 53. usque ad finem libri. Est autem nomen illud *Facfur* generale, quod Saraceni omnibus Sinensium Regi-

Regibus tribuunt, ut ex *Arabsha* in vita Timuri patet. Alii *Tepin* vocant, ut Gonzales de *Mendoza*. Hic *Facfur* cum mille navibus & maximo comitatu fugit ad longinquas & inexpugnabiles quasdam insulas & in illis permansit. *Venetus* I I. 54. Quænam sint illæ, adhuc incertum est. In *Originibus* Americanis haud nullis conjecturis probavimus, talem classem Sinensium in ipsam *Mexicanam* & forte *Peruviam* pervenisse ibique indigenis permixtam, duo illa Imperia ad Sinensem formam plurimis in rebus, præcipue civitatum temporumque structura & legibus, supra captum Barbarorum Americæ, constituisse. Quæ Sinæ sub Tartaris conditio fuerit & quomodo iterum expulsi Tartari, supra memoratum fuit.

OCCIDENTALIS.

Occidentalis res *America* complectitur.

I. ANno cIↃ cccc xcII. à Christophoro Columbo auspiciis *Ferdinandi* Aragoniæ & *Isabellæ* Castiliæ Regum spernente ob avaritiam *Henrico* VII. Rege Angliæ, novus orbus detectus fuit, quem ab Americo Vespatio *Americam*, & respectu situs *Indiam* Occidentalem nominamus. Et quoniam de antiquis illarum gentium quæ numero ac multitudine sua tres reliquas orbis partes, *Asiam*, *Africam*, *Europam* vel superarunt vel æquarunt, paucissima ad nostram pervenerunt notitiam; ideo de moribus illorum, quæ optimi tradiderunt Scriptores, narratione, hiatum illum temporum & rerum implebimus.

II. *Incolæ* in universum imberbes, colore, si Parios excipias, buxeo; Capillitio atro & promisso: pauci *nigri*: pauciores *calvi*. Ex tot gentibus nullos *rutilam* comam, & quatuor tantum nationes *barbam* alere, deprehensum fuit. Velocitas pernix & feris par; Natatores tam expediti, ut in undis genitos credere possis. Salubri corpore; plerosque senectus dissolvit. Ebrietati, mendaciis, saltationibus, ultra modum dediti. Nec tamen viri & fœminæ mixtim saltabant; sed uterque sexus separatim.

III. Ve-

III. *Vestitus* simplex, ferarum pellis; interula ex gossypio, vel alia materia. Præcipuus ex plumis ornatus & picturatum esse: Arma omnibus sagittæ, exceptis tantum, qui in Panamensi Isthmo & Insula *Tararequi*: immanes ex ligno clavæ & enses; cumque ferro rarius uterentur, *ossibus*, *ære* & acuto *silice* arma præpilabant: unde & cultri aliaque ad sectionem instrumenta.

IV. *Mores* ut barbaris, hostem cædere, implacabilem esse; ulcisci manes suorum summa felicitas, nec aliunde major honos. Hinc æterna inter infestos bella & segreges suspectæque gentes, innumeris linguis divisæ; prævalida quoque & adulta vitia. Nec in tanta barbarie egregiis virtutibus destituuntur. *Opes* & quibus impotens hominum libido pretium fecit, *contemnere*; nec de superfluis sollicitum esse: in adversis patientia: inter prosperos successus, non insolens & sui immemor animus, amare suos & hospitales esse. Ita viventes, sui post fata desiderium relinquunt. Quod superstites testantur; pretiosissima quæque defuncti, non avaris hæreditatibus rapientes; sed requietorio novis accumulata donis inferentes. Mercatura *simplex* & absque *fraude*, rerum permutatione constat. Auri, argenti, plumbi, cupri, orichalci non expertes, *ferrum* & *argentum* vivum ignorabant. Nec moneta, ex auro vel argento ulla. Potus ex frugibus

bus in quandam similitudinem vini corruptus. *Uxores* singulis complures, una cæteris præfertur. Sunt tamen gentes quæ unam tantum ducunt, exceptis paucis, quæ non libidine sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur. *Ignem* duorum lignorum mutuo attritu omnes accendunt. Apud *Mexicanos* & *Peruanos* picturæ, & illis quoque Scriptura quædam, his filamenta, reliquis unum memoriæ & annalium genus, antiqua *Carmina* sunt. Dii varia & ut plurimum horrenda specie, diversis præfecti rebus & officiis; & ad austrum vix multa hominum cæde placabiles. Divinorum & Magorum ingens ubique numerus. Iidemque Sacerdotes simul & Medici curam morborum *suctione*, *incantamentis* & *simplicibus* administrantes. Communis apud omnes sententia: *diverso itinere post obitum malos à bonis loca tetra, inculta, fœda atque formidolosa habitare.*

V. Tam innumeræ gentes *tribus* omnino ordinibus distinguuntur. Quidam ut *Chichimecæ, Pileosones, Cheriguanes*, neque moribus neque lege aut imperio cujusquam reguntur; asperi incultique per montes & avia vagi colunt ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. *Cibus* caro ferina atque humi pabulum, uti pecoribus. Et hi quidem, liberi ac soluti, feris propiora quam hominibus imperia gerunt. Aliis jam species *Reipublicæ* est,

qui societatem inter se colunt, Duces suos, leges, jus, fas, religionem habent. His etiam *regna* sunt, quæ plerumque intra suam cuique patriam terminantur. Et horum longe maxima pars per Novam *Franciam*, *Belgium*, *Floridam*, totumque Australem continentem, ubi *Chilenses* eminent. *Tertium* genus eorum est, qui jam vere regnantur, opibus & imperio graves, cultu, legibus, religione superbi; quales in utraque parte *Mexicani* & *Peruani* fuerunt. *Tres* etiam linguæ quarum latissimus usus, *Mexicana*, *Peruana* & *Guarajana*, quas qui tenet, ille per universam Americam poterit intelligi. His adde alias duas pluribus communes, *Chanoensem* & *Gorgotoquanam*, sed *Guarajana* omnium latissime patet.

VI. Mores *Scythici* per omnem Americam; plures uni viro *uxores*, hostes *comedere*, cæsorum *capita* prælongis contis infigere, *pingi*, navigia ipsorum *nervis* atque *viminibus* contexta. *Magiæ* peritissimi. In medio cursu navem sistere, quicquid toto orbe geritur *scire*, ventos se venales habere profitentur, venando ætatem transigere, crebro sedes Nomadum ritu mutare, & si quæ alia Scythis adscribunt. Suilla & prisci *Scythæ* abstinuerunt, & hodierni *Tartari* abstinent. De illis Herodotus in Melpomene: ὕας δὲ οὔτοι οὐδὲν νομίζουσι. De his *Rubruquis*. Idque illis etiam qui in nova *Anglia* habitant, Indis receptum. Nam & aliæ gentes suilla abhorre-

horrebant ut *Ægyptii*, Herod. IV. *Arabes*, Ælian. X. 17. *Scoti* hodierni, ut alios omittam. De *Quiviris* qui omnium Americanorum proximi Tataris, tradunt eos sequi in moribus suis & pastura armentorum Scythas *Nomadas* sive *Hordenses* Tataros. De *Quiviranis* supra *Californiam* Hispani observant: *Nomadum more agere & loca sæpe mutare prout armentorum pastura invitat*. Nec putandum quibusdam tantum Scytharum gentibus hæc recepta fuisse; cui errori *Solinus* & *Marcellinus* favent: cum *Herodotus*, quod ille solis *Gelonis*, omnibus tribuat: & *Virgilio* non *Agathyrsi* modo, verum & Geloni pingantur. Quemadmodum etiam *Pictos* Caledonios, *Scythas* Beda vocat. Vix ulla gens Americæ non picturata, si *Mexicanos* excipias. Et modus pingendi utrobique idem. In *Cangigu* viri & mulieres faciem totumque corpus pingebant imaginibus *Leonum*, *Draconum*, *Avium*, quæ aboleri non poterant. Quo quis plures imagines habebat, eo pulchrior videbatur. *Venetus* lib. II. cap. 46. Idem *Agathyrsis* (Marcell. 31.) & per *Virginiam Floridamque* receptum. Ita mores illi Scythici ab extrema *Quivira*, adusque *Magellanicas* fauces pervaserunt; ut & illud: summam *gloriam* ex hostium cædibus quærere, quod ab *Huronibus* usque ad *Magellanicos* receptum. Nam & apud Scythas ille homo honoratissimus, qui plurimos occiderat, & ille beatus judica-

tus qui in prælio animam profuderat. Præcidere hostium capita, eaque prælongis contis infixa circumferre, olim Scytharum, hodie Turcarum & Tartarorum est. Quæ in ejusmodi pertica ædium cacumen superante, præfixa fuerunt à Tauris. Quod etiam *Popajonos* fecisse testatur *Acosta* libro de procuranda Indorum salute. Dici vix potest quam crudeliter captivos hostes excarnificent *Hurones* & *Iroquosii.* Nec quisquam Sagardum eâ de re scribentem absque horrore leget. Ubi & hoc commemorat; captivis cutem qua cranium tegit, una cum capillis detractam. Quod *Floridanis*, quorum magna cum Huronibus convenientia deprehenditur, & vicinis nationibus receptum. Omnes particulam hujus cutis secum gestare, pulchrum arbitrantur. Hoc à Scythis profectum *Herodotus* docet lib. IV. cujus verba exacte nobis repræsentant *Floridanum* & *Huronensem* Scytham, cæsi hostis caput ita secantem, ut cum pilis ipsam cutem auferat. Scythæ maximi potatores. Unde apud Græcos Proverbium: *Scythico more bibere*, cujus *Herodotus* IV. meminit. Idem vitium toti Americæ. Et quatuor vetustissimæ gentes partim à *Phœnicibus*, partim *Scythis* ortæ, quod nomina ostendunt, *Mazateza*, *Otomies*, *Pinoles*, *Chichimeca*, singuli singulas uxores habent: sicut de Massagetis *Herod.* & *Strab.* testantur.

VII. De quo is demum dubitabit, cui

Prover-

Proverbium Græcorum : *Σκυθιστὶ χειρόμακτρον*, inauditum eſt. Quemadmodum enim Hurones & Floridani ; ſic etiam Scythæ *pellem* ex hoſtium capitibus una cum pilis detraxerunt & indę *mantilia* fecerunt. Vagi *Canadenſes* (nam cæteris id non in more) ægrotos, de quorum vita deſperatur, magno ſe beneficio putant afficere, ſi compendio ad mortem ducant. Ne parentes quidem excipiunt. Spiritum ægre trahentes, ſua manu conficiunt. Is laborum & errorum finis. Quod Scytharum, imprimis *Meſſagetarum* proprium. De *Maſſagetis* Strabo XI. *Senes in fruſta cædunt & cum ovillis carnibus edunt.* De Derbicibus. *Senes ſeptuagenarios jugulant & comedunt... Anus autem ſtrangulant, dein ſepeliunt: Eos qui circa* LXX. *annum obeunt, non comedunt, ſed ſepeliunt.* Sic in terra *Firma* moribundi in patentes campos delati, ut avium & beſtiarum pabulum eſſent. Quem mortem in *Parthis*, Scythica gente, antiquitas tantopere abominata fuit. A quibus ad *Perſas* & *Caſpios* ac *Hyrcanos* manavit. Idem *Tebetenſibus* in Cataia receptum. Unde in Americam cum Scythis migravit. Immanis mos *mortuos* epulari. Quod præter *Hibernos* atque *Scotos*, Iſſedones Tataros feciſſe legimus. Quos in America ſecuti qui *Venezuelam* habitant. Ubi Principum carnem conſciſſam potui immiſcebant & bibebant. De *Cheribuanis* qui populus Peruviæ trans *Antes* imma-

V 3 niſſimus,

nissimus, Inca Garcilasso: *Edebant carnem humanam, bibebant sanguinem. Edebant quoque cognatos suos defunctos ac comestorum ossa composita sepeliebant. Ne à sororibus quidem, matribus aut filiis abstinebatur. Hunc morem eos Incæ dedocuerunt.* Et inter *Arwaccos* atque Tataros etiam in eo summa convenientia, quod utrique mortuos suos *comburunt*; & *cineres* pro condimento *cibis* inspergunt. Sed nec hoc prætereundum est, longe majorem *Americanorum* quam *Scytharum* barbariem fuisse. Quidam *carne* humana indiscriminatim vescebantur, ut *Canibales*; alii solis hostibus ut *Popaiani* & *Mexicani*. Summus omnis immanitatis gradus hic fuit. In valle *Nova* quæ *Popaianam* adsita est, capiunt hostium suorum fæminas & prolis causa domi alunt, quam vix editam devorant. In valle *Guaca* propinquis suos captivos dispensant & prolem devorant. Hæc jam exempla omnem barbariem exhauserunt. Tamen restant alii juxta *Ilheos* in Brasilia, quos tum describam ubi supra immanitatem vox reperta fuerit. Hi cum *Aymuris* bellum gerunt. Prægnantium *ventres* aperiunt, ac immaturos fœtus extractos, statim spectantibus parentibus *semicrudos* & *semivivos* deglutiunt.

VIII. Hæc in commune de omnium Americanorum terris, moribus, origine accepimus: nunc *singularum* gentium instituta, ritusque, qua differunt, & paucis,

expedienda sunt. Initium, unde Terris, à *Cronia* erit: cujus incolæ corpulenti, promisso capillitio, quod à fronte resecant. *Fœmina* comas duobus nodis anterius in tempora substringunt, & posticam partem tertio nodo alligant. Quædam siculis cuticulam oris deradunt, & sulcos in eo factos cyaneo pulvere oblinunt. Ubi *appetitus* deest, herbas quasdam deglutiunt. Magna in frigidis terris *aquæ* penuria, contra sitim *glaciem* frequenter sugere cogit. *Domus* balænarum ossibus firmatæ & constratæ pellibus ad altitudinem hominis. Non alius labor quam *venari*, *piscare*, *aves* configere. *Cymbas* ex ligneis circulis arcte compactas secum circumgestant, septendecim hominum capaces. *Vestes* ex pellibus. Victu parabili, semicruda fera satiant famem, & interdum cum *sanguine* elixa fœdo spectaculo edunt. Sine cultu, sine religione, vastas terras non implent sed tenent. Sitne una continens cum *Estotilandia* nondum aperuit navigatio. Fabulose multa à *Zenonibus* de ingenio & urbibus incolarum tradita sunt; ideo prætermittuntur. *Canadenses* plerumque rident. Timidi & in ultione crudeles, *dentibus* ad miraculum candidis; nec propria singuli nomina habent. Animæ sedem caput esse dicunt. Sermo iis tardus, crebro hæsitans ac abruptus. Puellæ festinantur, & iis à decimo quarto anno vaga libido; nuptæ septa pudicitia agunt. Si

quæ ſterilis, repudio dimittitur. Nec nuptiæ inter matres, filios, fratres, ſorores, patrueles, licitæ. A Septembri ad Octobrem *anguillas* capiunt, & in hiemis ſubſidium ſiccant; iis conſumtis *feræ* præda ſunt. Quamprimum infans editus in lucem, *aures* ei perforant. Apud *Hochelagienſes* Eſurgni in pretio, quod ſic acquirunt. Diſſecta *reorum* cadavera in flumen projiciunt: & relicta in aquis per 12. horas extrahentes in ſectionibus *Eſurgni* inveniunt, ex quo monilia fiunt. *Almuchioquoes anteriores* capillos abradunt, *poſticos* alunt & pennis ornant. Lingua ipſis diverſa à cæteris. Colunt agros.

IX. Nec liberi ſuccedunt in bona parentum: ſed ex ſororibus nati. Fœminas dum morbo laborant, ſegreges habent, & ne cibum quidem cum iis capere licitum: quicquid tetigit impurum habetur. In hoſtes immanis crudelitas: per mille cruciatus, lentis tormentis, ſpiritus expellitur, ut ſentiant ſe mori. Senes & infirmos, dum alio migrant, ad ſpontaneam mortem adigunt. Cutem cranii cum capillis avulſam ſiccant in victoriæ monumentum. Religio varia. Nonnullis *Cudoagoni* DEUS, & poſt obitum credunt ſe ad *Stellas* & Amœnos campos migrare, ubi æterna gaudia ſint. At ſceleſtorum animas ab ave grandi in frigida regna deportari ac torqueri. *Souriquoſiis* unus ſummus DEUS à quo omnia, unus *Filius*, unus

nus *Sol*, qui boni, una *mater*, quæ mala. *Homines* ex ſagittis à Deo in terrâm miſſis natos: & inde mutatos in *lapides* vel *arbores* communis fama. *Huronibus* OKI *Dæmon*, Joſcaha, mundi *conditor*: cæteris ille quidem *Manitto*, hæc *Ataouacan*: Ejus avia *Acatuſig*. Cibò, potu, veſtibus egere defunctorum animas putant. Unde in eas proni: quicquid opum elargiuntur ſui immemores, & ſingulis ſexenniis magnas exequias ſimul inſtaurantes, nuda carne, oſſa, novis pellibus involvunt. Nec male cum mortuis actum: quos & immortales apud *Ioſcaham* & ejus matrem, in via *lactea* degere & *reſurrecturos* tandem arbitrantur. Gens priſcæ ſimplicitatis: terram *rotundam* eſſe & ſingulis diebus à ſole circumiri capere nequit. Igitur ipſis *Sol* in occidente per noctem abſconditur miro ſtupore. *Canum* quoque ſuperſtes animus ad ſidera transfertur. Aliis magnus DEUS *Kautantowit* colitur, quem in auſtro degere; ibi majores ſuos eſſe; eo poſt mortem ſe quoque venturos putant; ab eo creatos primum ex *lapide*, & iis confractis, ex *limo* homines credunt. *Reſurrectionis* incapaces, quam nullis argumentis perſuaderi poſſunt. Celebrant quoque antiquis carminibus quendam *Wetuckum*, à quo magna volunt edita fuiſſe miracula. Qua fluvius *Canada* mare ſubit, inſula Siciliæ ſimillima, ingentibus ſpatiis diffunditur. *Duplex* in ea populus diverſæ ori-

 ginis:

ginis: *Majoribus Minoribusque* nomen eſt ex modo virium. Unus & *Minor*, oculis *magnis*, lata *facie*, capillis *effuſis* in tergum, corpore & veſtibus *ruber*, officioſus: Alter & *Major* grandis, *facie* notis aduſta, *capillitio* in vertice religato. In *Xamunambu* comam ſcindunt duobus tantum ad tempora cirris relictis, quos ſub mentum alligant. Regum domos pro templis venerantur: in quibus duo Idola *Mas* & *Fæmina*, quæ *Inamahari* vocant. Ea bis quoto anno circumgeſtantur, ſementis & meſſis tempore. Dies eſt *alius* feſtus, quo ligneam ſemirudem ſtatuam in campo ſuper celſa trabe conſtituunt & muneribus ornant. Inde ſi ad mare colunt, *mari*: ſi ad flumina, *flumine* mergunt: & ſingulis annis novam conficiunt. *Tertio* feſto veteris cujuſdam cadaveris oſſa refodiunt & dona offerunt. Sacerdos quidam demortui laudibus pleraque, de immortalitate mox animæ plura, demum quo tendant dicit. Ad gelidas *arctos* & concretas æternis nivibus regiones *primum* ajunt illas proficiſci expiarique apud Regem *terrarum* Dominum, nomine *Mateczungua*, dein ad *auſtrales* plagas divertere: ubi à Principe *Queruga* Claudo innumeris deliciis excepti, inter ſuorum majorum & cognatorum amplexus *rejuveneſcant*. Putant etiam vivere homines ſuper *rota* cœlorum. Credunt quoque in *mari*, ſub *terris* & in *cœlo* numina eſſe. Et Principe morien-

moriente ipsius animam *ignea* specie ad cœlos volare, Sacerdotibus flammæ quasdam imagines & scintillas spargentibus, credunt. Annus ipsis in duodecim *Lunas* divisus. Soli *Reges* supra alios pro *Statura* eminent, arte naturam juvante, id quod aliis facere capitale.

X. *Chicorenses* & *Gualdapani* cervos domi cicures alunt, & ex lacte caseos premunt. *Vidua* nubere non potest, si sua morte maritus obiit, si propter scelus vel in bello cæsus, licet. *Regem* adituri, nares ejus tangunt & fricant: tum à fronte ad cervices molliter promotis manibus expectant à Rege favoris signum. Qui si non segnis, caput in sinistrum humerum flectat aperto gratiæ signo salutantem complexus videtur.

XI. *Virginiani semitonsi*, capillitio nigro, quod viri ad alterum tantum, fœminæ ad utrumque latus dependulum habent: auribus perforatis: in foraminibus serpentes colla & humeros lambentes: alii mortuos sorices, & manum hostis siccatam in capite, non minima pulchritudinis opinione, ferunt. Ab his *plumarum* in capite ornatus incipit & ad *Magellanicum* fretum extenditur. Infantes gelida indurant. Annus in quinque partes divisus. Pars, prout vitæ merita, sic animas, vel gaudia, vel ignem æternum, in abysso *Popogusso* manere credunt. Prima ibi regnorum, quanquam exigua species, non jam intra

pagos & *familias* concluso Imperio sed in plures extento, *Chichahamaniani* à Sacerdotibus gubernantur & collegio Seniorum. *Coicgocomoca* exigua statura. Grandes *Sasque Sahanoca*, à lingua & vestitu miri. Quidam caput lupi collo pro monili gerunt. *Tubi*, per quos fumum Tabaci attrahunt, tam ingentes, ut pro clavis esse possint. Principes *Virginiæ* extremas comas sub *aurem* colligant, summum verticem à fronte ad *occiput*, cristæ gallinaceæ in morem tondent, oblongam volucris plumam ad cristæ supra frontem initium ponentes, & ad singula latera pone aures breviorem. *Præstigiatores* totum caput radunt excepta crista. *Torquem* collo & armillas ex unionibus vel globulis æreis manibus gestant. *Matronæ* Secotenses parvis oculis, naso plano & lato, brevi fronte, amplo ore, in publico manibus decussatim pendulis: anteriores capilli resecti, reliqui satis breves & rari, corolla capiti imposita. *Roanokanis* collo in pectus ærea tabula quadrata pendet. Cibum capientes ad stoream ex scirpis humi stratam adsident. Festa & triumphos suos noctu celebrant ad ignes structos, manu crepitacula tenentes, inter patria carmina. Oppida in orbem palis cincta. Totius Provinciæ incolæ magna ex parte notam in dorso expressam habent, qua dignoscuntur, cujus Principis subditi sint. Cadaver *Coeroanci* exenterant: deinde pelle detracta,

quic-

quicquid carnium, ossibus tenus auferunt: *ossa* siccant ligamentis adhuc cohærentibus & expansa cute inducunt: sicque in monumentis ordine collocant. Proxime sequuntur quos uno nomine *Floridanos* dicimus. Nuda omnibus corpora in molliori cœlo, nisi quod naturam pelle tegunt, in pedibus & manibus ungues viris pariter ac fœminis longi, victus communis, simul seritur, simul metunt: fruges publico horreo, sub Regis custodia clausæ: sic repletis cellis tutus annus. Primogenitus masculus Regis in trunco clava cæsus sacrificatur. *Auri* & *Argenti* gens tam rudis, ut ejecta naufragio vasa, opibus neglectis, sola ceperint. Assidua genti cum *Crocodilis* bella, contra quos non secus ac in apertos hostes, perpetuæ aguntur excubiæ. Ubi appropinquare, & noctu id fieri solet, bestia ingens, nodosus stipes in ejus fauces, jam prædam spirantes, complurium lacertis torquetur. Ita nequicquam reluctantem facile conficiunt. Balænas obthuratis ejus naribus palo acutissimo mira audacia capiunt. Potus *Cassine* calida. Cursu, jaculatione, venationibus omnis ætas teritur: & mulieres tam perite natant ut ex aquis genitas putes. Sic instituere majores, posteri imitantur. Hi lusus infantium, hæc juvenum æmulatio, perseverant senes: Cervos venantur mira fraude: corpori suo maximi cervi pellem aptantes, ut iis permixti quos volunt con-

figere

figere possint. *Ægroti* suctionibus Medicorum curantur. Hiemem in abditis silvis inter arbores & juxta focum & ad ignem agunt. Regibus plures uxores sunt: *una* tamen regina, cjus liberi patrio regno nascuntur. Quicquid publicæ rei suscipitur, multa deliberatio præcedit. Prout quisque prudentior mane regem adeunt, salutant, uno elata manu clamante *Ha Ha*! Si quid gravius, Sacerdotes quoque vocantur & ex populo Seniores. Hinc *Cassine* bibitur: ut ad magnas cogitationes pateat animus & potu incalescat. Bellum denunciaturi sagittas, quarum summitati capillorum flocci appensi, in publicas vias figunt. Bella non aperto Marte geruntur: insidias ponere hosti & incautos obruere, id demum vera fortitudo. Rex clava insignis agmen præit: sequuntur ad bellum delecti: nec hostibus aliud quam internecionem minax ille vultus pollicetur. Viri omnes trucidantur, imbellis sexus cladis expers. Cæsis cutim cranii cum capillis detrahunt & siccant, ut & brachia & crura amputant & domi siccant. Nunquam pugna excedunt quin prius cæsorum anum usque ad summa sagitta trajiciant. Rex in bellum iturus subditos accersit: eum in orbem cingunt considentes. Ad Regis sinistrum latus pyra accensa, ad dextram duo magna vasa aqua repleta. Rex velut ira furibundus submurmurans, & oculos torquens, subinde horrendum inclamat. Respon-

ſpondent milites armorum ſtrepitu & coxas ferientes. Inde accepto ligneo vaſe ad Solem converſus victoriam poſcit. Tum ſparſa in aërem aqua precatur: ut quemadmodum hæc aqua, ita ſanguis hoſtium fundatur. Effuſa in ignem alterius vaſis aqua: ſic *inquit*, extinguantur omnes hoſtes veſtri & capita ipſorum referatis. In exercitu Rex in medio, ad agminis alas: adoleſcentes curſores celerrimi qui hoſtium res præſpeculantur.

XII. Non alius genti notior Deus quam Sol: cui poſt victoriam reduces hoſtium capita cruenta & capillos inter triduana hilaria, velut authori ſucceſſus oſtentant. Reges mortui magna pompa conduntur. Sepulchro poculum ex quo bibere ſolitus imponitur: circum inane corpus infixæ ſtant ſagittæ. Superſtites viri fœminæque capillos decurtant: nec aliud majus doloris argumentum. Quicquid Regis una cum ejus domo comburitur. Idem fere mos ſepeliendi apud alios, Sepulcro inſternitur pallium quo uſus; & menſa in qua edit. Nonnunquam ex bonis ei quædam in ſepulcrum conjiciunt & domos ſuas comburunt in memoriam defunctorum. Fœminæ capillos ſub auribus præſecant & per ſepulcra maritorum diſpergunt, armis & conchis ex quibus bibere ſoliti, ibidem abjectis. *Avanares* callidiſſimi ſunt & in bellis ſtratagemate graſſantes, nocturniſque & ſubitis incurſibus

ſibus hoſtes etiam longe diſſitos adoriuntur. Idolum *Kiwaſa* ligneo trunco, capite in Floridanum morem, facies colore carneo, pectus albo, reliquum corpus nigro; crura picturis albis variegata. Nunquam ſupra tria Idola in uno templo. Incolæ grandes, obeſi, ora varie picti. Genas lacerare & ſanguinem mittere ſummus honor. Regi ſceptrum & duæ ex plumis coronæ de oſſea pendentes catena. Jamanes ſive *Patarabueyes* Deum à quo omnia ſint, *Apalito* vocant. Domus ex lapide commodo ordine diſpoſitæ. Hactenus in Orientem *Americam* novimus. Ad occidentem primi in ſeptentrione populi *Quiviram* tenent: ſupra quid ſit fama nondum vulgatis, nec inquirere audentia defuit: ſed obſtitit Oceanus in ſe ſimul & terras inquiri pertinax. Caſæ ex palis ſuperne coeuntibus luto obductæ. *Tauri* veſtem, cibum, tecta ſuppeditant. Ad vecturam pro jumentis *canes* robuſti adhibentur. Ipſa regio melior quam ulla Europæ. *Cinawenſes* nondum plene cogniti. Nam qui de auri apud eos copia & templis primi retulerunt, ejus valde cupidos fuiſſe oportet. Animal apud eos ingens cornu in fronte ad pectus incurvo. Credunt ſummum Deum & Creatorem, ſed ſine cura rerum humanarum: ejus libero arbitrio cuncta fieri. Mortuos comburunt vel in foſſam Ioc. pedes altam projiciunt. Solem ſed abſque ſacrificiis colere viſi ſunt.

XIII. *Cibola* fere ſub horrido cœlo, fluminibus modico flexu in auſtrinum, mox in ſeptentrionalem Oceanum labentibus, ſupra barbariem culta. Domus ex lapide *quatuor* contignationum, in agro *cœnaculum* quatuor columnis ſuperbe impoſitum: *hypocauſta* contra frigus. *Calcei*, ocreæ, ſcuta ex optimo corio: veſtes ex pellibus & goſſypio. *Molendi* ratio communis. Placentæ optimæ. Ipſa gens ingenioſa, lingua, armis, moribus oſtendit à ſe quondam *Mexicanos* profectos. Populorum complura nomina: *Tignes*, *Quires*, *Cunami*, *Hubates*, *Tami*, *Conchi*, *Paſſaguates*, *Toboſi*, *Aztlani*, Mexicanorum parentes. Adjacent inſulæ & una ingens *California*: quarum iidem qui continentis incolæ. *Nuda* omnibus membra, nares perforatæ: anterius raſi. *Caput* galea ex cervina pelle plumis ornata munitur. *Fœminæ* pudenda ante & retro tectæ. Deos habeant nec ne incompertum adhuc: Solem adoraſſe viſi. *Chiametlis* formoſæ fœminæ. Sequuntur in eodem latere *Chiameth*, *Culhuacani*, & alii. Calcei ex pelle cervina. *Primi* hominum in ſeptentrione *eſtores*: inde fœdus mos per omnem Americam. Ejuſdem in univerſum generis, qui fluvios *Iaquimi* & *Petatlan* accolunt: niſi quod laborioſi & fortes in bello, non ut cæteri, fremunt, ſed taciturni ſunt: *Culhuacani* damnata libidine infames, quod ex picturis quæ paſſim in ædibus repertæ,

fuit

fuit cognitum. *Cinawies* pagos habitant quorum singulis 300. circiter incolæ sunt: fœminis ora ferro adusta, viris incisa & picturata. Solem, sed absque ritibus, absque sacrificio, colere sueti. *Uxitipanis* fœda ebrietas, immensa cupiditas potus. Potu se obruunt, distendunt & farciunt, quod per superius nequibat, id per inferius guttur siphonibus adigunt. Sic infra bestias abjecti immania perpetrant. Crebræ ut inter ebrios rixæ, conviciis, cæde & vulneribus transfiguntur. *Templa* ex cespite excelsa, cætera Mexicanis similes; nisi quod lingua discrepant.

XIV. *Xaliscanorum* opes lapilli virides, cochlearum domunculæ quibus crura, collum, lacertos, velut monilibus, ornant. Ingenio non incapaci: sed in pigritiem soluto, contemptores opum, nec minus manu promti crebro hostes lacessunt. Mira diversitate naturæ, cum iidem homines sic ament inertiam & oderint quietem. Gentes ipsorum *Cazcanes*, *Guachichiles*, *Guamares*, quorum & *Atzlan* lingua brevis & difficilis. Contemni se impatientissime ferunt: at strenui si putentur & bellicosi tum vero sibi eximie placent. Labore fessis vel nocte deprehensis humus sufficit: contectos nivibus vel imbre diffluentes, prius saties quietis quam cœli & aëris injuriæ excitant. Non arma in bello sed baculos gerunt quibus acies regitur. Proxima *Culvacan* quondam Mexi-

Mexicanorum *Chichimecæ* in ſpeluncis & ſilvis diſperſi, ne ſe quidem inter colebant ſocietatem. Religio nulla niſi quod feram primo captam, Soli immolarent. *Otomies* abjecti & rudes, nec minus laborioſi. Difficilis genti lingua. *Panucavi* cæteris feriores & in omnia proni ſcelera. Turpe viris ante quadrageſimum ætatis annum fœminæ notitiam habuiſſe. Auribus & naribus perforati, dentes *lima* acuebant patrio ritu, hodieque ſerpentes colunt ac innoxias domi alunt pariter & comedunt Deos ſuos.

XV. Nunc de *Navatlacis* dicendum eſt: quorum non una gens: majorem enim Novæ Hiſpaniæ partem obtinent, propriis adhuc nominibus nationibusque diſtincti. *Navatlacæ* poſtea *Mexicani* in commune ab Imperio dicti, cultiores cæteris & Imperii capaces, omnes *ferè* ad aliquam, ut inter barbaros, humanitatem compoſiti, eloquentiam exercebant. Fuitque tam elegans & verbis copioſa Mechoacenſium lingua, ut *Latinæ* præferendam dicant. Itaque apud eos oppida, leges, Reſpublicæ, & agriculturæ ſtudium. *Floribus* vehementer etiam in publicis ſolennitatibus delectati: unde priſcas ſtatuas videre licet manu *Flores* geſtantes ad ornatum. Auriculas uterque ſexus perforat & gemmis ornat: Viri quoque inferius labium in quo auream laminam geſtant. Ubi vero ad lacum in molliori cœlo conſederunt,

runt, multum creverunt & artes & cultiores facti. *Annus* ipsis Lunaris: *Octodecim* mensium; dierum CCCLX. Itaque mensis quam *Lunam* sive *Tonam* dicunt, viginti dies complectebatur. Qui supererant *quinque* dies, otio & voluptatibus transacti: nihil iis publice vel privatim actum. *Quatuor* anni partes, & initium ejus à *sexto* & *vigesimo* nostratis Februarii. Quæ nobis *Septimana*, id ipsis tempus dierum *tredecim*: & major periodus totidem annorum. Ita ex quatuor septimanis *rota* conflata; quod *quinquaginta* & *duum* annorum seculum. Cœlos *novem* esse existimatum. *Ultimam* noctem Rotæ suæ, putantes mundum periturum, pervigilem ducebant, omnia *vasa* confringebant, omnia *lumina* extinguebant; incerti an *Sol* denuo oriturus esset. Eo conspecto novam inter magnam lætitiam & religiose auspicati sunt *rotam*. *Ædes* ex *lapide* omnes & *marmore*; non ad necessitatem tantum, sed splendorem. *Miranda* variarum artium *opera* ex *auro*, *argento*, *plumis*. Nullum animal, nulla figura, quam non ad vivum exprimerent. In qua re *omnes* totius mundi *nationes* superasse videntur. Imprimis quod *plumatilia* attinet: quarum conglutinatione artificiosissima, ipsam naturam æquabant, præsertim *Mechoacani*. Scaccorum quoque ludus ipsis cognitus. Ex animalibus edebant, sed imprimis saginatos catellos. In lucubrationibus candelarum

larum loco *pineas* medullas urere soliti. Plebs una uxore & storeis in pavimento contenta, *procerum* quisque plures ducebat & *lectis* hi *soli* utebantur.

XVI. *Pondus* ignotum: *mensura*, numerus, ut nobis. *Pecunia* Cacao & iis ædiles præfecti. Honorem exhibituri, terram dextra tangunt & osculantur. Titulis omnes accurate distincti, & eorum observantissimi. Qui tenuiore sorte *Magnates*, capite in terram prono, genu flexo, tremula voce alloquebantur. *Senatores* quibus corpus annis infirmum; animus sapientiæ validus erat, fere *decem* aut *duodecim*, & *præter eos* Reges penes quos Imperium non nisi ex *electione* & circumscriptum *legibus* ac *procerum* voluntate. Unde multa indulgere, etiam nolentes cogebantur. Apud *Tenoxtitlanos* primo à *plebe* & *nobilibus*: deinde à solis *Electoribus* creati. Quorum *sex*, duo *Reges* tributarii *Tezcucoanus* & *Tacubanus*: quatuor *Mexicani*. Plerumque *juniores* adhuc lecti, ut rebus gerendis bello pares essent. Titulus *Rex Regum*, *cœli* ac *terrarum* dominus. *Electione* facta duum generum festa celebrata: quorum alia Regis *introductionem*, alia *coronationem* spectabant. *Introductio* multis sacrificiis ad Deum aras & Orationibus publicis ad Regem, celebrabatur. Inde *bellum* à Rege susceptum, ad captivos, quorum sanguine inter coronationem litarentur, ex hostilibus Provinciis adducendos.

cendos. *Corona* antrorſum ut *Epiſcopalis* intra : retrorſum depreſſior ut *Venetorum* Ducis. Eam Rex *Tezcuca* coronando imponebat : qui etiam unguento divino,quo & *Vitzliputzli* unctus eſt. Nonnulli Regum nares pertundebant : foramen Smaragdo , velut inſerta , ornabant ornatus ergo. Celebratis ſacris magnifice , *tributa* ex omnibus regni Provinciis novo Regi magna pompa in ſubjectionis ſignum allata ſunt. Tributa quicquid alimentorum & opum,*terra*,*mare* ſuppeditabant. *Aula* & *cultus* Regum majeſtatis plenus. *Veſtem* nullam ſecundo Rex induebat,nullis *vaſis* iterum utebatur. Itaque ſingulis diebus , novas, bis terve , ſumebat veſtes : illæ quas deponebat , aulicis , militibus aliiſve donatæ. *Regem* nemo vidit antequam *pranſum* vel *cœnatum* ex penetrali prodiret. *Menſa* ejus ſepto circundata , *dapes* tercentum juvenes *Palatini* afferunt , ſuppoſitis ne gelaſcant hyberno tempore , *prunariis* ; unus intra ſeptum menſæ imponit , *Rex* è ferculis manu ſua ſtantibus ad dextram *ſex* authoritatis primariæ *ſenibus* impertit. *Nudis* pedibus omnes ſtant. Pavimentum ſtoreis ſtratum. Si quenquam vocet , adit *corpore* demiſſo , *facie* in terram prona , genu flexo: neque *caput* elevat unquam , donec procul, *ſerptim* retro ceſſerit, *tergum* Regi obvertere *nefas*. Recto *vultu* intueri Regem *nemo* ſolet : dejectis oculis & *facie* in *lævam*

vam vel *dextram* verſa auſcultant. Humeris ſuorum & *ipſe* & *proceres* lectica geſtati. In *publico* cum ſuis Aulicis inter erectos utrinq; *Cancellos* ibat, *cæteris* excluſis.

XVII. *Domus* Regiæ varii generis: *gaudio, triſtitiæ*, publicis *negotiis* conſecratæ. Sunt in quibus *monſtroſi* homines, *nani, gibberes*, natura *cani*, *bicipites*, *unipedes*: ſunt in quibus *aquilæ*, *vultures*, *leones*, *tigres*, *lupi*, *vulpes* & ad voluptatem alia animalia concluduntur: ſi quod *animal* obiret in vivario, ejus *imaginem* auro, argento, gemmis pretioſe confectam aſſervabant. Cum ipſo Rege quatuor *Electi* Principes, conſiliorum adſtites: abſque horum authoritate *nihil* agebatur. Nomina ipſorum erant *Atlacohecalcatl*, *Tlacatecatl*, *Eſuamacatl*, *Tlillancalqui*. Soli jus vitæ necíſque habebant, & qui per totum regnum variis diſtincti ordinibus miniſtri Regii erant, his *quatuor* parere & omnium factorum *rationem* reddere tenebantur: ipſi quicquid ejus erat, regem certiorem fecerunt. Res novæ & quæ ſcire intererat citatis nuntiis & picturis expoſitæ.

XVIII. *Rege* mortuo, *unus* ex his *quatuor* electus. Accurate juventus educata. In quam rem *Scholæ* paſſim erectæ in Deûm templis; ubi à magiſtris erudiebantur in omnis generis virtutibus & exercitiis *Armorum*, *Muſica*, *Saltatione*. Imprimis viva *voce* priſcorum Rhetorum *Orationes* in regum coronatione & publicis

con-

consultationibus habitæ; & *Poëtarum* carmina docebant. Ita sine literis, memoria discentium, omnia conservabantur. Cibum parentes mittebant. Quo quisque magis inclinabat, id tractare permissum. Cui *sacra* placebant, is *sacerdotum* curæ traditus. *Eloquentiam* omnes qui in luce & Republica versari cogitabant, exercuerunt, unde copia disertissimorum virorum. *Carmina* trium generum obtinuerunt: quibus vel priscæ *historiæ* vel *superstitiones* vel *nugæ* & *Fescennina* decantabantur. Et in iis modulandis ac discendis assidui. Saltationes variæ; sed *Mitotes* imprimis. Hæ & præcipua festa sub ingenti illa *Tlacochavaiæ* arbore, antequam fulmine tacta fuisset, celebrata. Videre agmina licebat *funambulonum* & ejusmodi *Suaviludionum*. Et hæc pacis.

XIX. In *Bello*, arma, *gladii* ex *ligno* & acuto *silice*, lapides, clypei, sarissæ & clavæ. *Exercitus* in suos ordines & vexilla distributus. *Equitum* quinque genera. *Regii* quorum dux ipse Rex. Hi *capillos* rubro loro in vertice colligabant, pretiosis plumis ornatos, quarum aliquæ ad tergum dependulæ, tot notis distinguebantur, quot in bello facinora edidisset eques. Minoris dignitatis *Aquilini*, *Tigrium*, *Leonum* Equites. Cuncti dimidia sui parte armati, *Collobium* ex corio. Omnes in universum equites, ex auro, argento, gemmis, pretiosas vestes gestabant. *Pueri* quibus bella pla-

placebant, in castra victum militibus portantes ablegati, ut periculis & tolerantiæ paulatim adsuescerent. Solis gerere militibus calceos: solis in aula habitare licebat. *Plebs* vestitu vili, sine calceis, eo contemtus venit, ut cum antehac inferiora palatii habitaret & aulam frequentaret; sub ultimo Rege *Motesuma* exclusa fuerit. Interdem ipsi *Reges* hostili invicem animo ad duellum provocabant: quod armorum traditione & *unctione* emortuali factum. *Capi* in bello vivum projectissimæ conditionis. *Victi* gratiam petebant abjectis armis, & manibus in *crucis* formam compositis. Agri & regiones subactæ inter victores dividebantur: Rege maximam partem; inde, ut quisque meritus, capiente. Victoria reportata, exercitus magno *triumpho* à sacerdotibus exceptus, & Diis pro victoria gratiæ actæ. Interemti hostis caput apud multos pro trophæo domi asservatum. Sed nihil mirabilius, quam *libri* magno numero passim reperti. *Charta* ex interiore arboris cortice tenui, quam *phyliram* dicunt, bitumine tenaci ad usum compacta & scriptionem præparata. Folia in longum distenta, & in *quadratas* reducta partes non solutas, sed tenaci bitumine flexili adeo conjunctas, ut *ligneis* compacta *tabellis*, arguti compactoris manus videantur subiisse. Itaque *libri* ex perpetuis sed *introrsus* complicatis foliis compacti, *tigridis* tergore vel alia re muniti.

Quacunque pateat apertus liber, *duæ* ſe *facies* inſcriptæ oſtendunt, duæ *paginæ* apparent, totidem ſub illis latent niſi protendantur in longum. Sub *uno* namque folio *multa* conjuncta folia conſiſtunt. *Characteres*, non literæ, ſed figuræ, picturæ. Integras majorum orationes de verbo ad verbum his figuris ſcribebant, leges quoque, *ſacrificia*, *ceremonias*, *ritus*, *computationes* & *aſtronomicas* obſervationes ſeminandique rationes. Habebant etiam *Mappas* Geographicas, quarum una *longa* pedes 30. latitudine paulo minor, in quibus omnes *Provinciæ* Imperii & qui circum id *hoſtes* ac *vicini*, ſcriptæ erant una cum littore ductilibus. Nec ſcribebant ad *lineam*, ab uno latere ad aliud, more noſtro, contra quam Sinenſes, ab *imo* ad *ſummum* & ad eum modum agebant in calculo dierum, & aliis quæ notabant. In *rotulis* tamen ſuis aut *orbibus* vel *ſignis*, ordiebantur à *medio*; in quo pingebant ſolem, inde adſcendentes per annos uſque ad curvaturam rotæ. Jam operoſa religio & crudelis, quæ cum ipſis crevit imperiis, in qua tamen eo diligentiores quod honorem Diis exhibitum in Reges redundare putabant, qui Deûm imago eſſent. Tempora ſic pingebant. *Dies* circello ſignatus: *annus* domo, cuniculo, arundine, ignitabulo, *ſeculum* rota, cujus medium *Sol* tenebat. A ſole prodeuntes *quatuor* Diametri totam rotam quadripartiebantur: una quæque pars ſuis

ſuis *coloribus*, viridi, cæruleo, rubro & flavo diſtincta. Quælibet *pars* in 13. minores *partes diviſa*, quæ annos referebant. Suum cuilibet *menſi* & *anno ſignum*: & huc annales adſcripti in margine.

XX. Summum DEUM agnoſcebant, rerum omnium *creatorem*. Proximus ab eo *Sol*. Idola varia. Princeps *Vitziliputzli* ſive *Patilla* quæ fuit *ſtatua* ex *ligno* humanam formam referens. Erat & ex *marmore* ingens *coloſſus* hunc Deum repræſentans. Omnis ejus ornatus ſuam ſignificationem habebat. Huic velut ſocium pari poteſtate adjungebant Idolum *Tlaloc*. Pœnitentiæ & Remiſſioni peccatorum præfectus *Tezcatlipuca*: nec non ſiccitatis, famis, peſtis, ſterilitatis Deus habitus, quem omnia quæ in mundo gererentur videre putabant: cujus Idolum ex lapide nigro ſplendido. Dearum maxima *Tozi*, fœmineo præfecta ſexui.

XXI. *Cholulenſes* Idolum *Quetzaalcoalt* coluerunt: qui mercatorum DEUS & *Mercurius*: ab eo divitias & hujus vitæ bona expectabant. Ponebantur Diis *ſimulacra* in accepti alicujus beneficii memoriam & ut defunctis propitii eſſent, ex collatitiis *ſeminibus* frumenti; quæ contuſa & *humano* ſanguine macerata ſacerdotes in Idola effigiabant.

XXII. *Tlaſcaltecanis* animus in mortem pro libertate contumax. Primo *hoſtes* ex odio: inde *ſuos*, adſuetudine, comede-

bant: & eo furoris ventum ut *laniena* hominum in publico habitæ. Iis vicini *Totonaques* humani, suum Regem summe colentes. *Tlasalteca* natum Dea quadam *Venatorem* insignem divinis honoribus coluerunt. Sed *Mexicani* quotannis Deum quendam vivum faciebant. Ex captivis maxime idoneus eligebatur: cui *nomen, vestes, insignia* hujus vel illius Dei imposita. Ille non secus, ac ipse cujus personam sustinebat Deus, colebatur. Eunti per plateas omnes assurgebant; ejus divinitatem & mox Diis associandam faciem adorabant cuncti, donec tempus & festum aderat: ubi immolatus quicquid pœnarum irati Dii minabantur, suo expiare sanguine credebatur. Sacrificandi modus immanis. Hostiæ humanæ ex captivis ordine intra palos custodiebantur. De scalis cum Idolo ex *mayzio* & *melle* confecto, *Sacerdos* decurrens, cuilibet id monstrat dicens: *Hi sunt Dii vestri.* Inde adscendentium quisque à sex *Chichalmuis* sive sacerdotibus horrendæ speciei arreptus, lapidi *Quauxicalli* dorso injicitur: & dicto citius *Papa* sive *Topilzin*, qui est summus sacerdotum, cultro per pectus ducto *cor* victimæ eruit: & adhuc *fumantis* calorem *Soli* offert: inde Idolo *Viztlipuztli* in faciem projicit. *Cadaver* per scalas pedibus deturbatur: is qui hominem ad sacrificandum obtulit, domum defert & cum vicinis lætus epulatur: caput in templo

Viztli-

Vitzliputzli ex more palis infixum. Ingens numerus ita sacrificatus: & 5000. aliquando 20000. superabant. Sunt & alii modi. Aliquando captivum *pelle* nudabant: ea sacerdotum quidam indutus, passim discursabat, obvios, nisi pecuniam largiter erogarent, cruenta ejus parte percutiens. Nonnunquam cum *Sacerdote* captivus ad lapidem pede alligatus, de vita *gladio* & *parma*, certabat: victus in illum lapidem reclinis, pelle exutus sacrificabatur. Templa in universum splendida, plurimis & altissimis conspicua turribus, & *Tenoxtitlan* ducem singulis Diis sacra: sed duo summa *Vitziliputzli* & *Tetzcatlipuca*, vasti operis & admirandi. Communis *Vitzlipuzlin* colendi ritus: *sanguinem* ex variis corporis partibus missum offerre: & in ejus templo *æternus* ignis. *Sacerdotum* ingens numerus, & varii ordines: quorum summus Pontifex Papa Mexicanorum prisca lingua dictus: Soli sacerdotes *Vitziliputzli* ex certis quiqusdam familiis nascebantur.

XXIII. Aliorum Deûm ministri vel *electi* vel *sponte* se offerebant. Munus omnium; *Quater* Diis adolere singulis diebus *mane, meridie, vesperi* & *nocte* media. Peracta adolitione pedes cultris acutis ex *Maguei* transfigebant & sanguine tempora sua & cultros tingebant: iisque in omnium conspectu positis, in lacu *Ezapam* abluebantur. Erant iis stata jejunii tempora: frequenterque se flagellabant miserrime &

torquebant. Conciones ad populum habere, sacra & ceremonias diligentissime docere: sacrificia procurare ipsis imperatum. Monebant quoque Reges, *auditas in templis voces*, Deos *esurire:* qui sacrificiis placandi essent, Quod quamprimum innotuit, *Reges* bellum vicinis hostibus indixerunt: ubi non *cædium* sed *captivorum* ratio habita; ea unica pugnantibus cura: id omnium votum. Sacerdotes, cum turba captivorum revertentes, fistulis & aliis solennitatibus excipiebant: Diis victimas cædebant: terram edebant: cultris crura pungebant ad sanguinis missionem. *Vnguento* ex venenatis insectis confecto totum corpus inungebant. Nam pueri *Araneas*, *Scorpiones*, *Salamandras*, *Natrices*, *Campos* & alia ejus generis impura colligebant animalcula: quæ *igne* sacro in cineres redacta cum *Tabaco* miscebant, adjectis inter *tundendum* aliis vivis *Araneis*, & *Scorpionibus* & vermiculis, quorum soli pili veneno turgebant, & semine quodam *Ololuchqui*, unguentum fiebat, quo etiam adversus omnes morbos utebantur tanquam divina medicina. Pilos ex eo uberrime progerminantes arte quadam plexos nunquam; nisi certis quibusdam casibus radebant. Infecti quoque longa fuligine ad *Æthiopum* nigrorem horribili aspectu.

XXIV. Hoc *unguento* inuncti nihil metuebant: *imperterriti* & *crudeles* loca sola & formidolosa noctu perreptantes, neque

neque jam feras *tigrides, leones, ursos*, conspectum suum ferre posse existimabant. In eodem *Vitziliputzli* templo *Monachi* juvenes à XVII. ad XX. annum, ut Monachi in orbem tonsi capillis in tergum pendulis & plexis, *caste* & *continenter* vivebant. Quorum munus *inservire sacerdotibus, vestes sacras, tus, ignem æternum curare*. Præter hos etiam *pueri* erant. Vestes iis albæ & crassæ. Templum *floribus* spargere, *manus* lavare sacerdotibus, *cultros* ad sacrificia acuere, *eleemosynam* colligere & ea negata *spicas* ex satis evellere, media nocte *tubis* homines excitare, peracto sacrificio Diis offerre *sanguinem*: in lacu se abluere, durissimam vitam agere, venenata *insecta* ad unguentum sacrum venari soliti. Sacræ *virgines* primo rasæ: tum capillis ad tempus submissis, albo & ipsæ vestitu utebantur. Hæ *templum* purgare, Diis *cibos* parare, nocturnum cultum exercere, ornamenta templi, *vestes* Idoli texere, *sanguinem* suum Diis offerre, se ipsas *flagris* conscindere; annuam castitatem servare. Si quæ corpus prostituisset, ea sine mora neci dabatur. Signum violati pudoris erat in Idoleio *Vitzliputzli* currentem *soricem* videre aut volantem *vespertilionem*, vel adesa *stragula* & pepla deprehendere. His præmoniti signis in ream inquirebant. Post unius anni castitatem egredi claustro & nubere licebat. Festum *Vitziliputzli* magna pompa & religione

menſe *Majo* celebratum. Biduo ante ex *blito* & *maizio* Idolum *Vitziliputzli* componebant: eaque die dicebantur ſorores *Vitziliputzli*. Inde *Monachi* hunc factitium Deum ſuum ex templo in montem *Chapultepec*: poſt in vicum *Atlacuiavajam*: tum in *Cuyoacanam*, denuoque *Tenoxtitlam* ſumma feſtinatione geſtabant, quod erat *Ypaina Vitziliputzli*. Appoſitæ in Idoleio *placentæ* magno numero ex eadem, unde DEUS, maſſa: quas ſanctificatas ſacerdotes *carnem* & *oſſa* Vitziliputzli eſſe dicebant. Peracto ſolenni hominum ſacrificio, DEUS *fictilis* in buccellas comminutus: illæ cum placentis diſtributæ veſcentibus qui *carnem* & *ſanguinem* Vitziliputzli ſe comedere putabant. Qui veſcebatur de hoc ſacramento, decimas earum rerum, unde confectum numen, Sacerdotibus perſolvebat. Ita peractis Ceremoniis concione ſacerdos habita, populo interpretabatur myſteria Religionis.

XXV. Feſta *Toxcoalt* & *Tezcatlipucæ* ſingulis quadrienniis coincidebant, & tum erat plenaria peccatorum Remiſſio. A nono ad XIX. Maji *ſacerdos* quotidie fiſtula verſus quatuor mundi plagas canens, *terram* edebat: eumque omnes qui aderant, ſecuti, magna cum animi humilitate & anguſtia, *Peccatorum* Remiſſionem petebant & alia. Hinc quinque continuis diebus jejunabant ſacerdotes. XIX. Maji Idolo DEI *Tezcatlipucæ* ſplendide ornato,

tus

tus adolebant; varia offerebant; unde cibi DEO parati: populo interea flagellis ex *Manguey* se propter peccata castigante. *Captivo*, qui Deum hactenus repræsentarat, sacrificato, juventus cursu certabat, qui primus templi *Tezcalitpuca* gradus adscendere posset. Apud *Chololutecas* festum *Quetzaalcoalt* celeberrimum erat. Quadraginta dies ante id *Mercatores* captivum quendam sine corporis vitio emebant, qui DEUS *Quetzaalcoalt* esset. Inde peracta *Neyoho Maxilt Heztli* novem ante festum diebus; ille qui DEI personam sustinebat ad lætitiam commotus, nocte media, communi more sacrificabatur, *Corde* ejus *Luna* ostenso. Ex *cadavere* varios *cibos* parabant: sicque convivio peracto, quod reliquum diei, ludicris & jucundis spectaculis impendebatur. Hujus DEI sacerdotes puerorum institutioni operam dabant, & mane ac vesperi *tympanum* ex summitate turris pulsabant.

XXVI. Erat & hoc *sacerdotum* munus, *nuptias* confirmare. *Sponsus* & *sponsa* se sistebant & à sacerdote rogati, *num vellent nubere:* cum se *velle* respondissent; sacerdos partem veli sponsæ, pallio sponsi annectebat. Domum deductos, postquam *septies* circa *focum* duxisset, ratum erat conjugium. De recens natorum *auribus* & *præputio* particulæ Diis sacrificabantur. Et quam primum infans natus, sacerdotes eum *lavabant*, inde si nobili *stirpe oriundus*, ne extra

virtutum cogitationes extraque bellorum casus fore putaretur, dextræ *gladiolum*, lævæ *parmulam* inserebant. *Plebeji* instrumentum paternæ artis manu capiebant. Puellis *colus*, *lana* aliudve dabatur fœmineum. Idque coram Idolo ipsum quatriduum fieri solitum.

XXVII. *Principe* ægrotante, *Idolis* suis *larvas* in faciem locabant, quæ non ante sublatæ quam vel convalesceret vel obiret. Quod si *Magistratum* male gessisset, ejus animæ in ignivomis montibus qualis *Porocatepeque* parata tormenta existimabant. Sepulturæ hic ritus. Cadaver in cubiculo, pedibus januam spectantibus positum à cognatis & amicis salutabatur: quorum nemo absque *dono* accedebat, quod juxta funus positum. Cum Rege vel Satrapa *captivi*, sacerdos ejus & alii familiares interemti, ad *novam* in altero mundo *familiam* condendam. *Exequiæ* decem dierum cum multo planctu & næniis. *Cadaver* à Sacerdotibus gestatum vario ritu. *Magnatum* funeri insignia & spolia ab hoste reportata *appensa* & partim *prælata*. Alii sacerdotes *suffitum* faciebant: alii *lessum* & funebria carmina ejulabant mortuo sæpius elevato. Sacerdos facturus *sacra*, indutus erat ejus Idoli insignibus, quod ille, qui funus, repræsentarat in vita. Qui sequebantur funus nonnunquam à mortui familia *vestiti* sunt. Sic cadaver, cum opibus, *rogo* impositum & combustum.

ſtum. Eo facto ſacerdos veſtitu horrendo, aperta ora & oculos gerente, manu baculum gerens prorumpebat, cineres in *buſtare* ſuperba manu commiſcens. *Cineres* in urnam collecti cum opibus in templis vel alibi conditi. Tum convivio excepti qui funus proſecuti fuerant. Erant qui non *comburebantur*, ſed *condi* malebant. Illos cum veſtitu gemmis opibuſque ſepeliebant. Defunctorum *animis* ſingula in templo *Idola* poſita: quibus ſtato tempore humanis hoſtiis litatum eſt. *Mechoacani* aliquam cognitionem *creationis* mundi, & hominum ex *limo* ac *diluvii*, ſed innumeris corruptam fabulis habuerunt. Statuebant *matrem* omnium Deorum; ſicut Græci *Cybelen*. Superiores Deos *cœleſtia*, inferiores *terreſtria* creaſſe. *Sacerdotes* caſti & cœlibes. Cæteris ſera Venus. In *fœminis* mira *caſtitas*. Magnatibus *una* uxor: complures *pellices*. Adultera venditur principi, à quo eam cognati redimere poſſunt. Nec *innuptis* cibum capere licet inter *conjugatos*. Auguſto ac Septembri menſe quinque ac triginta dies non *carne* tantum, ſed & *piſcibus* & omni re quæ *ſanguinem* nutrit, abſtinent, *oleribus* & *leguminibus* contenti. *Hoſtes* tantum & *peregrinos* comedunt.

XXVIII. Proxima Mexicanis *Iucatan*, nomine ab Hiſpanis invento, regio calida & humida, quam ab Oriente & ex mari ſpirantes auræ temperant, nullis irrigua fluminibus, nec metalla gignens. Ei ad-

jacet *Cozumel* insula celebris, nec solo nec cultu alia quam Jucatan. Immensa vis mellis. Ædificia ut Mexicanorum splendida, culmis & fruticibus & frequenter lapideis laminis tectæ: domus plerumque trium passuum intercapedine distantes, prædia quoque in agris magnificentia, elegantia cum solariis, impluviis & tabulatis egregiis more nostro. *Incolæ* rubrica picti & nigris compuncti notis, fronte rasi, capillis retro prolixis & colligatis, auribus perforatis: ex *gossypio* vestitus mille modis & variis fucato coloribus: ut plurimum annosissimi, & trecentorum annorum senio graves. Alii à *Mexicanis* & quoad originem iidem cum *Guarayanis* Americæ meridionalis, quorum & linguam intelligunt. Fœminæ à cingulo ad talos vestitæ; caput & pectora velamine contecta, nec religiosius quicquam cavebant quam ne *crus* aut *pes* conspiceretur nudus. Circumcisionem hic obtinuisse, nondum plene rebus exploratis putatum. *Baptismi* tamen instar habuerunt. *Zempoalenses* pueros jam anniculos puellasque in templis, *aqua* in crucem cum *urceolo* capiti superinfusa baptizare videbantur, verbis quibusdam pronunciatis. *Cruces* viderant, quarum ex ligno & lapide in templis aliquot repertæ: & *interrogati* unde id haberent; transiisse olim virum quendam per eos tractus *formosissimum*, qui se in cruce passum dixerit, & in sui memoriam

riam

riam hoc *insigne* reliquerit, testabantur. Alii originem ad *Chilam* Cambal priscum *prostatam* Indorum referunt. Scriptura ipsis per *Symbola* & rerum *notas*; quibus etiam absentibus mentem suam significabant; & *libri* innumeri, quibus *antiquitates*, *plantarum* vires, *astrorum* series & alia conscripta. Alii obiisse virum quendam Sole lucidiorem in eo opificio. Arma bellum gerentibus lanceæ, gladii, sagittæ, galea ex ligno, thoraces ex gossypio. *Reges* sceptra manibus gerebant. *Idola* partim ex *marmore*, partim *fictilia*. Marmoreus inter imagines *Leo*, pertusa cervice, in quem hostiarum *sanguinem* projiciunt. Pueros puellasque *Zemibus* suis immolabant. Ex Idolis unum est *virile*, quod inflexo capite *lacunam* sanguinariam inspectat. Alia *ursorum* speciem referunt: quæ suffitu & precibus velut domestici lares culta. *Torulos* brachiorum, *femorum* ac *surarum* pulpas hostiarum bello captarum, edere soliti. *Cor* & *exta* combusta: & calido cruore idolorum labia illita. *Locus* ubi supplicia de reis sumebantur, *quadratus* ex *marmore*: ubi hominis simulacrum, adhærentibus illi duobus *quadrupedibus* ignotis, qui marmorei hominis *ventrem*, uti canes rabidi, videbantur dilacerare velle. *Serpens* bitumine ac lapillis compactus, pedes longus *septem* & *quadraginta*, bovis magni crassitie marmoreum *leonem* vorans, simulacro adstabat.

Proxi-

Proximi erant, solo affixi *tria* ligna, quæ *tria* alia lapidibus suffulta transversabant. *Cubanis* incognitum fuit esse insulam quam habitabant, unde eam *fine* carere existimatum primo. *Templa* religiosissimi cultus duo, unum in *Acrizamil*, alterum in *Xicalango*: inde in oppidis singula.

XXIX. *Iucatanam* ingentes & complures insulæ respiciunt. Maxime *Ayti* & *Cuba*. Incolæ patulis *naribus*, fronte *lata* & firma, deformes *dentibus*, nitida & splendente cute: *simpliciores*, *ignavi*, *aurum* in auriculis & naribus perforatis gerentes, & *suis* bonis contenti: alia præterquam sua littora non noverant, quanquam ipsorum *canoa* circiter 80. remigum capaces essent. *Uxores* quaslibet, exceptis matre, filia, sorore, & *quotlibet*, ducere licitum, *una* tamen præcipua, cujus liberi *hæredes*. Infantes recens natos *frigida* indurare & *frontem* ac *nares* iis ornatus gratia dilatare soliti. *Domus* ligneæ *sphærica* figura & ut *tentoria*. Latrones palis infixi. Sine *mensura*, *pondere*, *libris*. Nec hiemis præsidio vestes *noverant*, vel potius non *curabant*: ita ut cum essent ipsis *nemora* gossypio referta, in montibus tamen nudi ob frigora tremerent. *Caribum* invasioni expositi: nec animus resistendi, præterquam *Iamaicanis*, erat. Qui cæteris acutiores, *bellicis* quoque laudibus & *arte* varia celebrabantur. *Ciguaiones* quoque feroces, *hostium*

esto res.

eſtores, *Caribum* propago crediti.

XXX. In bella euntibus *nigro* & *coccineo* colore, fœdum in morem tincta corpora, capillo, quos nigerrimos habebant, mille modis plexo. *Cibus* ex radicibus *Agis*, *juccis*, *Maizio*. Lecti *penſiles* ab his inſulis incipiunt, & per omnem Meridionalem *Americam* obtinent. *Bis* quoto die lavare moris.

XXXI. *Reges* humeris ſubditorum geſtati; & in *Yucaionibus* divino honore culti, ubi *perpetua* inter ſe beati *pace*, moribus innocentiſſimis, ſine cupiditate, ſine impotentia quieti ſecretique *felicem* vitam ducebant: nec aliud *Regis* munus quam *victum* ſuis diribere.

XXXII. *Canarii*, fuſci, naſo plano & lato, *voraciſſimi* & agillimi, varie picturati. Cutis *ſebo* & *ſuccis* indurata. Nudi, vel veſtes ex *pellibus* & herbarum *radicibus*. *Cibus* Caro cruda & fruges, lac caprillum. *Domus* ex *ramis* & montibus, effoſſæ *ſpeluncæ*. Rudes *ferri* & *ignis*, agros *cornibus* pecudum fodiebant ad ſementem. Quælibet inſula ſuam *linguam* & *Regem* vel *Duces* habebat. *Arma*, ſagittæ, *cornibus* præpilatæ & *lapides* quos manu torquebant. *Sponſam* Rex vel procerum quis deflorabat. *Cadavera* mari abluta & ſiccata diu *incorrupta* ſervabant. *Idola* varia, *Solem*, *Lunam*, *Stellas* colunt. Deus unicus, quem ſublatis ad *cœlum* manibus adorabant. Orandi locus ſtatus & certus; quem caprino la-

cte

ćte ſpargebant quotidie & capræ illæ unde petitum lac, ſegreges & ſacræ Deo putabantur. In feſtis bellove variis coloribus pićturati. Tam mandatis reverenter parebant, ut ſi cuiquam Rex *præcipitium* imperaſſet, nulla etiam in medium adducta ratione, facturus id ſine dubio fuiſſet. Erant & *Iucaionenſes* fæminæ adeo formoſæ, ut earum pulchritudine allecti vicinarum regionum incolæ, eam ſibi *patriam* eligerent. Cum primum menſtrua fluere incipiebant, *parentes* vocatis ad convivium vicinis cuncta lætitiæ ſigna edebant. Et tum pudenda tegere incipiebant reticulis bombycinis. *Vitiatæ* femoralibus tenus genua uſæ, ex herbis *tenacibus* vel *goſſypio*. Animas credebant poſt expiatas in *gelidis* montibus arctois labes, apud *Muteczungam* Regem in *Meridiem* ad Regem *Quexugam* tranſire: & ibi *perpetuis* deliciis frui. In *bello* & *feſtivitatibus* veſtitu ex goſſypio, plumis ſuperbis caput ornati. *Cubani* in nuptiis inſpectante ſponſo, quotquot invitati cum ſponſa concumbebant.

XXXIII. Sed *Haiti* quemadmodum aliarum inſularum ejus ſinus *Regina* eſt; ita imprimis de ea dicendum. *Reges* filios ſuos *Boitiis*, qui ſacerdotes nupti & Medici ſunt, erudiendos tradunt. Duo ſapientiæ capita ipſis proponuntur: unum de rerum *origine* & *ſucceſſu*: alterum de *rebus* majorum, *pace*, *bello*, præclare geſtis.

XXXIV. Quæ

XXXIV. Quæ duo *rythmis* patriis quos *areitos* vocant, composita traduntur. Est & universis nobilibus ingens cura de noscendis finibus & regnorum terminis: vulgus agriculturæ invigilat, piscationis quoque & venaturæ studio deditum: ubi pisce *Guaicano* & cucurbitis, sagaci invento, excelluisse traduntur.

XXXV. *Unum* Deum à quo creata omnia, noverunt. Ejus internuncios *Zemes* vocant, sunt autem Zemes nocturnorum *lemurum* simulacra, quæ colunt, quorum *minores*, infantulos Dæmones referentes cum hostibus manum collaturi, *frontibus* alligatos in prælium ferebant. Ab his *pluvias*, *Soles*, & quibus indigi sunt, alia petunt. Appositus *Idolis* victus: quod ea *fame* urgeri crederent. Summum numen, *Iocauna* & *Guamaonocon*: ejus matrem *Attabeiram*, *Mamonam*, *Guacarapitam*, *Iiellam*, *Guimazoam* nominant. De origine hominum hæc ex majorum traditione: est in insula regio *Caunana*: ubi ex duobus montis *Cauta* specubus prodiisse genus humanum: majorem partem ex ampliori antro *Cazibaxagua*, minorem ex arctiori *Amajauna* credunt. Priusquam hominibus inde egredi licuerit, fauces antri à quodam *Machochael* custoditas. Sed & eum & alios quosdam à *Sole* in *lapidem* & *myrobalanos*: Famulum *Vaguoniona* in *lusciniam*: infantulos in *ranas* mutatos fuisse. *Vaguonionam* captum amore

Ocea-

Oceanitidis cujuſdam ad eam in maris fundum deſcendiſſe, & donatum marmoreis calculis & guaninis ex *Orichalco*, quæ pro ſacris apud Reges poſtea habitæ ſunt. *Fœminas* antro emiſſas in *Mathinono* inſulam veniſſe, *viros* abſque fœminis relictos, ex animalculis *formicarum* ſpecie, roſtris *picarum* fœminas ſibi feciſſe: hinc in inſula procreatam ſobolem. De maris origine ita commenti ſunt.

XXXVI. Virum in inſula potentem *Iaiam* fuiſſe: qui *unicum* filium mortuum intra *cucurbitam* condiderit. Eum *Iaiam* filii deſiderio impatientem, poſt aliquot dies, aperta cucurbitâ, *balænas* in ea vidiſſe ingentes, & *mare* ibi concluſum eſſe, vicinis ſuis prædicaſſe. Ea permotos fama *quatuor* fratres *cucurbitam* fregiſſe; ex qua *mare* effuſum, *omnes* terras ſubmerſerit, relictis tantum *montibus*, qui nunc eas inſulas conſtituant. Hos fratres *Iaiæ* metu, hinc inde diu vagatos: tandem à *piſtore*, cum *panem* peterent, unum ita conſputum, ut in graviſſimam *hydropem* laberetur. Aperta *cute*, natam *fœminam* ex qua *liberos* genuerint. Antrum *Jovanaboina* religioſius cultum quam apud Græcos *Cyrrha* vel *Nyſa*, milleſariis ornatum picturis. In hujus antri foribus duo *Zemes* ſculpti *Binthaitellus* & *Marohus*: & *Solem* ac *Lunam* inde prodiiſſe putarunt. *Aitni* inſulam *vivere* putabant, & *reſpirare* & *edere*: anum per quem excrementa egerantur

rantur esse autrum *Guccajarima*: cui ab hac opinione nomen impositum. Hæc & alia *rythmis* ultra hominum memoriam, à majoribus accepta, neminem licebat, præter *regulorum* filios edocere.

XXXVII. Iidem *Boitii* Medicinam quoque fecerunt, *jejunio* & *purgatione* ad curam morbi se præparantes. Circuibant ægrotum *ter* aut *quater*, faciem, labia, nares fœdis gestibus torquentes: in *frontem, collum*, sufflantes, ægroti *spiritu* attracto, *morbum* se attrahere. Inde ægrotum *fricantes*, connexas à pedibus manus deducunt: ad ostium procurrentes apertum, ibi excussis *manibus* se *morbum* fugasse, dicebant. Ast à tergo *carnis* frustulo, *osse* vel *lapillo* ex ore sumto, dicebant: *Hoc ultra* necessitatem *comestum* causam *morbi fuisse*, nunc ablatum, sanitatem in propinquo esse. Lapillos & ossa hæc mulieres loco *Zemium* habebant, puerperiis prodesse plurimum existimantes. Quod si ægrotum perire contigit, cognati ejus mortuum magicis *incantationibus* fateri cogebantur, fatone an *Boitii* culpa diem obierit. Si *Boitius* in culpa, vindictam sumebant. *Regum* & *Optimatum* animæ immortales, cæterorum cum corporibus interire creditæ sunt. Cum mortuis, maxime optimatibus *aqua, panis, sella, arma*, & *fœminarum*, *famulorum pretiosissima* quæque, & dilectissima tumulata. Et ut eo libentius se vivos cum Dominis tumulari

pate-

paterentur, vulgo persuasum fuit: *talium quoque animas propter fidem in Dominos, immortales evadere & ad perpetuas delicias in amœna vireta pervenire: ubi edendo, bibendo ludis ac choreis omne ævum tererent.* Si *lactantem* contingeret matrem obire, admotum uberibus *fœtum* simul sepeliebant. Vidua fratri prioris mariti vel propinquo nubebat, præcipue si liberos reliquisset.

XXXVIII. Zemes iidem *Boitii* consulebant de *pacis bellive* rebus, absorpta per nares herba *cohobba*: inde responsa fingebant. Reguli per præcones ad sacra *Zemium* suos convocare soliti sunt. Comti more suo pictique veniebant viri: *virgines*, ut erant, *nudæ*; quæ viri notitiam habuerant, pudenda *tecta*. Omnes lacertos, femora, suras, talos conchylibus suaviter crepitantibus, capita sertis ornati. Rex *tympano* advenientes suscipiebat & *bacillo* in guttur demisso *vomens*, ut omnes idem facerent, hortabatur, ostensuri nihil mali se in pectore tenere. Fœminæ placentas *Zemi* offerebant. Decantatis *Areitis*, Bohili placentas sanctificabant; & in partes divisas distribuebant. Particulam suam quisque, velut rem sacram toto anno asservabat: nec felicem fore illam domum quæ tali particula careret existimabatur. Silentium *Zemium* tristi omnes ululatu & lacrimis excipiebant: edita ab iis voce gaudio supra modum exultabant. *Mortuos*

noctu

noctu vagari ac vesci *guannaba* fructu, cunctaque humana membra, præterquam umbilicum suscipere posse; & utero tacto evanescere, communis opinio.

XXXIX. Ex his insulis in continentem tendentibus *Guahutemalla* occurrit, regio saluberrima & feracissima. *Potus* incolis *Chocolate* ex *Cacao*. Ibi ordine sedes habent *Chiapani*, *Zoquetani*, *Zeltales*, *Quelenes*. Apud *Zeltales* crebra sed exigua flumina, regimen *Ochlocraticum*. *Chiapanicæ* ingenio capacissimo & ad omnem humanitatem formato conditores suos adhuc referunt. *Soconuscani* dites & superbi. Pigri *Misteca* & in diem viventes, dediti somno ciboque. Nec aliam suis liberis virtutem recommendabant. Apud *Guaymuras Honduranos* una singulis uxor: sed nobilioribus complures. Cibus ut apud Mexicanos, & eadem temporum ratio, vestes sicut in *Isthmo* & *Vraba*. In *Verapaz* fœminæ ad partum faciles, sed brevioris vitæ. Mox à partu flumine vivo se abluunt. Viri statura media & decenti ac amabiles. Regio *tempestatibus* & *nimbis* subjecta, ac nonnisi dimidia sui parte temperata: cætera caloribus exusta. *Innumeris* abundans rivis, fontes aquæ *rubræ* & *cœruleæ* habent. *Ycalcoani* per *Contles*, *Xequipiles*, *Cargas* numerant. Cibus ingentes *formicæ* quas in foro vendunt. *Terra* in cujusdam rivi fundo *atra* & *rubra* qua ad *tingendum* utuntur, & quę sulphureæ & versi-

versicolores. Sub regno *Guaxaca* fuit *Goacalco* in qua piscatores inopes, hinc inde per sodalitia dispersi. In Prov. S. *Salvatoris* ex venenatis & fœtentibus vermibus, præsens contra catarrhos remedium conficiunt. *Chontales* populus brutus diversarum linguarum. *Terra* quædam ut *ærugo*, unde atramentum fit. Apud *Pipeles* prisca Religione sacer lacus *Coatan* & in eo insula, cujus sacra intueri nefas existimabant. Erat autem *statua* ex *lapide* muliebri forma. *Guastecani* procera statura, capillis ad genua usque promissis & muliebriter comtis. Non alia re mercantur quam *sale*: id pretium est.

XL. *Nicaragua* calidissimis Solibus adeo exusta, ut non nisi *noctu* possit per arenas ambulari, plena hortorum & arborum. *Oppida* frequentia, creberrimis *pagis* cincta, sed non magna. Alicubi quoque intra arbores habitant. *Domus* ex *trabibus* omnes ac *paleis* copertæ: *Palatia* Regum longa *centum*, lata *quindecim* passus, à fronte aperta, à tergo clausa omnia: supra humum aliquantulum elevata. Templis obscura *penetralia*, in quibus *nobilium* sepulturæ, & apparatus ad bellum. *Incolæ* magis *albi* quam *fusci*, facie fissuris conscissa. In medio *cranio* fossam habent, quæ infantibus formositatis ergo imprimitur. Corpus depilant: capillos alii *antrò*, alii *circum* tonsi, cirro tantum in vertice retento, alii capillis desuper, alii retro con-

constrictis: Togæ sine manicis.

XLI. *Viri* infra fœminas abjecti, *domum* purgare, ignem *excitare*, nere; inter mejendum *conquiniscere*, pulchrum existimabant: *Dominis* interea in foro & extra domum vagantibus ac erecto corpore mejentibus. Eædem antequam nuberent malæ: post nuptias plerumque bonæ frugis. Omnes *naturam* intra clunes constringebant, turpe ducentes eam pendulam gerere. *Plures* uxores: sed unam legitimam, & hoc ritu ducunt. *Sacerdos* sponsum & sponsam, minimis prehensos digitis in cubiculum ducit, ubi *ignis* accensus. Quamdiu ignis durat, sacerdos admonendi finem non facit; eo extincto confirmatum est matrimonium. Hoc maxime vinculum, hæc arcana sacra, hos conjugales DEOS arbitrantes. Nonnulli Regibus sponsas deflorandas dabant. Nec licebat fœminis cum ægrotarent, vel templa frequentare vel adesse viris. Quod si quis *duas* solenni ritu uxores ducebant, is præterquam quod ad perpetuos carceres damnabatur, etiam bona sua primæ uxorum cedere cogebatur. Severa illis matrimonia. Adulterii pœna præsens & legibus sancita: in viro *plagis*: in fœmina *repudio* & perpetua *viduatione* punitur, non forma, non ætate, non opibus maritum invenerit. Ita arctis continentiæ legibus adstricti; nisi quod *festa* quædam licentiam dabant vagas sectandi libidines.

In

In multis pagis *virgines* inter convivia publica *maritos* sibi ex præsentium numero eligebant. Si quis virgini obtulerat vitium, is vel *dotem* solvere, vel *servitutem* subire cogebatur. Et gravis in *servos* constituta pœna: qui cum vitiata Domini filia *vivus* terra obrutus. *Fures* rasi; & ei cui furtum factum in *servitutem* dati, adeo ut nisi mox se redimerent, Diis sacrificarentur. In *Mancipia* Dominus *necis* potestatem habebat. At qui *liberum* hominem interemerat, unum ex *liberis* vel *parentibus* suis reddere tenebatur. Nulla in eum pœna constituta, qui Regem occidisset: quod id nefas in neminem cadere posse existimabatur. *Limites* regionum accurate distincti. In bellis *pusillanimo* arma ignominiæ causa ademta. Qui ex uno oppido in aliud migrabat, non poterat *vendere* domum aut *opes*: sed vicinis relinquebat. Erant & oppida sui juris, quæ magistratus suos eligebant.

XLII. Antiquissima gens *Ciorotegani*, robusti, crudeles & *uxoribus* subjecti. Apud hos religio suas sedes habuit. *Sacerdotes* uxorati omnes, exceptis qui *confessionibus* præfecti. Ii *festa* populo annunciabant, quæ pro mensium numero *octodecim*; & quales Diis immolandæ hostiæ. Sacrificandi hic ritus: *Sacerdos* ter circumit hostiam: tum in lapidem prostratæ aperto ei pectore *cor* eripit: faciem suam miseri sanguine fœdat: & si captivus est,

cor

cor ſibi; *manus* & *pedes* Regi, *femora* ei à quo captus, reſiduum populo cedit: quiſque ſuam portionem inter ſaltationes & patria carmina edit. Si *emtitius*, omnia inteſtina cum manibus pedibuſque ſepeliunt: *cor* & quod reſtat corporis, excepto capite inter priorum victimarum cineres comburunt. *Caput* arbori notatæ illius Provinciæ nomine, unde petita hoſtia, infixum; *Sacerdotes* albo ex goſſypio veſtitu, novaculas ex nigro lapide, carbones, herbas quaſdam, populus *Idola*, vexilla mille coloribus diſtincta & lemurum imaginibus, juvenes arma geſtabant, nec abeſſe ulli qui pedibus conſiſtere poterat, licuit. Sic ordine progreſſi cantantes, ubi ad locum ventum, ſparſæ magno numero *flores* & *roſæ*, ne Idolum terram contingeret; mox precibus recitatis, quiſque *ſanguinem* ſuum ex aliquo membrorum mittebat, quo facies Idoli picta. Interea juvenes ſaltantes, ludicra prælia exercere; & quiſque *obſtipo* capite vota concipere. Nonnunquam benedictus ex *Maizio* panis, irrigatus pudendorum ſanguine, horrendo myſterio, diſtribuebatur. Alios quoſdam ritus *Coribicani* obſervabant: & *Mexicani* cum iis qui ad lacum eadem. Libros quoque legum & rerum geſtarum magno habebant numero. Apud *Honduras* defuncto uno *Germano*, *viduæ* ibant ad domum alterius *Germani* & oportebat illum eas in uxores accipere. Quando vero populus

religioso sacerdotum murmure Deûm labra fricari cernebat, vota precesque concepit pro frugum ubertate, pace, victoria, & quæ ejus generis alia. Litabant alii quoque simulacro; Rex & proceres suo sanguine: quod perticæ infixum seniores ex templo portabant præeunte longa pompa.

XLIII. *Veraguani* foliis arborum latis contra injuriam aëris & tempestates usi; *aurum* non nisi certo anni tempore, & religiose quidem, à coitu & omni oblectamento abstemii, legunt *Religionis* fere nullius, quod *animas* cum *corporibus* interire credant. *Solem* tamen Orientem venerantur. In *Taia* & *Maia* picturati floribus, rosis, laqueis & aliis figuris. In *Xaguaguara* Rex *nigro*, populus *rubro* colore picti. *Regi* & *proceribus* lamina è naribus aurea labiorum tenus pendebat. Non alius DEUS præter *Solem*.

XLIV. *Isthmum* & vicinas *cis* ac *uls* regiones varii tenent. Nudi omnes, exceptis *Principibus* & *Palatinis*, quorum ex *albo* gossypio pallia. Mulieres vestem *lineam* ad genua, & si *nobiles*, ad ima pedis usque propendentem gerebant. *Domus* amplæ: & interdum vix *dua* vel *tres* in singulis pagis *trecentorum* capaces hominum. *Bis* vel *ter* de die lavare, sedes crebro mutare; *naturam* vaginis aureis vel testa contegere. Ducebant omnes excepta *matre*, *sorore*, *filia*, *peregrinis*. Lupanaria publica: uxores *steriles* venditæ. In bella

euntes

euntes varie picti *nigro* vel *rubro* colore: servi ab ore sursum: liberi deorsum. Captis prælio notæ inustæ & dens anterior unus excussus. Furtum & latrocinia capite plexa. *Arma* non sagittæ sed *maccani* id est longi gladii, hastæ præustæ ac missilia. *Tympanis* quoque & marinis *conchyliis* ad excitandos in pugna animos usi sunt. Summi Dei matrem fuisse *Dabaibam* credunt: cujus simulacrum in *Dariene* religioso concursu cultum fuit. Coram eo *mancipia* jugulata, mox *combusta*, quod *odore* illo Deam affici crederent. *Reguli* suos domi sacerdotes & fana habuerunt & efficacibus *precibus* ac *jejuniis* pertinacia Idola tamdiu *fatigabant*, usque dum voti compotes evaderent. *Quinto* die, ne vires jejunio plane deficerent, aliquid cibi liquidioris sumtum. *Aureis tubis & campanis* ad sacra usi. Mira sacerdotum continentia: polluti *lapidibus* vel *igne* puniti. Quo tempore *jejunatur* & *oratur*, lota fricataque *facie*, cum alias *picti*, semper ambulant *manibus* ac *oculis* in cœlum erectis; ab uxoribus abstinent. Adeo *simplices*, ut *animæ* nomen nullum imponere sciant neque *vim* ejus intelligant: *aliquid* tamen post hanc vitam superesse & paratas, prout quisque vixerit, vel *gaudii* vel *pœnarum* sedes, illas in *cælo* in *terris* has imaginantur. *Crassam*, quæ in globo *lunari* spectatur, maculam *hominem* esse credunt eo projectum ob admissum cum sorore ince-

 stum.

ſtum. Alicubi, *mors* cuncta hominum diſſolvere credita; ultra neque *curæ* neque *gaudio* locum & non niſi *Regum* & *Optimatum* Animæ immortales creditæ: qui cum *fœminarum* & *famulorum* ſelectiſſimis tumulati ſunt. Nec *infelices* ſibi videbantur quibus ſic *mori* datum: ita enim *animas* ſuas immortales fieri, cum cæteris ſimul animam *mori* & totos *tumulum* accipere putatum. Si *lactantem* contingeret obire, admotum *uberibus* fœtum ſimul ſepeliebant, *vidua* fratri prioris mariti vel propinquo nubebat, præcipue ſi liberos reliquiſſet. In *ſepulcris* ſuperne foſſa relicta per quam *Maizii* puſillum, & potus *quotannis* infuſus, profutura hæc ſuorum *manibus* exiſtimantes. *Regum* quoque & *primatum* exequiæ *quotannis* inſtauratæ. Conveniebant ad *tumulum*, allata ſecum *potus* & *cibi* magna copia. *Nox* inſomnis inter lugubres *nænias* agitur, mortui *infelicem* caſum, præſertim ſi bello peremtus, deplorantes. Tum *victoris hoſtis vitam* & *mores*, indignis modis lacerant, *Tyrannum, Crudelem, perfidum* vocantes, qui per *inſidias* non *virtute* dominum ipſorum ſuperarit. *Hoſtis* mox afferunt ſimulachrum, & ficta pugna in *ſtatuam* ſæviunt variis incurſionibus; demum in *fruſta* ſecant. Ita ulti *manes*, ad laſſitudinem uſque *choreis* & *comeſſationibus* indulgent. Ad *luctus* iterum converſi, deplorant *mortuum* dicentes: *Quis te nobis inclite* Princeps *eripuit*?

puit? Proh infaustum diem qui *tanta* nos *felicitate* privavit; nos *miseros* qui talem *patrem patriæ* amisimus. Tum ad *laudes* conversi, mira de illius *meritis*, *bonitate* & cæteris *virtutibus* promunt; eum *elegantissimum, liberalissimum, fortissimum* appellantes. Elucescente die, *monoxylon* cum defuncti simulacro, plenum *cibariis* & *potu* comburunt, *fumum* eum defuncti animæ gratissimum fore putantes. *Mulieres* ebriæ post *ineptas* gesticulationes, telis *virorum* aliquandiu tractatis, demum in atrio *somnolentæ* procumbunt. *Juvenes* naturam spina piscis perforabant, ut profluens sanguis pavimentum irrigaret; vulnere intra triduum, sacerdotibus, pulvere insperso, sanantibus. Hæc in Maris *Australis* Insula *Cesuaco*. In *Comagra* Principum *cadavera* lento *igne* siccabant, donec omni *carne* consumta, sola intra cutem *ossa* hærerent: ita velut *penates* in domibus asservata. In *Comagra Æthiopes* nigerrimi & vicinis infesti. Alicubi *pedes* moribundi *Casiquæ* illorum, qui in regno successuri erant, osculabantur; quod perinde ac si *coronati* fuissent. Erant qui in vastis *campis* animam *exhalare* vellent ut ibi ab *avibus* & *bestiis* devorarentur.

XLV. In tantis *Isthmi* angustiis mira *temperamenti* varietas: adeo ut cum *aër* ad *Panamam* salubris, quod fit ex mari ventis spirantibus, opposita ipsi *Nombre* de Dios insalubris sit. Nihil temperatius

Dariene: & tamen medio ejus, ubi oppidum *Darien* nihil *pestilentius*: ibi regio *altissimis* inclusa montibus & *meridiano* soli exposita, *guttas* in *bufones* vertit.

XLVI. *Caribes* à robore & ferocia ita dicti ob *metum* alio nomine *Canibales* late ad *Occidentem* Isthmi littora tenent, & vicinas insulas, quarum præcipuæ *Haibai* & *Queraqueira*, nunc S. *Crucis* & *Guadalupa* dentibus nigris. *Feri* supra *fidem* & vicinis pariter ac longe dissitis infesti, quos, ut feras, indagine cinctos à suis *littoribus* ad *escam* venabantur. Navigabant ad CCL. milliaria in illo mari. In bellum ituri secum gestabant Idolum *Chiappam* humano sanguine illitum. *Indomita* omnibus mens, nec *fœminæ* minus quam *viri* ad arma promtæ. Ex *fustibus* aggerem secum quocunque portabant: *exscensione* facta pali terræ infixi, contra *invasionem* munimento erant. Captis hostibus *sorores* & *puellas* indulgebant; non contenti ipsos comedere. Nefas mulieres edere: quas ad sobolem alebant; fœtus quoque devorandus erat: id demum videbatur operæ *pretium* esse. Aulæa ex gossypio leonibus, aquilis, tigribus & aliis conspicua animalibus texebant. In *Dominica* duo calidi fontes. Qui S *Luziam* tenent, *rubras* à temporibus ad oculos *lineas* ducunt. *At Ay* sive S *Cruz* lacum habet cujus aquæ ante *solis* ortum potæ insalubres. *Tolu* balsami ferax. Sed curarunt, ut olim, vulnera

sua

ſua balſamo non conſtat. *Monardo* id videtur, qui Hiſpanos ab Indis hoc didiciſſe putat: *Acoſta* rem in medio relinquit: nihil ſibi de eo compertum aſſerens: & potius in contrarium inclinat. In *S. Marthæ* Provincia domus ornatæ: ipſi incolæ ſatis capaci ingenio. *Fœminæ* caput ſuperbis plumis ornabant. *Virgines* quoque in bellum ibant. *Cæſorum* capita domibus impoſita. Dentes ad ornatum collo geſtati. *Bariquizemetæ* animo remiſſo, ſtupido, in diem viventes: ac in ſe, dum potu obruti ſunt, cædibus graſſantes. *Cuibæ* linguarum diverſarum, bellicoſi, homiedones. Sequuntur *Caracæ*, *Pocatuges*, *Alcoholados*, *Corowochi* & omnium bellicoſiſſimi *Chiugotæ*.

XLVII. *Tamalamequani* ſtupore & pigritia ignobiles hebent; *ſtertere* ſummam voluptatem ducebant. Gens omnino *anguſtæ* mentis. Iis vicini contra catarrhos & capitis dolores *Tabacco* frequenter uſi, ejus *cineres* naribus attrahebant. *Cerabaroæ* Carthagenæ floridis ſertis & coronis ex *leonum* & *tigrium* unguibus contextis delectati.

XLVIII. *Cariarenſes* fœminæ *ſcindunt* crines: viri *occipite* nutriunt, *fronte* radunt colligantque vittis candentibus & in *orbem* circumducunt capiti, ut noſtrates puellæ. Servant etiam *deſiccata* procerum & parentum cadavera, foliis arborum involuta, populo *nemora* & *Sylvæ*

addicta sepulcro. Inter *Caramairenses* & *Saturmanos* itinera lata rectaque, ut distenta *rubrica* credi queant notata. Supellex omnibus littoralibus *cannæ* & ex herbis contextæ *storeæ*, aulæa mira arte ac industria in *leonum*, *tigrium*, *aquilarum* imaginibus, effigiata. *Domuum* ac *cubiculorum* fores putaminibus cochlearum tenuibus funiculis appensarum, quo facilius vento agitatæ invicem colliderentur, quo sono delectantur, ornatæ.

XLIX. Qui interiora tenent, ubi hodie Nova *Granada*, Solem adorabant; & ei captos hostes sacrificabant. *Uxores* quotlibet, exceptis parentibus, *Fratres* & *nepotes*, non liberi, hæredes. Fœminarum in capite ornatus florentes corollæ. Reges summe *honorati*: nec alloquebantur eos nisi tecta prius facie. *Sputum* quoque, ne in terram caderet, exceptum. *Pœna* capitis latrocinio, furto, constituta. Idola & Heroum cadavera secum in bella deferebant. Victi solem deprecabantur. *Panches* cursu pernici, depressa fronte: dentibus *succo* quodam *denigratis*. Serta capiti, & optimates ex *gossypio* pileolos imponebant. *Armani* & *Rincones* suprà modum humanæ carnis avidi, publica hominum macella habent. In *Tunia* formicas edere soliti, sicut & in *Verapaz*.

L. *Cumani* & *Parii* omnes genu tenus *mares* ad suras usque fœminæ gossampinis vestibus simpliciter amicti: sed viri

insuto

insuto minutim ad belli usum gossypio dupliciter, cætera in vestes. Dentibus arte nigris, capillitio ad aures usque detonso & toto depiles corpore. Inter Americanos omnium *pulcherrimo* colore. Principes multas, cæteri singulas uxores ducebant. Sponsæ primum florem Sacerdos prisco gentis more decerpsit. In *festis unguento* inuncti totos se plumis operiebant. *Sol* & *Luna* tanquam *mas* & *fœmina* heic cultus. Cruces noverant, quibus contra spectra usi. Cometa viso tubis suis & tympanis horrendum fremere: Lunæ Solisque labores jejunio excipere soliti.

LI. *Curiani* naturam *auro* vel *conchyliis* vel *gossypio* tecti, capillo nigro, longo, semicrispo, dentes *albidos* efficiebant *herba* quadam ore detenta. *Virgines* à nuptis colore & aliis signis distinctæ. Nudum *femen* ostendisse probrosum fœminis: & maxima injuria, si quis illud vel leviter attingeret. Ad *Maracaybonem* domus in arboribus: *clypei* ex *cortice* vel *corio*. X. vel XII. ætatis anno *folia* arboris *Hay* toto die gestant in utraque maxilla & *quotis* horis expuunt folia vetera, recentibus sumtis. *Nigrescunt* exinde ad carbonis extincti formam dentes & ad extremum vitæ *incorrupti* & absque *dolore* perdurant. Ex iisdem *foliis* tostis pulverem conficiunt & calce, ne corrumpatur, confodiunt: quo empto, vicinæ regiones ad eandem curam dentium utuntur. *Agros* distinguunt funiculo

ex *bombyce*, cingulo virili tenus: & facrilegum exiſtimant, qui trajecto *funiculo*, aliena fata calcaverit, brevi morte pœnam temeritatis luiturum.

LII. *Chiribichenſes* aliqui funiculo præputium colligant nec niſi ob neceſſitatem ſolvunt, *auguriis*, *ludis*, *ſaltationibus* dedititiſſimi, nunc in *arctum* coacti, modo ſtricto *cuneo*, dein *rotunda* corona connexis manibus, mox *ſolutis*, mille ſaltibus variis, ſemper canentes, in *gyros* ſe volvunt. Cujuſque pagi *dux* unus tripudiorum & cantuum regulam præbet cæteris, qui tanto reſpondent concentu, ut una in multis *vox* eſſe videatur, & in multis *motibus* unus motus. *Regulos* ſuos canentes adeunt: ubi in laudes ipſorum effuſi, *comeſſando* dies noctibus jungunt. *Ebrii* præteritas injurias renovant; hinc *jurgia*, *cædes* & alia diſcrimina. Ab *homine* multum diſtare credunt *temperantem*: quia futurorum expertem remanere oporteat eum, qui ebrietate non corruat. *Virgines* in femorum & ſurarum craſſitie magnam elegantiæ partem ponunt. *Bellica formant* inſtrumenta, quibus varie affectus ſuſcitant, *lætitiam*, *triſtitiam*, *furorem*: ut & *tympana*. Noctu vero ſemper more præconum ex altiore cujuſque pagi domo, vociferant multi, reſpondetur à vicino pago non negligenter. *Nemini* ignoſcunt à quo offenſi. Dum navigant, cantor ſedet unus in *cymba* prora, cui remiges reſpondent

remis

remis suis. *Fœminæ* leviter pariunt, nullo doloris signo edito. *Infantuli* cervices duobus premunt pulvinaribus, à *fronte* uno, ab *occipite* altero, stringuntque ad *oculorum* rupturam: placet illis *plana* facies. *Puellas* nubiles biennio arcta custodia tenent parentes. Iis nubentibus, *viri* invitati ad nuptias *palearum* & *culmorum* fasces ad construendam novæ nuptæ domum portant, quæ in modum *tentorii* erigitur. Hinc sponso capilli ab aure, sponsæ retro tantum scinduntur.

LIII. *Magi Piaces* vocantur; qui pueros in abstrusis nemorum secessibus auguriis patrum & prisca formidine sacra instituunt. *Abstinent* ibi ab omni esu rerum *sanguinem* nutrientium. Nec vident præceptores interdiu. Noctu dictant *carmina* evocandis *Dæmonibus*, sermone quem ne ipsi quidem intelligunt, & curandi morbos via ostenditur: biennio exacto, cum *testimonio* scientiæ ad suos redeunt. *Morbos* communes curant, ut *Aitavi*, per suctionem. Graviores *Dæmoni* adscribunt, quem *Piaces* magno labore se ejicere simulant. *Mortuorum* procerum cadavera lento *igne* distendunt & *suspensa* pro penatibus servant. Quæ vero corpora non *desiccantur*, domi *sepeliunt*. Exacto funeris anno, ossa magno cum planctu *effodiunt* & *comburunt*, capitis cervice tantum domi servata: *Animam* esse immortalem fatentur & exutam corpore, ad montanas regiones

 pro-

proficiſci in *ſilvas* & ibi in *ſpeluncis* perpetuo degere, nec *cibi* nec *potus* expertem. Auditas-è ſpecubus voces, quam *Echo* vocamus, *animas* per ea loca vagantes eſſe putant. *Crucem* quoque venerati, & ea contra formidoloſa quævis uſi. *Eclipſin* lunarem triſti ululatu excipiunt, & puellæ nubiles ſanguinem ſibi ruptis venis mittunt; abſtinent ab omni oblectamento; quicquid ciborum domi tum eſt, in mare vel flumen abjicitur. Donec ab eo labore conſpiciunt emerſiſſe Lunam. *Cauſam* eclipſis Lunaris eſſe referunt *vulnus* Lunæ ab irato *Sole* inflictum. *Cometa* conſpecto tympanorum boatu & ſono, qualis Cerealibus ſacris cieri ſolet, ſe eam diſſoluturum putant. In *Araia* nobiles Salinæ.

LIV. *Caianenſes* homicidium & adulterium capite plectunt. Mulieres ſingulis complures, ſervili modo habitæ. Non ultra *decem* in numerando procedunt. Religio fere nulla. *Lunam* honorant, non colunt. Animas bonorum in cœlos, malorum in terram abire putant. *Wiapoconenſes* graviſſime torquentur à tigribus, muſcis, ſerpentibus. *Uracoanos* potus fluvii *Conamanza* hydropicos facit. Incolæ illius tractus varii & vagi: alii *Iaones* ſive *Capayori* & *Arwacca*. Ad rivum *Arwy* Caribes *Otomegali* reperti. Inſula *Gowateri* habitatur à *Schebaiis*. In Trinitatis inſula, quæ *Cairi*, ſunt *Iaos*, *Arwacca*, *Salvai*, *Nepoia*, *Carinepagodes*. Qui ad Magnum fluvium

fluvium *Amazonum* & *Maragnan* sunt, *Caripi* & *Iapoci* vel *Iaones* dicuntur, *gens* totius Americæ *humanissima*, *justi* & *virtutis* tenaces, *carne* & *piscibus* ante vesci non licet quam hostium aliquot in acie trucidarint, & tum hoc privilegio miris ceremoniis, frequenter *casi* ac *fumo* ad animi deliquium exagitati donantur. Ad Orientem *Popaiani*, *Peruani*, *Chilenses*, *Chicæ*. hinc flexo ad Occidentem continente *Brasiliani* immensa terrarum spatia tenent. *Popaiani* civiliores.

L V. *Peruvia* ante Incas, circa A. cIↄ. Regio inculta erat: populus sine cura Deûm, sine *legibus*, per cavernas montium & sylvas abditus, latebat quam habitabat. *Vita* ut brutorum, nullo agrorum cultu: nulla civitatum communione. Dispersi non plures duobus tribusve in uno antro aut vicinia degebant: gramina, radices & si quæ alia tellus profert, edentes. *Vestitus* ex *foliis* & *corticibus* arborum, aliis *pelles* ac *coria*. Uxores omnibus communes. *Utri* ex pellibus inflato vel *arundinum* fasci insidentes mari se committunt & *Chiriguanæ* in *Charcis* acuto telo pisces confodiunt. Qui montana colunt ingeniosi & laboriosi magnis & acutis capitibus, in planitie viles & inopes. *Vestitus* cunctis fere idem. Venatus communiter per *Chaco* in orbem cinctis feris. *Fœminæ* lanea veste ad talos, mares indusiolis ad suras usque, superjecto pallio tecti capitum & capillorum ornatu

ornatu fere à ſe invicem diſtincti. Peregre profecturi faciem quodam *bitumine* oblinunt adverſus *ventos* & *cocam* ore gerunt contra famem & defatigationem. *Quitonenſes* ſupra cæteros morati *Kathaicam* originem oſtendunt. In *Guancavelica* quinque vel ſex *dentes* ornatus ergo excuſſi. *Cannares* viri domi fere deſident, colum, lanam & alia muliebria tractantes. Fœminæ vagantur libidini ſervientes ſuæ. Ipſa gens inſigniter in bello fortis. Ad *Titicacam* antiquiſſima gens *Ingæ*, auribus perforatis, raſi. Poſtquam omnes ſub Ingarum Imperio coaluerunt, communes *leges* & *Religionem* ſecuti ſunt. *Punenſium* naves oblongis & inæqualibus tignis compactæ, ſubito diſſolvi poterant in ſuas partes. Alibi ex duabus pellibus invicem aptatis artificioſe compoſitæ. Duas quoque veſicas inflatas habent, quas ſcaphis alligant & ita navigant. *Annum* diſtribuebant in dies CCCLXV. *Lunares* menſes duodecim, quibus XI. reſidui dies immixti. Initium anni primitus à *Ianuario* noſtro; poſtea mutata paulum ratione temporis, *December* initium fecit. Exercitia publica *Puellæ* ſive pugnæ: *Taqui* ſive ſaltationes variæ, & in quibuſdam *Guaconis* ſive perſonis & larvis uſi. Pecuniæ vicem *coca* ſubibat: quæ & in deliciis, adeo ut abſque Ingæ permiſſu vulgo ea uti non liceret. In Prov. de la *Cruz* magna aquæ inopia: quam ex pluviis colligebant & ejus

ejus causa alter alterum occidebat. *Urî* habitabant insulas lacus *Titicasæ*, brutis quam hominibus propiores. Unus eorum interrogatus: *Quales homines essent?* Non se *homines* esse, sed *Vros* respondit. Integri eorum greges in ipso lacu, scaphis suis ad rupem alligatis habitabant. Unde mutatus in dies locus, & qui *hodie* ibi, *cras* alibi erant. *Chirihuavæ* trans *Andes*, olim immanissimi homiedones. Bibebant *sanguinem*. Ne *mortuis* quidem, ne *sororibus*, *matribus*, *filiis*, impii dentes parcebant. *Ossa* comestorum composita & sepulta sunt. Hæc sola pietas, *Incæ* impium morem abrogat. *Tagnamacini* stupidi & ignobilis animi. Eadem cum *Diaguitis* lingua. Pecunia textum *gossypium*. In *Hornanis* insulis Reges dicuntur *Herico*, voce ex *Curacan* expressa: *capillis* varie distincti: unde à *Peruanis* ortos colligitur. Divitiæ *hamus* & ex gramine *lectus*, plura ne quidem Rex possidet, quem sui ut *Deum* venerantur.

LVI. Successio *Ingarum* hæreditaria. *Ingam* mortuum filius ex *Coya* sive *Augusta* excepit. Frater tamen filio prælatus. Eadem successio *Curacum* & Dominorum in officiis publicis. *Ingæ* in lectica à nobilium primoribus sedentes in aurea *lamina* gestati. Sub lectica *prolapsus* statim occisus. *Sputum* Regis unus ex intimis amicis manu religiose excepit. Diadema *villus* ruber, fronti alligatus, per *filum* inde pendulum omnia mandata regia dispensata;

eo

eo *misso* nefas jussa vel ad momentum suspendere. Parebatur iis summa cum alacritate. Itaque accepto *villo* innumera sacrificia *Viracochæ* oblata, mile *oves* versicolores: *cumbi*, *vasa* ex auro & argento, *plumæ*, *ostrea*, *infantes* inter *sextum* & *octavum* annum. Solennitatem sua præsentia Legati ex omnibus provinciis: etiam *Guacum* nomine missi cohonestabant. Inde *Rectores* Provinciis dati justitiæ laudibus conspicui. *Plebs* continuo labore publico exercebatur & quotannis certus ex qualibet Provincia numerus ad eam rem delectus. *Architectura* rudis & tamen admirandi operis. *Lapides* maximos, non ad amussim cæsos, sine *calce* & *cæmento* accuratissime coagmentabant. *Pontes* non nisi ex *stramine* & *Totora*, alicubi ex ligno, & funibus. Rivos superabant jucunda arte. *Funi* ad utramque ripam tenso *corbis* appensus, quem vector suus insidebat: & alio *fune* ad ripam tractus. Erant & alii modi non minus faciles quam jucundi. Erant *Decuriones*, *Centuriones*, *Chiliarchi*, decem millibus præfecti sive *Hunones*. Omnibus his ex Ingarum familia cum summo Imperio unus gubernator præerat. Huic cæteri de omnibus reddebant rationem, quot *nati*, quot *mortui*, pecora quæ, agri quales. Gubernatores omnes in festo *Rayme* Cuzconem tributa ferebant. Totum regnum in quatuor *Tahuantisuyo* divisum: *Chinchasuyo*, *Collasuyo*,

Andesuyo, *Condesuyo*. Ad singula sesqui milliaria sive *Topo* erant quatuor *Chasquis* sive cursores regii, qui mandata celerrime in omnes regni partes ferebant, confectis intra 24. horas, L. Hispanicis milliaribus. In omni Republica & societate duo hominum genera, *Hanansuyo* & *Uxinsaya*. *Tributa* erant res opimæ cujusvis Provinciæ, *Chica*, ligna pretiosa, *Lucaya* expeditos lecticæ regiæ portatores, *Chumbibilca* saltatores: loca omnino sterilia *lacertas* & *insecta* afferebant. Thermas suas *Inga* habebant: ubi calidam frigida temperabant. Rationibus regni *Quipocamayos* præfecti. *Quipes* erant filamenta: quorum nodis quicquid memorandum conservatum. *Fodinas* ad id designati exercebant. Minium quod *Limpi* vocant & quo Idola suasque facies ad terrorem pariter & elegantiam oblinebant *Guancavelica:* argentum montes *Porco* suppeditabant. Omnes Provinciæ in tres partes distributæ. Prima Diis sacra & ad religionem spectans. Quisque DEUM, *Pachajachaci*, *Chuquilla*, cæterique *Guaca* suos agros, suos proventus assignatos habebant. Secunda *Ingarum* pro regia familia. Tertia *plebis*; Ex hac cuilibet singulis annis tanta portio victus omnis generis data, quanta ad suos sustentandos indigebat. Omnia *communia*. Imprimis *pecorum* studiosi. Non licebat fœmellam occidere. Ad *ovium* copiam multiplicandam quotannis magnus numerus *Soli* consecratus

tus in *agros* & *deserta* emissus: nec licitum cuiquam, nisi soli Regi, unam ex his capere. Greges *Guacum* & *Inga* dicebantur *Capaellamas*: plebis *Guachallama*.

L VII. Singulis Provinciis suus vestitus, quo ab aliis distinctæ. Nec mutare concessum morem alio migrantibus. *Opificia* alia *communia*, quæ omnes tenebant & exercebant; ut *textoria*, *sutoria*, *sartoria*, *tectonica*: alia *singularia* ut *aurifabrilis*, *pictoria*, *figulina*, *Arithmetica*. Quisque Inga sibi vivo statuam *Guaoiqui* erigebat quæ pari cum ipso honore culta. In novam subactam Provinciam coloni *Cuzconenses* equestris familiæ ducti, indigenarum præcipuis alio deportatis. Lingua quoque & Religio Cuzconica introducta. Leges erant: De *furibus*, *homicidis*, *latrocinantibus*, *adulteris*, multandis. *Unam* uxorem legitimam esse debere: singulis permissus *concubinarum* usus. Ob præclara pace bellove gesta prædiis donati, connubio quoque cum Ingarum familia honestati. Regem *Ingam* nisi cum munere, oculis in terram dejectis, pedibus nudis, depresso capite, humeris elatis, adire nefas. Familiares suos & proceres ipsi Ingæ, ceteros ex plebe. *Coracani* nubebant, solenni *Otria* ritu. Parentes liberis superstites infelicissimos existimabant. *Rex* & *Magnates* sepulti in *sellis*, quas *Duos* vocabant, magnifice sedentes; induti pretiosissimo vestitu. Simul sepulta *uxor* dilectissi-

lectissima, *famuli, opes*, ad servitia & splendorem in altero mundo. Per tubulum *Azua* mortuo in os fusa. Imposita sepulcro defuncti imago; & si plebeius, illius artis quam tractaverat in vita, instrumentum. Mortuos *resurrecturos* non ignorabant: unde ipsorum ossa cum cura custodita. Ex mortui *Ingæ* thesauris nihil hæres cernebat: omnes opes illi templo in quo sepeliebatur & *Guacæ* & familiæ consecrandas lege receptum. Itaque novus *Inga* novos sibi thesauros & opes colligebat. De origine hominis ita: Ex *Septentrione* filium *Solis* & *Lunæ* venisse, cui nomen *Con* fuerit. Eum cum proficisceretur pro lubitu vias longas brevesque, *montes* ac valles fecisse. Ab hoc primos homines conditos. Offensum peccatis ipsorum, regionem illam in *arenas* mutasse & *fluviis* privasse, solis contentos esse fluviis jubens. Sub eo *Indos* se frugibus silvestribus sustentasse. Post eum venisse alium virum ab austro nomine *Pachacamam* filium itidem *Solis* & *Lunæ*, ad cujus adventum disparuerit *Con*. Ab hoc incolas ejus ævi in *simias*, *ursos*, *leones*, *psittacos*, mutatos: eum aliud genus hominum quod etiam nunc duret creasse. Hunc *agriculturam* & alia docuisse. *Guanches* in valle *Xaura* primos suos parentes, virum & fœminam ex *Guaribilque* celebri fonte, alii qui *Andagudilam* habitant, ex lacu *Sogdocoque*, alii ex *Titicaca*, alii ex Specu *Pacaritambu* pro-

provenisse post ingens *diluvium* referunt.

LVIII. Religio varia & operosa. Summus Deorum *Ticciviracocha*, *Pachacamak* sive *Viracocha Pachayachachik* & *Usapu*. Ab hoc ajebant *Solem* & alios omnes *Guacas* essentiam suam & vires accipere: qui propterea ut intercessores apud *Viracocham* culti. Erant igitur præter *Viracocham* Dii minores, *Sol, Luna, Stella, Mare, Terra, Tonitru, Tempestates*: quicquid rarum & singulare: ut *rivi*, *fontes*, *fissuræ* rupium, *montes*, collium cacumina sive *Apachitæ*, quorum præcipuus mons arenosus in *Caxamalca* & *Nasca* inter medias rupes surgens: quicquid *monstrosum*, *deforme, noxium*: etiam *lapides, metalla, radices* præcipue *Ilallakua*; & *viæ* ac *compita*. Quisque *coluit* id quo maxime *indigebat*: piscem *piscator*: agricola *aquam* & *terram*: bestias *venator*. Ab omnibus pari honore cultus *Sol, Tonitru, Terra, Stellæ*. Tonitrua & tempestates DEUS *Chuquilla, Catuilla* & *Intillapa* dictus: quem fingebant esse *virum* qui in cœlo *fundam* & *clavam* manu tenens, omnes tempestates & tonitrua cieret. *Pathamama* Tellus, *Mamacocha* Mare. Nullam in *terra* putabant rem esse, cujus non in *cœlo* imago aliqua extaret: à qua *generatio* & *propagatio* ejus in terra penderet, præcipue à *Stellis*, quibus officia varia assignata. Igitur, prout quisque hac vel illa re opus habebat; ita *hanc* vel *illam* stellam invocabat. Præcipui ex stellis Dii:

Colca ſive capella. *Urchillai* quem dicebant *arietem* eſſe verſicolorem, pecorum cuſtodem; nobis *Lyra* dicitur. *Catuchillay* & *Urcuchillay* ajebant eſſe ovem cum agno. *Machacuay* præfectus ſerpentum. *Cuquichinchay* præfectus tigrium, urſorum, leonum, *Chacana, Topatatca, Mamana, Mirco, Miquiquiray* & alii.

LIX. His omnibus Diis *Inga* poſt mortem accedebant: qui *reſina* ita *conditi* ut ad multa *ſecula* incorrupti perdurarent. Eorum Idola *Guaoiquies* ex lapide: quæ adorare, circumgeſtare, ad pluvias & fertilitatem impetrandam: ſecum in bella ſumere: ſacrificiis propitiare ſoliti ſunt. Omnes adorabant *manibus* elevatis & *labiorum* obſcuro murmure, quolibet *petente* id quo maxime *opus* ſibi exiſtimabat. Idola *Guacas* dicta: quorum nonnulli *mitras* capite & *virgas* epiſcopales manu gerebant. In qualibet Provincia templum erat *particulare*: & ſimul pro toto Ingarum imperio *univerſalia* aliquot. Ex his duo celeberrima: Primum nomine *Pachacama* circa *Limam*: in quo Diabolus, ſpecie ſerpentis, viſendum ſe præbebat. Alterum *Pachacama Viracocha* & *Solis* Cuzcomicum, templorum primarium, & *Pantheon* Ingarum: in quod omnium *devictarum* provinciarum *Dii* ordine collocati, & inter eos *Punchao* Solis Idolum ex puro auro, ut cætera quoque. Nam *Cuzco* ſicut regni, ita religionis quoque *metro-*

polis

polis fuit: ubi ſupra trecentos *Guacas*: quorum nonnulli Trinitatem referebant: ut tria Idola Solis, *Aponiti*, *Churiunti*, *Intiquaoqui:* tria Idola *Chuquilla*: Idolum *Tangaianga* quod in Unitate *trinum*, in *Trinitate* unum eſſe ajebant. Erat & in *Collao* celeberrimum templum. Sacrificia vel ex rebus inanimatis, *Coca, Mayz, Mullo*, ejectamenta maris, aurum, argentum in animalia figuratum, panni ex *Cumbo*, ligna ſuaveolentia & frequentiſſime incenſum *ſebum* & *adeps*: vel ex animalibus, frequenter *Cuyes*; rarius *Pacos*. In horum ſacrificio numerus, color, tempus obſervatum. *Modus* hic: Animal *dextro* brachio *oculis* impoſito, *Soli* obvertebant; quibuſdam verbis ſubmiſſe pronunciatis. *Verſicolor* pecus *Chuquilla*, Soli *album*, Viracochæ *incanum*, diverſis unicuique formulis ſacrabatur. *Cuzcone* Soli quotidie *Pacos* oblati. *Pacos* induſio *rubro* amictus comburebatur. Inter comburendum *Villa cornica* ſive ſportulæ aliquot *Coca* refertæ, in ignem miſſæ. Aliud ſacrificii genus *Cuzcovicca* ſive *Contevicca* & *Huallavicca* ac *Sopavicca* dicebatur. Collectæ ex *Puna* omnis generis aves. Hæ, incenſo *Gaully* & facta *Quiſo*, in ignem conjectæ. *Popa* & victimarii circumeuntes ignem & lapides in quibus tigres, leones, ſerpentes, bufones picti inclamabant *Uſachum* & alia contra hoſtium *Guacas*. Denique *Urcu* & *Apurucos* immolatæ. Fluminibus quoque

per

per *Charcas* & agros labentibus oblatæ hoſtiæ; prout viſum hariolis; qui omnia *oſtiatim* ad ſacrificium collecta, illi qui offerre debebat, tradiderunt. Fontes & rivi *Mollo* vel *Conchyliis* oblatis culti. *Guancavilcæ* Diis ſuis *dentes* offerebant. Sed omnem immanitatem ritus infantes immolandi ſuperat. *Inga* villum ſumente, ducenti *infantes* inter *quartum* & *decimum* ætatis annum ſacrificati. Sic pro ejus ſanitate, victoria. Pro eodem *Acllas* quoque oblata *Parentes* de vita ſua per hariolos dubii facti, *filios* ſuos *Viracochæ* mactarunt.

L X. *Modus* ſacrificandi duplex. Vel enim *ſtrangulati* vultu torvo & aliis ceremoniis ſepeliebantur, vel *capite* truncatorum ſanguine, ab una aure ad aliam, per faciem ſe oblinebant. *Feſta* vel *ordinaria* & *ſtata* vel *extra* ordinem. *Ordinaria* pro menſium numero duodecim. *Menſe* Rayme feſtum *Capacrayme* celebratum. Nulli tum temporis advenæ *Cuzcone* manere licebat, *omnes* excluſi. *Oves* & *agni* centum immolati. *Tria* ſolis & totidem *Tonitrui* Idola propoſita, quæ *Patrem*, *Filium* & *Fratrem* eſſe dicebant. Junior *Inga* dedicatus, *Guaras* ei impoſitus, & perforatæ aures, facie ejus ſanguine oblita. *Iuniores* curſu contendebant quis primus montem *Ianacauri* adſcenderet. His peractis, cœna magnifico apparatu celebrata. Aliud Menſe *Camai* feſtum, quo *ſacrificiis* oblatis,

tis, eorum *cineres* in profluentem missi, quos ad *quinque* milliaria baculis sequebantur, *flumen* orantes ut eos ad *Viracochain* in mare deferret propitius. Hujus loco hodie aliud, quod *Ayma* vocatur, celebrant. Mense tertio, quarto, quinto eadem *Hecatombe* oblata. Mense *Hatuncuzqui Aymorai* festum *Aymorai*, in quo *Hecatombe* oblata *Perua*, post adorationem vel *combusta* & *nova* facta vel *asservata* eo anno. Mense *septimo* Aucaycuzqui Intiraymi festum: *Intiraymi* soli sacrum; in quo *Hecatombe* Guanacos oblata, statuas ex *Quinua* faciebant & *Cayo* saltabatur. *Octavo* mense *Chahua Huarqui* Hecatombe ovium *Vizcacha incanarum*; Mense *nono* Yapaquis Hecatombe *ovium* spadicearum & *mille* Cuies; mense decimo *Coyaraymi*, Hecatombe *albarum* & *lanigerarum* ovium oblata. Celebrabatur tum festum *Situa*. Prima die ad *Lunæ* conspectum facibus alter alterum feriens dicebat: *Exeat malum Panconcos*. Inde aqua abluti *quatriduum* ipsam bibebant & in fidem *Solis* ac *Ingæ* cœna celebrata. Mense *undecimo* Homoraimi *Purchaiquis* alia Hecatombe. Quod si tum *siccitas*, ovem *nigram* in planitie alligatam, *Chica* circumfundebant: neque ei ante cibus dabatur quam *pluvia* cecidisset Mense *duodecimo* & *ultimo* alia *Hecatombe*. Celebratum festum *Raymisantara Rayquis* & *Ituraymi* contra *siccitatem* & *pestem*.

LXI. Fe-

LXI. Festum *Yiu* præcipuum, quod nonnisi in *magnis* constituti *angustiis* celebrabant. Biduum omnes jejunabant, & secubatione ab uxoribus facta certis vestibus induti loca *sola* tarde & cum *silentio* diem noctemque continuam perreptabant, nonnulli se de rupe præcipitabant: secuta bidui *hilaria*. Mensis *Rayme* festo *Capacraime* & mensis *Coyaraime* festo Situa finitus; advenæ Cuzconem admissi: pistæ ex *Maiz* & alborum *arietum* sanguine à *Mamaconis* placentæ: inde Sacerdotes familiæ *Iluqui Yupangui* cuilibet bucellam dabant cum his verbis: *Hoc est* monumentum *unionis* nostræ cum *Inga*. *Solem* igitur & *Ingam* intimo affectu colite. Mittebantur etiam illæ *placentæ* ad omnes tertius regni *Guacas* & *Curacanos* & ibi distribuebantur. Vias ita colebant: Proficiscentes in *viis* sive *collium* triviis & *Apachitis*, detritos *calceos*, *plumas*, dentibus mansum *Coca*, vel *lapidem* offerebant, precati ut sibi *robur* ad iter peragendum largirentur. *Peccata* ipsis initio tantum erant *externa* opera mala: ut *occidere* extra bellum, *furari*, *adulterium* committere, *venena* miscere, *incantare*, negligenter *Deos* colere, *festa* profanare, *Inga* rebellem esse. *Inga* ægrotante, omnes Provinciæ *Collas* peccata confitebantur. Modus erat talis: *Ychuiri* inquirebat in singulorum peccata. Tergiversantes *sortilegiis* vel *extispicio* adacti ad fatendum secreta, & tamdiu la-

pide in dorso percussi usque dum omnia confiterentur. Tum *opacuna* id est lotiöne in torrente usi, dicentes: *Tu rive mea peccata in mare defer ne unquam appareant.* His peractis à *gibboso* vel alio vitio laborante *urticis* flagellati. *Ingæ* SOLI peccata sua confitebantur, eum rogantes, ut ea ad *Viracocham* deferret & *remissionem* impetraret. *Innumeri* per totum regnum *harioli, sagæ, sortilegi, divinatores, circulatores.* Admissi ab *Ingis* Magi, qui se in quäscunque *figuras* transmutabant & per aërem volabant ad nunciandum res longissime dissitas. *Oracula* hi excipiebant. Ejusmodi Sagæ in Prov. *Collao*, vico *Manchai*, *Guarochiri* pleræque vetulæ. Res quoque amissas Magi indicabant. *Moniales* quamplurimæ, claustra *Acllaguaci*: harum præfectus *Apopanaca* puellas, *Acclas* dictas, ab octavo ætatis anno ad cultum sacrum eligebat; quæ à *Mamaconis* in Religione & aliis rebus institutæ. *Quartodecimo* ætatis anno *Maimacones* factæ, aliæ ad *Guacum* sacerdotia, aliæ ad sacrificia, tum *ordinaria* tum *extraordinaria* destinatæ: aliæ inter concubinas *Ingæ* & ejus amicorum admittebantur.

LXII. Ingentem multorum annorum *siccitatem* & *Solis* ac *Lunæ* Eclipsin fore ante mundi finem putabant. Quæ causa fuit cur *magnates* frumento *horrea* sua stiparint, ne in siccitate inopia laborarent. *Animarum* immortalitas & ex *mortuis*

tuis resurrectio tam nota, ut propterea nihil magis *abominabile* quam ossium disjectio: ex qua *difficiliorem* fore putabant *resurrectionem*.

LXIII. Chilenses *Legibus* & *Imperio* omni soluti: nisi quod maleficos *talionis* pœna *redhostiunt*. *Injurias* potu *Cici* abolent, quod rei annuatim pendunt. Cætera similes *Peruanis*, nisi quod ipso adhuc terræ suæ *Solo* & *Cœlo* acrius animantur. *Duriora* genti corpora, *stricti* artus, *minax* vultus & *major* animi vigor. Multum *rationis* & *solertiæ*: *præponere*, *audire electos*, *nosse ordines*, *intelligere occasiones*, *differre impetus*, *ad bellum non prælium ire*. Promta omnibus arma & si *res* poscat, magni *exercitus*, ardentissimi *Duces*. Ita pro *patria* & libertate pugnantibus, *vita morsque* juxta æstimatur. Olim *humano* victu contenti. *Barbaries* ex bello cum *Hispanis* nata. Nam *fame* pressi *Araucanj*, carnem humanam *gustare* cœperunt. Atque hinc fœdus mos hæsit.

LXV. *Chicæ* suprà cæteros Americanos immani statura, pene *Gigantes* referunt; non tamen *adeo* ut pro talibus haberi queant, *pellibus* in dorsum rejectis contra *frigus* amicti. Per *sylvas* & *montes* dispersi omnem cultum ejurant. Victus & vestis ex venatione Pinguinum. *Sonora* voce & *horribili*, facie passim lapillis distincta. Viri non radunt; fœminæ radunt posteriores crines: anteriores usque ad

aures enasci sinunt. *Crudam* vel leviter *calfactam* deglutire summa voluptas. Mapalia ex *balanarum* ossibus & arborum truncis *duabus* fere mansionibus distincta, quarum una *viros*, altera fœminas & pueros recipit. In *antris* & *specubus* rupium nonnulli *latent* potius quam *habitant*. Oliv. à *Noord*. Omnes inter se pares; nisi quod in bello Duci suo parent. Qui ad austrum freti *Magellanici* degunt *plerique* & *pauci* numero sunt & *parvi* & *mali* beltiis quam hominibus similiores. Capillo *prolixo*, *nigro*, *dentibus* acutissimis. Viri totum corpus nudi: pelliibus cincti quidam: fœminæ pudenda tectæ collo monilia ex *corniculis* & *testis* gerunt ad ornatum. *Humanas* carnes crudas vorasse conspecti sunt: adeo impudentes, ut nisi sponte cedant, alios lotio suo conspergant. Dimidia parte *rubro* & *nigro* colore picturati. Insulæ *Talka* major, & *Castemme* minor. Gentes quinque. *Casæ* ex arboribus *infra* rotundæ: *desuper* in acumen fastigiatæ veluti *tentoria*, relicto ad evolvendum fumum foramine, intra solum ad 2. vel 3. pedes excavatæ. Suppellex, corbes ex *juncis* & *hami*. Arma: *Sudes*, *Sarissæ*, *Funda*, tela *serrato* lapide acutissimo præpilata: & inde *cultri* quoque. *Scapha* ex corticibus arborum artificiosæ. *Enoos* in Provincia Cossi: *Kemenetes* in *Karrai*; *Kennekes* in *Caramai*; *Karaika* in *Morinis*. Et hæ quatuor gentes *struthivora* ac propterea

pterea *Tirimenis*, prolixæ staturæ, *exosi*.

LXV. At in *continente*, qua fluvius *argenteus* ingenti *ostio* erumpit, gentes statura *grandi*: exceptis *Tibiguris* & qui *Vasin* accolunt: *Schemiis*, *Sanaischo*, lingua *Chicensis*. Hostes injecto collis *fune* summa dexteritate *vivos* capiunt. *Pecunia* ex lamellis *ferreis*.

LXVI. *Quirandies* vivacissimi & bellicosissimi. *Timbues* in utroque nasi latere stellas exiguas ex lapillis *cæruleis* & *albis* gestant. Mulieres ipsorum fœdissimæ, genis plerumque cruentatis. *Carcares*, contra *sitim* cervorum *sanguinem* missum potant. *Ameguaes* piscatores. *Caries* vel *Caribies* pecuarii & agricolæ: apud hos pater *filiam*, vir *uxorem*, frater *sororem* vendere potest. *Payaguaes*, *Gulgaisæ*, *Chanes*, *Chemenei*, *Carcares*, *Armiriri*, *Cipoiæ*, *Tocanguazi* vel *Guaranies*, *Taquari*, *Agazes*, *Guaicurnæ*, *Cacovæ*, *Cuxarapes*, *Xacoes*, *Xaquessi*, *Chanessi*, qui circulum ligneum ab auricula dependulum habent, ita ut aures illo circulo mirabiliter sint circumvolutæ: in labiis cæruleum lapidem gestant. *Xaraies*, *Tarapecocies*, *Payzunæ*, *Majæ*, *Cheriguanes*, *Guatatæ*, *Mogoles*, *Connaneques*, *Calchines*, *Mepenes*, *Chiloacæ* & alii diversorum morum. Ipsa *Terra* vel Fuego *montosa* ut plurimum, amœnissimis vallibus & arboribus, crebrisque rivis & floribus distincta: Omnes in *ortum* arbo-

res propter vehementiam *Occidentalium* ventorum inclinant. *Solum* in montibus cęſpitoſum vix *pedes* tres profundum: infra rupes.

LXVII. Inter *Maragnonem* & *Argenteum* fluvium, ingens, ab Europæis accepto nomine, *Braſilia* ſita eſt, regio amœniſſima & ſaluberrima. Incolæ *ſimi*, colore *æneo*, anterius in coronæ Monachalis formam, à vertice uſque ad aures *capillati*, corpore ad *labores* & *inediam*, animo ad *mortem* parati. Quidam in labio duntaxat inferiori, quidam in tota facie paſſim prælongos lapillos gerunt. *Panis* ex radice *Mandioca*. *Nudi* toto corpore. In *feſtis* nonnunquam *viſco* inuncti *plumis* ſe immergunt: unde adhærentibus illis cuti, *avium* ſpeciem referunt. Induunt quoque nonnunquam *veſtes* & *pileos* ab Europæis acceptos. Temporum non alia quam per *Lunam* diſtinctio, itaque dierum, ſeptimanarum, annorum rudes. Nec ſtata edendi tempora obſervant: ut *fames* monet ita *edunt*, etiamſi media *nox* ſit: & inter edendum *bibere* non ſolent: nec, dum bibunt, edere. Itaque aliud tempus *cibi*, aliud *potus* capiendi. *Sal* ex *palmis* confectus: quo aliquæ nationes omni abſtinent. *Hami* quo piſcantur ex *ſpinis*. Scaphæ ex *longuriis* aliquot ligno tranſverſim connexis: quibus exporrectis cruribus inſidentes, ligno plano remigant. In una caſa multæ ſimul familiæ & unus Rex.

Uxores

Uxores facile pariunt, mox à partu ad munia domestica impigrum animum transferunt: earum loco *maritus* aliquot diebus ut æger decumbit & ut *puerpera* molliter curatur. Quamprimum editus in lucem infans, *pater* nares pollice comprimit ut *simi* fiant: & si masculus, in *ulnas* sumtum deosculatur: tum *armis* traditis: Et *tu mi fili*, inquit, *ubi justa ætas te virum fecerit ultionis memento, & in hostes sis strenuus. Juniores* adhuc se desponsant: & in nuptiis *Sponsus* tergi sui partem dissecat: ex *vulnere* superstes cicatrix fidei in uxorem monumentum est. *Sorores* donare licet.

LXVIII. *Amicos* & hospites inter amplexus & amicissimos ambitus appresso ad pectus capite, cum multa *comploratione* & altis *suspiriis* excipiunt, nec quicquam omittitur quod ipsis gratum esse queat. *Gregatim* peregrinantur miro silentio, *uxore* virum præeunte. *Plumis* in orbem *collectis* postica sua in prælio & festis ornant.

LXIX. *Bella* æterna, ad ulciscendum *manes* majorum. Mane unus ex casæ Senioribus *inambulans* amorem conjugum & adversus hostes *vindictam* omnibus inculcat. Cornibus fistulisque ex hostium *devoratorum* ossibus prælia cient cum fero ululatu & multis conviciis. Nec quicquam laudabilius esse existimant quam cæsis hostibus vesci. Cædem cæde *pensare*;

 incen-

incendia alternis *ignibus* vindicare decorum. Nec aperto tantum *Marte*, insidiis & fraudibus agunt. Nihil turpe aut ignobile sananti oculos inimicorum malis. Qui in tanto discrimine, invicta *constantia* priorum adhuc facinorum recordantur: quot hostium mactarint, devorarint: nec *multos* se occumbere, Arma, clavæ, sagittæ & ex corio feræ *Tapiroasson* scuta. Summa gloria interemisse hostium quamplurimos. *Deus* crepitaculum *Tamaraka*. Solem quoque *Orientem* adorant & animas bonorum fortiumque virorum, qui ulti parentes moriendoque hostibus insultarint, credunt in *Orientis* partibus, in quibusdam voluptatis *campis* post altissimos montes animis majorum addi. Contra ignavos in Occidente infaustas sedes & tormenta cum *Aignane* habituros. Credunt ut quisque vel *mancus* vel *debilis* corpore. sic eum in orcum descendere. Sacerdotes ipsorum *Caraibes* dicuntur, quorum prædictionibus & fabulis mirum quam dediti sunt. Meminerunt *diluvii* cujusdam magni in quo omnes perierint, exceptis tantum paucis, qui vel *scaphis* vel in *arboribus* evaserint. Referunt etiam ad majores suos olim virum nomine *Meyro Hamane* venisse, qui multa passim *miracula* ediderit, & ab eo morem suæ *tonsuræ* sibi traditum. Littora tenent *Tupini* Kinsi, *Tupin* Imbas, *Caries* sive Pati, *Miramumini*, *Tonoupinambaulti*, *Margayes*, *Tapuya*, *Apiapetangæ*,

Ove-

Ovetacates, *Aymures* & *Gaymures*.

LXX. *Ovetacates* non ejuſdem cum cæteris, quod ex multis colligitur, originis. Quippe & lingua peculiari & *capillis* ad nares uſque promiſſis. *Feri* ultra modum & indomitæ *crudelitatis*, perpetua *latrocinia*, tam in ſuos quam alienos exercent. Adeo pernices curſu ut *cervos* adæquent. Cum vicinis, merces ſuas, nullo intercedente colloquio, permutantes, ſtatim de eripiendis quæ dederunt alteri, bonis cogitant. Itaque niſi pedibus ſalutem quærat, & de vita & mercibus ejus actum eſt.

LXXI. *Interiora* Braſiliæ tenent *Petivares*, *Maraquites* ſive *Topoyes*, *Topimanbazes* barbati, *Waymoores* ſive *Gaymures* audaciſſimi, *Tomonymenes*, *Waytaquazes*, nemini amici, *Wayanaſſes*, *Topinaques*, *Pories* pacifici & qui *humanam* carnem, ſi alii ſuppetant cibi, non edunt. *Molopaques* barbari & civiles. *Fœminæ* coma vel alia re pudenda tegunt. Habent quoque ſtata edendi tempora, quod rarum. *Motayes* capillos detondent vel evellunt. Apud *Lopos* ſive *Biheros* aurifodinæ. *Wayanawaſoni*, *Tocomani*, *Caryogæ*, *Taymoes*, *Ararapæ*, *Apiga Pigtanga*, *Unitan. S. Crucis de la Sierra* populi *Ceriganes* & *Vicarani* ſunt æternis odiis diviſi, & homiedones. *Todes* ipſis vicini. Qui captos hoſtes in humeros conjiciunt, & domum deportant, ſine intermiſſione eos agitantes. *Varais*

 æqua-

æquales inter se, cæteris majores, atque hinc insolentia & fastus. Vagæ sedes. Filias suas à teneris armis exercent. Nomina leonum, tigridum, & alia à bestiis petita, usurpant. Utque *vulneribus* & *sanguini* assuescant, Luna *nova* & *plena*, pugionibus osseis, in se grassantur. Fœminæ pudenda gossypio tegunt. Cætera ipsis & pariter viris nuda. Viperas, abjecto capide edunt. Quando frigus est, nunquam domo egrediuntur, quin manu calidum lapidem stomacho calfaciendo gerant. Quidam in medio, alii hoc illudque latus radunt: plurimi circumcirca tondent relictis in medio capillis, ut apud Virginianos fit. Hoc sibi à quodam *Paicume* traditum. Viri puerperium fœminarum in lecto transigunt, ut Brasiliani. Ultra *quatuor* non numerant, *quinque* tota manus, *decem* utraque monstrat, *viginti* manus pedesque, & sic porro. Quando maritus peregrinatur, domi relinquit tot nodos, quot diebus se absuturum credit, totidem secum gestat. Singulis diebus unum solvit, pariter uxor. Et sic dies absentiæ numerantur. Sunt & ibi *Garayes* id est *bellatores*, quorum linguæ latissimus per omnem Brasiliam, *Paraguay* & vicinas Provincias usus. Cæteras gentes ipsi *Tapuys* vocant, id est, servos. In una domo complures familiæ. Labio inferiori perforati monile inserunt. Jucatani eos intelligunt & complures alii populi usque

ad

ad fretum *Mayalt* & *S. Mariam*. Ad celeritatem currendi & certitudinem jaculandi, brachia pedesque diversis locis incidunt, & pulvere ex pernicibus animalibus conspergunt. Apud hos latrones morte puniuntur. Arcum & sagittas ad ariolos portant & prout bonas malasve augurantur, eas frangunt vel conservant. Lunam novam & alias stellas magno ululatu adorant. Stato tempore furibundi per solitudines ac præcipitia discurrunt, horrendis clamoribus nomen cujusdam *Candire* insonantes, eunt super ardentes carbones & venenosa animalia sine damno.

LXXII. Ipsis vicini *Chianes* annum in XII. menses dividunt, quibus totidem stellæ præficiuntur. Nihil æque abominantur ac clamorem *upupæ*. Eo audito *Seniores* cum armis egrediuntur ac *conjurant*, non se ante reversuros, quam ea avi occisa. Interim juniores cum fœminis domi latent ne quid infausti ea avis apportet. Et hæ quidem littorales ad Meridiem Provinciæ. Quid intra sit nondum plane cognitum est. *Crebris* magnam partem & stagnantibus pleraque aquis obruta esse fama fert. Sunt qui visa sibi ad *Orellanam* & *Oreniconem* florentissima regna, *Paytici*, *Dorado*, *Cæsares* & alia memorant. Sed in universum omnia adhuc incognita & nonnullæ tantum detectæ Provinciæ.

Insularum *Fortunatarum* præcipua *Canaria.*

I, De his *Diodorus* I I I. sub finem. *Incolæ* vocantur *Guanches*, igne & ferro destituti. Quælibet insula peculiarem linguam Regemque habebat. *Gomara* Hist. Ind. cap. CCXXI I I. *Cadamustus* Navig. capite VIII.

II. Præcipua illarum *Canaria*, cujus Rex circa A. cIↄ CCC. fuit *Guavartama*, contra quem rebellavit quidam *Doramas* ac se Regem *Teldæ* fecit. *Gomara* Hist. Ind. cap. CC XXII.

III. *Teneriffani* Duces novem habebant libera electione sibi invicem succedentes. *Cadamustus* cap. VIII. Circa A. cIↄ CCC LXX. Robinus de *Bracamonte* Franciæ Archithalassus has insulas pro filio suo Johanne de *Betancourt*, regio titulo impetravit, qui Barbaris debellatis Rex *Canariæ, Lanzarottæ, Fortaventuræ, Gomeræ* & *Ferro* se appellavit. Cui ordine successerunt *Menardus*, Petrus *Barba*, Ferdinandus *Berazza* & Didacus de *Herrera*, qui omne jus suum transtulit in *Ferdinandum* Regem Aragoniæ & Castiliæ.

Ayti

Ayti quinque *regna* complectebatur.

I. Tribus potissimum nominibus hæc insula appellata fuit, *Ayti* à montium asperitate, *Cipangi* sive *Cibani* à montium similitudine, quos incolæ in alia insula, ex qua seditione domestica pulsi erant, habuerant patrios, *Quisquia* à magnitudine. *Gomara* l. 27. 28.

II. Divisa fuit in *quinque* majora regna, quæ Bartholomæus de la *Casa* vocat *Maguan*, *Darien*, *Magnana*, *Xaragua*, *Higvei*. Alii *Cascimu*, *Huhabo*, *Caiabo*, *Guacayarima*, *Banoa*. Athanasio Ingæ: *Magua*, *Xaragua*, *Xara*, *Higveia*, *Xagua*.

III. Regnum *Magua* in insulæ meditullio situm linguæ morumque elegantia reliquis præstabat: unde & proverbio inter *Aytones* vir fortis & eximius *Maguanus* appellabatur.

IV. *Xaragua* aliis *Guaccayrima*, *Haniguaiaga* vel *Maguana*, Orientalem insulæ partem complectebatur. Ultimus Rex *Caonabo*, qui in Columbi navigatione *Canoba* id est *domus auri* dicitur.

V. *Xara* sive *Ciguayoet Caiabo* cæteris omnibus potentius erat, adeo ut Barthol. de las *Casas* Regem *Xaræ* ultimum, *Guarinoex*, maximum & totius insulæ Dominum vocet. Suberant ei plurimi potentes reguli.

VI. *Hygvei*

VI. *Hygvei* ſive *Caiſcumo*, *Bainoa*, *Marien*, *Darien*. Hoc regnum *Portugallia* majus fuiſſe dicit Caſa.

VII. *Yagua* ultimus Rex fuit *Marabonez*. Tota hæc inſula penitus deſtructa & incolis exhauſta fuit ab Hiſpanis, ut hodie vix ulli antiquæ ſtirpis ſuperſint, ſed vaſta omnia & deſolata jaceant ac ab efferis tauris pecoribuſque perſultentur. Idem cæteris fere omnibus inſulis contigit.

Cuba, *Jamaica*, *Borriquen*, *Cubagua*, & aliæ inſulæ Reges habuere.

I. Utimus Rex Cubæ *Arnacuba*. Cætera ignorantur.

II. In *Jamayca tres* erant civitates. Reges ultimi communi nomine *Beroyca* vocabantur. A. CIↃ CCCC X. cum *Beroyca* fame laborantes *Aytonas* liberaliter ſublevaſſet, ii gratitudinis ergo magnum auri pondus quotannis ei perſolverunt & *Jamaycanos* inſignibus privilegiis in *Ayti* donarunt.

III. *Borriquen* Reges tres fuerunt *Guabatacq*, cujus maxima per inſulam authoritas, *Agueibana* & *Vraioa*.

IV. *Cubagua* ultimus Rex *Belberiacq*.

Navat-

Navatlacæ condunt Imperium *Mexicanum.*

I. In Septentrionali parte Americæ inter *Chichimecas* habitabant *Navatlacæ*, ita dicti quod rerum & verborum suorum rationes reddere possent, ac humaniori cultu viverent. Septem eorum populi erant, qui circa A. IↃccc xx. versus austrum migrare cœperunt, relictis in prisca patria nonnullis qui regione *Atzlan* & *Teuculhuan* incoluerunt.

II. Reliqui consederunt ad *lacum* Mexicanum, ex quibus primi fuerunt *Suchimilcæ*, secundi *Chalcani*, tertii *Tepanecæ*, quorum urbes *Azcapuzalco*, *Cuyoacan* & *Tacuba*, singula regna, quarti *Culhuæ*, quorum urbes regiæ *Culhua* sive *Atlacuyavaya* & *Tezcuco*, quinti *Tlatluicæ*, quorum regia *Quahunachua*, sexti *Tlaxcaltecæ*, quorum regia *Tlaxcala*, septimi *Mexicani* sive *Mexicani* à duce *Mexio* dicti, quorum errores cum Israëlitarum per deserta Arabiæ comparari possunt; à quibus in lacu Pazcuaro *Mechoacan* & *Malinalco* structæ. Tandem ad *Tulæ* montes *Coatepec*, inde ad montem *Chapultepeo* & provinciam *Tisaapan* delati, urbem *Tenoxtitlan* quæ & *Mexico* dicta, condiderunt. Insignia erant *aquila* uno pede *avem* tenens, altera arbori *Tunal* insidens. Alii per seditionem secedentes, urbe *Tlatellulco* structa, peculiare regnum constituerunt.

III. Pri-

III. Primus Mexicanorum Rex fuit *Acamapixtli*, cujus insigne fuit *manus* fascem *arundinum* sive *sagittarum* tenens, id enim nomen ejus significabat. Erant initio tributarii Regibus *Azcapuzalcoanis*. Quartus Regum *Iscoalt* circa A. cIↄ cccc xxxvii. *Tepanecas* sive *Azcapuzalcanos*, *Cuyocanos*, *Suchimitcanos*, *Cuytlavacas* & *Tezcucanos* domuit. *Motesuma* I. *Chalcam* aliasque plurimas ad utrumque mare provincias subegit. Sub eo lex lata: *ne ulli Regum liceret* Tlaxcalam *subjugare* propter duas causas. Tum ut *Mexicani* perpetuo *armis* exercerentur, tum ut *captivorum* ad sacrificia copia suppeteret. *Acosta* V. 20. VII. 16. 21. *Axayaca* Teguantepec, Quatulco, Tlatelluco, *Autzol* Quaxutatlam & alias ad *Guabutemallam* usque provincias subegit. Ultimus Imperatorum fuit *Motesuma* II. sub quo Ferdinandus *Cortesius* auspiciis *Caroli* V. Imperium *Mexicanum* innumera incolarum strage edita occupavit.

Inga condunt Imperium *Cuzconicum* Tahuantisuyo.

I. Prima sedes *Ingarum* fuit ad lacum *Titicasam*, quem alii *Tiquicasam* vel *Intiticacam* vocant. Conditor familiæ Ingarum fuit *Mango* Capa *Acosta* I. 25. *Mayta* Capa, aliis Inga *Zaphali*, qui à lacu *Titicasa* cum numeroso exercitu prodiens *Cuzconem* occupavit

cupavit & vicinos domuit. *Gomara* Hiſt. Ind. cap. CXIX. *Yaguarquaque* ſive *Guacinga* multos populos, *Pachacuti* Yupangui *Changas* ſubegit, arcem Cuzconicam fundavit. *Tota* Yupangui I. multos in *Chile* & *Quitone* populos domuit, *viam Cuzcone* per *Charcas* in *Chilen*, mirabili artificio excitavit ac arcem Cuzconenſem abſolvit.

II. *Guainacapa* totum regnum *Quitonicum* ſubegit ac Imperium admirandis ſtructuris exornavit. Hiſt. *Peruv.* I. 13. *Acoſta* VI. 22. Imperium diviſit in duo regna *Quitonis* & *Cuzconis*, inter filios *Tito* Cuſſy *Gualpam* ſive *Guaſcarem*, & *Atahualpam* ſive *Atabalipam*. Guaſcar obtinebat *Cuzconicum* Imperium, cujus ultimæ ad Septentrionem provinciæ erant *Canara*, *Chaparra*, *Palta* & inſula *Puna*. Atahualpa regnum *Quitonis*. Et quia in teſtamento patris clare definitum non erat, cui provincia *Tomebamba* cedere deberet, hinc bellum inter fratres exortum, in quo *Guaſcar* captus. *Atahualpa* quanquam victor & fratre capto, nunquam tamen *villum*, quod Imperii Incarum inſigne erat, geſtavit. *Gomara* Hiſt. Ind. capite CXVI. CXVIII. His fratrum contentionibus durantibus Franciſcus *Pizarrus* A. CIↃ IↃ XXXIII. in regnum irrupit ac ſublatis *Guaſcare* & *Atahualpa* illud *Peruviam* appellavit ac *Carolo* V. ſubjecit. Arripuit tamen *Inca* titulum *Paulus*, ac montanas

pro-

provincias Hispanis inaccessas occupavit, eumque *Diegus* de *Almagro* senior *Incam* solenniter creavit. Hist. *Peru* II. 1. III. 4. Ei successit *Mango*. huic *Xairez* Topa qui se A. cIↃ IↃ LVII. *Philippo* II. submisit.

Attala regnum in *Guiana* condit.

In illa fatali *Incarum* & *Cuzconici* Imperii destructione, quidam ex regia familia nomine *Attala*, mirabiliter Hispanorum cruentis manibus elapsus, collectis profugis, quorum XV, cIↃ. erant, ad interiora se recepit, ibique ad lacum *Guianam* novum regnum condidit, de cujus quidem opulentia & magnificentia, civitate *Manoa* Dorado id est aurea, incredibilia Hispani & super alios Waltherus *Rhaleg* jactarunt: nec desunt hodie qui in ea thesauros Attalicos sibi imaginentur. Sed inaccessa hactenus & impenetrabilis mansit: unde nihil certi de ea Cuzconensium colonia memorari potest.

Judæi Pseudo-*Messias* Reges creant.

I. Post excisum à *Tito* templum & eversam Judæorum Rempublicam, *Judæi*, impulsore R. *Akiba*, quendam nebulonem nomine *Heitoliba* (ut Burgensis tradit) *Messiam* ac *Regem* crearunt eumque *Barchochab*, id est filium stellæ appellarunt, ob vaticinium Bileami. *Num.* XXIV. *Hieronymus* in Catal. Script. Eccles. eum vocat

cat *Cochibum* Ducem Judaicæ factionis, qui Christianos variis suppliciis enecavit. Quantas per Africam, Ægyptum, Cyrenen, Cyprum cædes fecerit, apud scriptores Ecclesiasticos videri potest.

II. Multa de hoc impostore Judæi, ut semper in Historia solent, fingunt & mentiuntur: recte tamen *Bar cozibam*, id est filium mendacii appellarunt, postquam spes suas evanuisse & se ab *Akiba* deceptos, tristi experimento deprehenderant. R. *Lipman* hunc Pseudo-Messiam inter *legitimos* Judæorum *Reges* post excidium refert; in suo *Nitzachon* ad IX. Danielis. Verba ejus, ut Latine redduntur, hæc sunt: *Etiam post excidium regnavit Ben cuziba duobus annis cum dimidio Bithera, & filius ejus* Rufus *atque nepos ejus* Romilus, *qui trucidatus fuit* 73. *ann. post devastationem templi in bello* Adriani. *Atque hi fuerunt è domo* Davidis.

III. Circa A. cIↃcL. alius in Arabia *Felici* apparuit nomine *David* El *David* ex urbe *Omadia*, qui se *Messiam* jactabat, de quo videri potest Epistola *Maimonidis*, sive ut vulgo vocatur Rambam, *Gregorius* Abul Pharagius, & *Benjamini* Itinerarium. Sed de his plura proxime.

Zingari in *Germaniam* migrant.

I. Circa A. cIↃccccXL. *Zingari* sive *Zigeuini* primum in Germania conspecti sub Rege *Zindelone*. Aventinus VII. Bojor. Unde originem trahant incertum. Tradunt

dunt eos in confiniis *Ungariæ* & *Turciæ* habitare & inde magnis agminibus egredi. Sunt colluvies variarum gentium, neque *Europam* modo, verum *Asiam* quoque & Africam pervagantur. *Bellonius* eorum magnam copiam in Ægypto reperit, unde vulgo originem trahere putantur. Apud *Crusium* Annal. Suev. parte III. lib. VI 1. 5. epitaphium tale reperitur: A. cIↃ CCCC XLV. *obiit* Panuel *Dux* parvæ *Ægypti*. Qui procul dubio idem ille fuit quem Aventinus *Zindelonem* nominat. Alius Regis *Zingarorum* meminit *Pomarius* in Chronico Magdeburgensi his verbis: A. cIↃ IↃXV. Dominica Jubilate, fulmine ictus Magdeburgi periit Rex Tartarorum, Comes *Wilhelmus* à *Rosenberg* ab ipsis dictus. Sepultus est in templo Catharinæ. Ubi per *Tartaros* non alii quam Zingari intelliguntur.

II. Hæc maleficentissimorum hominum colluvies à Sigismundo Imperatore diploma impetravit, cujus meminit Munsterus in Cosmographia.

III. Hodie magno adhuc numero, imprimis per Hungariam vagantur, de quibus *Isthuanfius* V. Hist. Pannonicæ: *Secuti erant castra plurimi ex vagis illis, quos* Cyganos *vulgus appellat, vilissimum & abjectissimum genus hominum incertæque originis, in* Transylvania *ac utraque* Valachia *tortorum infamem operam exercere soliti.*

FINIS.

INDEX RERUM & VERBORUM MEMORABILIUM.

A.

Ægyptium

Alexan-

Angliæ

Barbaræ

Cozumel

D.

E.

G. Gades

G.

H.

Haresgela

Hunni

I.

Iones

L.

M.

Mauros

Moluccæ

N.

 Yaus.

O.

S. *Saba,*

S.

Tartessii,

Tzuri

V.

W. Waln.

W.

X.

Y.

Z.

FINIS.